CARMINUM
OMNIUM.

J. J. PONTANI

1581



10 aei ^{tt} n~

äk ^{tt} n~

IOAN. IOVIANI

PONTANI

CARMINVM, QVAE quidem extant, omnium, pars prima:

IN QVA,

Vrania, ſiue de ſtellis libri quinque.

Meteororum liber unus.

De Hortis Heſperidum libri ſex.

Lepidina, ſiue paſtorales pompæ ſeptem.

Bucolica, Meliſeus, Mæon, & Acon.

Baſileæ apud And. Cratandrum. Anno

M. D. XXXI.

ANDREAS CRATANDER LECTORI S.

DE omnigena PONTANI erudi tione, & operum suorum maiestate, in præsentiarum præstat nihil quàm pauca dicere: quũ uir ille magnus & stupendi ingenij, à doctissimis atq; amplissimo uer borũ lenocinio satis proq; dignitate lau= dari non possit. Verũ nos, ut ad omnis generis studia promouenda sumus pro= pensi, quicquid is carmine scriptum reli quit, undecunq; corrasum, in duos to= mos partiti sumus. Priori Vrania, Me= teora, Horti, & Bucolica cõplectuntur: altero uero Amores, Tumuli, Hendeca syllabi, & reliqua illius omnia poëmata. Etsi ex ijs aliqua paulò liberius, ne dicã petulantius scripta uideant͂, q̃ ut Christi= anorũ mẽtibus instillari debeãt: esto: ta men hoc nomine adimere integrum nõ fuit, quibus maximè gratia, lepor, uenu stas, & iocus inesse cõstabat: ne tantũ au torẽ temere mutilasse, nescio qua moti superstitione, à doctis conuincamur, qui

apud Italos, aliarumq́ȝ nationũ graueis uiros, inconcisus circumfertur, & admiratur. Neque ob id quòd non ubiq́ȝ religionẽ nostram spirant, Ouidium, Martialem, Catullum, Propertium, & huius monetæ poëtas, omnino abijciendos censeo: quos quidem & pij, atq́ȝ CHRISTO non parum addicti, quandoq́ȝ manibus terere ueriti non sunt. Tu igitur candide lector, nobis uitio non uertas, quod hactenus alijs impune licuit. Vale.

LOCORVM ALIQVOT
IN HIS PONTANI LIBRIS,
quæ ob rerũ nouitatẽ nõ facilè intelligi poßint, explanatio, à Petro Summontio, uiro doctißimo, & Pontanicæ disciplinæ ac nominis studiosißimo, ædita.

IN VRANIA.

Pagella 20. uersu 4.



Ebethus, fluuius sæpe à Pontano celebratus, prope Neapolis mœnia labitur. Huius quoque Maro, Statius & Columella meminere.

Pag. eadem, uer. 5.

Phormelle, fons est Neapoli.

Pag. eadem, uer. 10.

Hebonẽ. A Neapolitanis Solem sub Hebonis nomine cultũ nota est historia, ut est apud Macrobiũ: quod & tabella marmorea uetustißima Neapoli inuẽta testantur, quæ est penes Actium Syncerũ, hocq; cõtinet.

ΗΒΟΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ.

Pag. 58. uer. 27.

Amalphæis Nymphis. Amalphis urbs maritima in Picentinis, Citriorum copia, fontibus, atq; aëris salubritate nobilis: clara & Andreæ Apostoli sepulchro. Vrbem hanc Magnetida in Hortis Hesperidum Pontanus uocauit, quòd eius ciues magnetis usum nauigantibus primi, ut fama est, monstrauere. Vnde est Antonij Panhormitæ carmen in urbis eius laudem:

Prima dedit nautis usum magnetis Amalphis.

Pag. 133. uer. 17.

Asteriona. Asterionē celebrat poëta canē suum.

Pag. 140. uer. 15.

Ariadna Pontani coniunx. Elisa Ariadnæ mater.

Pag. 149. uer. 10.

Deserto Gauridis antro. Gaurus, Misenus, Pausilypus, Veseuus, clari satis per se montes. Item Nesis nota inter Pausilypum & Puteolos insula, ut loca Neapoli uicina à Pontano non uno in loco celebrantur, sicut & alia multa, ut Sebethus, Lyris, Phormiæ, Caieta, Sirenum scopuli, cæteraq; alia.

Pagella eadem, uer. 12.

Antinianæisq; rosetis. In monte qui Neapoli ab occidente imminet, locus est Antinianum nomine, nec procul inde est Patulcium, ubi sepulchrum ostenditur Virgilij: quæ duo loca sub Antinianæ & Patulcidis Nympharū nomine Pontanus sæpenumero celebrat.

Sub Patulcidis quoque nomine ad Virgilium ipſum alludit.

Pag. 201. *uer.* 15.

Sua lumina in amnem Defigit Stella.

Stella mulieris nomen Ferrarienſis, quam Pontanus in delicijs habuit.

IN HORTIS HESPERIDVM.

Pagella 290. *uerſu* 11.

Deliolosq́; hortos. *Deliolum fons eſt prope Neapolim in uia Acerrana, quẽ Alphonſus Calabriæ Dux ſumptuoſis ædificijs exornauit, ac Pogium regale appellari iuſsit: quod adhuc manet nomẽ, priori abolito.*

Pag. 296. *uer.* 4.

Niaſias arbor. Nias Heſperidum fluuius.

Pag. 315. *uer.* 19.

Phauruſij ruris. Phauruſij populi ſunt ad mare Heſperium.

Pag. *eadem, uer.* 21.

Stachiritides ſyluæ. Stachiris fluuius in Heſperium labitur mare.

Pag. 322. *uer.* 25.

Cloneide fronde. Clonia palus in regione Heſperidum.

Pag. 323. *uer.* 6

Paliurides. Paliuris palus Heſperidum.

Pag. eadem, uer. 10.

Chariteiaq; arua. Item Chariteia limon. Ad Venerem retulit, hoc est ad nouam de Venere, quam ipse fecit, fabulam. Tacite tamen ut Chariteum amicum celebret, ad eius nomen alludit: utq; hic dixit Chariteia, sic alibi Aphrodisia Citrius: & item alibi Zephyritide sylua. Simili etiam modo aliunde sumptis nominibus, uarietatis atq; ornatus gratia opus suum locupletauit: qualia sunt Berenicia arua, Cyrenides Nymphæ, & reliqua.

Pag. 324. uer. 25.

Atlantide fronde. Atlas Hesperidum pater.

Pag. 325. uer. 1.

Quòd uero aut uiridem trahit ab radice colorem,
Frondibus ac fructu, aut acuit sensumq; palatumq;.

Ad etymologiam respexit: λιμὼν enim pratum est, λιμὸς fames.

Pag. 325. uer. 5.

Masitholæ Limones. Masitholus fluuius Hesperiũ mare illabitur.

Pag. eadem, uer. 23.

Neptunnia Mergilline. Villa est Accij Synceri, in uia Puteolana ad mare posita, in Pausilipi radicibus, prope Cryptam Neapolitanam.

Pag. 332. uer. 12.

Cleartias arbor. Cleartis palus Marmaricæ.

Pag. 336.

Pag. 336. uer. 14.

Aequaniq; ferunt colles. Hi sunt prope Surentum, qui locus uulgò Massa Aequana dicitur, ubi optima nascuntur uina. Ibidem.

Meteiaq; arua. Mete uicus est Surentinus.

Pag. eadem, uer. 21.

Hermi uites. Neapoli ab occidente imminet, qui mons sancti Hermi dicitur, uillarum frequentia nobilis: hinc Hermitis Nympha à Pontano deducitur, ut est in Lepidina.

IN ECLOGA QVAE LEPIDINA INSCRIBITVR.

Pagella 342. uersu 3.

Crambane uicus est in agro Neapolitano, in quo & hi alij quoq; uici sunt, Theodocie, siue Thuduciū, Resina, Porticia, Fragola, Casulla, Planuris, Marana, Pomelia seu Pomelianum, Marillia seu Marillianella, Ansatia, uulgò Anciasinum, Casora, Puluica, Panicoclis. Hos præcipue uicos ex alijs, qui in agro Neapolitano sunt, Pontano placuit celebrare. Is etenim ab adolescētia ornandæ Neapolis gratia hocipsum facere decreuerat, ut scilicet Sebethi & Parthenopes nuptias caneret: id quod tunc in Elegia illa de transformatione Sebethi pollicitus est his uersibus.

Tempus erit charos quum dicemus Hymenæos,
Vt sit iuncta tuo Parthenopea toro.

Hoc tamen longè pòst, uelut promißi memor, ſenex iam abſoluit: quod & in nõnullis alijs fecit operibus.

Pag. 342. *uer.* 4.

Prochyte, Caprite, Sarnitis, *à* Prochyta, Capreis, Sarnoq; *nomina deduxit.*

Pag. 345. *uer.* 5.

Triſtior *illa quidem patris de clade* Veſeui. *Allegoria hæc hiſtoriæ tangit ueritatem.* Reſina *enim, ut nunc etiam in eius ſolo cernitur, è* Veſeui *incendio, utpote illi uicina, conflagrauit.*

Pag. *eadem, uer.* 27.

Hercli. *Locus eſt prope* Neapolim, *occidentẽ uerſus, paulum ſupra antiquam* Palæpolim, *ab* Hercule, *ut* Pontanus *putabat, dictus.* Hechiam *uulgus appellat.*

Pag. *eadem, uer.* 22.

Ad antra Mineruæ. *Promontorium* Mineruæ *ſignificat, quod eſt contra* Capreas & Aenariã *inſulas.*

Pag. 346. *uer.* 9.

Herculis ad fontem. *Vltra* Neapolim *ſunt fontes, qui ab* Hercule Herculani *ſunt dicti, ibiq;* Heraclea.

Pag. *eadem, uer.* 26.

Butine. *Sordidus* Neapoli *uicus, ubi uarij generis obſonia uenduntur.*

Pag. 347. *uer.* 5.

Vlmia. Neapoli *etiam hic uicus eſt, prope arcem quæ* Noua *dicitur.*

Versu eodem.

Intortis torallis. Tentare uoluit Pontanus noster, quæ summa in eo erat Latinæ linguæ autoritas, ut nouum omnino uocabulum in latinitatē reciperet, atq; ut ita dixerim, Romana illud ciuitate donaret. Est autē apud nos torallus panis quidam peralbus, leni ac lucida crusta, in uarias circulorū formas intortus, qualis pro diuorum templis diebus uenditur solennibus: dictus quidem torallus à toris, ut ipse uolebat, siue torulis, qui sunt in columnis. Eadem quoque Pontanus licētia liguris auiculæ à liguriendo nomen usurpauit.

Pag. eadem, uer. 13.

Pistasis fons est Neapoli in decliui urbis regione.

Pag. 348. uer. 14.

Olympias pars est Hermi montis in eius appendicibus Neapolim uersus, quod hodie Olympium dicunt.

Versu eodem.

Conicle locus prope Neapolim in collibus à septentrione urbem spectantibus: uulgò Canochiā uocant.

Pag. 349. uer. 8.

Labulla riuus est, imò fluuiolus, per cuniculos Neapolim miro opere inductus: siue à labro, ut Pontanus uolebat, siue ut alij putant, à bulliendo dictus.

Pag. 350. uer. 16.

Verū age & hoc cōiunx fas est, requiesce sub arcu. Domum suam poëta designat, quam Neapoli habuit,

in celebri urbis regione, quæ Ad arcum dicitur: ea in domo turris est quadrata, urbem undiq; totam despectans, quam etiam turrim alibi ut hic celebrat.

Pag. eadem, uer. 19.

Meliscon. Sub Melisei persona Pontanus intelligitur, ut in ecloga illa, cuius titulus est, Meliseus.

Pag. eadem, uer. 24.

Phosphoridos natæ. L. Martiæ filiæ obitum muta to nomine dicit, quem in Tumulorum libro, & in Vra nia deplorauit.

Pag. 351. uer. 18.

Leucogidis albæ. Leucogei montes inter Neapolim & Puteolos, ab albedine dicti: hodie Lumera dici tur, ab alumine in quod terra illa fornacibus excocta dissoluitur. Est autem hoc auitum Actij Synceri nostri prædium.

Pag. 352. uer. 6.

Ad Cryptam. Tam clari nominis est Crypta Nea politana, quæ Puteolos ducit, ut de ea quicquam dicere non oporteat.

Pag. eadem, uer. 16.

Liquidißimus amnis it subter. Magnificentiã uult ostendere operis illius, quo riuus, seu potius dicam flu uius, à Labulla, ut dictum est, Neapolim per subterra neos inducitur meatus excauato saxo, in quo uetus urbs tota inest fundata.

Eadem

Eadem, uer. 18.

Proximaq́; Vranie scorteum & sua poma parauit. Bene in domo sua Vraniã statuit, eamq́; sibi domi fami liarem facit, ut allegorice ad diuinos illos de stellis allu dat libros, quibus Vraniæ nomen indidit.

Eadem, uer. 24.

Campe, planities, & uelut concha quædam prope Gaurum, qui locus Campana dicitur.

Pag. 353. uer. 11.

Vrsulon insequitur frontem insignitus echino. Ca stanearũ sylua est non procul ab Antiniano, quam uul go Vrsulonis crucem appellant.

Pag. eadem, uer. 17.

Sorbino è bimo, atq; ex anniculo Viridisco. Sorbi num & Viridiscum uini genera sunt in Campania.

Pag. 358. uer. 10.

Murronem fama est cum coniuge Tifatea. Loca sunt prope Capuam.

Pag. eadem, uer. 18.

Caserta. Notum non procul ab urbe Neapoli oppi dum, in colle positum.

Eadem, uer. 20.

Marcinida. Vicus est prope Capuam, uulgus Mar cianisios uocat.

Pag. 59. uer. 8.

Cicala editior locus supra Nolam.

Pag. 355. uer. 27.

Claudicat hinc heros Capimontius. Locus in collibus Neapolim à septentrione spectantibus, agris uillisq; celeber: & quia montosus, ideo claudus dicitur.

Pag. 360. uer. 9.

Carmeli ad fontem. Fons est in foro Neapolitano iuxta ædem diuæ Mariæ Carmelitanæ.

Pag. 262. uer. 12.

Platamonis. Platamonias celebrat, excauatas ad litus prope Neapolim, ac factas manu hominum specus, quas uetustas, salsaq; maris aspergo magna è parte cõsumpsit, temporumq; ipsorum iniquitas: loca nimirum ad uoluptatem, æstiuasq; deambulationes atque conuiuia excogitata.

Pag. 363. uersu 10.

Ipsa seni blandita senem cupit. Per senem hunc, cui tantũ Antiniana blanditur, seipsum intelligit, qui rus suum in Antiniano habens, Antinianam Nympham identidem celebrat. Blanditur autem ipse sibi tacite poëta, continuatq; allegoriam hanc toto discursu, quo de Antiniana agitur.

Pag. 365. uer. 25.

Nascetur qui longinquis procul aduena terris.

P. Virgilium

P. Virgilium Maronem intelligit, qui Neapolim diutius coluit.

Pag. 366. uer. 10.

Nascturq; alius longo pòst tempore pastor. Seipsum Pontanus depingit.

FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD LVCIVM FRANciscum filium Vrania, siue De stellis Liber primus.



V I cœlo radient ignes, quæ sydera mundo
L abantur tacito, stellis quibus emicet ingens
S ignifer, utq; suos peragant errantia cursus,
V nde hoīm genus, & pecudes, unde æquor & auræ
C oncipiunt motus proprios, unde optima tellus
E ducit uarios non uno è semine fœtus,
E t rerum euentus manant, seriesq; futuri,
D ic dea, quæ nomen cœlo deducis ab ipso,
V ranie, dic Musa Iouis clarißima proles,
E t tecum castæ ueniant ad uota sorores.
D um canitis, resonatq; cauis in uallibus echò,
I pse legam lauriq; comas, hederamq; uirentem,
I pse aras statuam uiridi de cespite, & umbras
L ustrabo, tumuloq; feram solennia dona
D ilecti uatis, uiridi quem monte sepultum
P arthenope, liquidamq; colit Sebetos ad undam.
I pse chori pater, ac princeps, & carminis autor
P hœbe adsis, noctisq; decus Latonia uirgo,
D ijq;, deæq; omnes, quorū sub numine cœlum est,

T uq; adeò comes Aonidum dux optima uatum
A lma Venus (teneros nati sat lusimus ignes)
D um cœli erranteis ignes, dum sydus amatum,
Quo terræq;, fretumq;, & magnus concipit orbis,
D um canimus quæ signa tibi, quod pareat astrum,
D iua faue, & niueis felix allabere cycnis.
O mihi si Charites spirent, si blanda canentis
G ratia Mopsopio contingat labra liquore.
T u uero nate ingenteis accingere ad orsus,
E t mecum illustres cœli spaciare per oras:
N anq; aderit tibi Mercurius, cui cœlifer Atlas
E st auus, & notas puerum puer instruet artes.

De luna.

Prima deûm terras glaciali sydere circum
L una meat, cœlumq; suo terit ultima curru.
D ux clara in tenebris, alienæ obnoxia flammæ.
A emula fraternis radijs, & solis ab ore
O ra fouens: quantumq; ab Apollinis igne recedit,
H oc magis ipsa suum fundit mortalibus ignem.
C ornibus auratis primum, mox fronte refulget
I am media, medium cœli dimensa uolumen.
A tq; hinc obliquos uultus, turgentiaq; ora
N octe refert, tandemq; uago digressa meatu
E xurgit solem contra, plenoq; coruscam
O rbe comam, & fuluo totum caput explicat auro.
S eptima quin etiam ut cœlo concesſit ab alto
M ole grauis, septem ore uices, septem ore figuras
M utat agens circum, & paruũ conuertitur annum.

Hinc

H inc mare quod magnum terras complectitur imas,
H inc uariat rerum species, quæq; humida ponti
S tagna colunt, errantq; suis animalia syluis,
A emula crescenti reparant à lumine uires,
E t multo in primis implentur corpora succo.
M ox ubi decreuere ignes, decrescit & humor
I lle quidem, exhaustoq; uices à lumine pensat,
P aulatim & uacuæ lassantur sanguine uenæ.
Q uod uarij maris accessus, uarijq; recessus
O stendunt, quod frondosis in collibus arbos,
Q uodq; salutiferæ succis felicibus herbæ.
Q uàm multos etiam furijs hinc sæpe uidemus
V exari, sortemq; animo indignamur acerbam.
S æpe etiam morbo, aut dira languentia peste
C orpora decubuisse ad humum, sterniq; sepulchro.
Q uid quòd materies, uiridiq; è monte recisæ
A ere trabes, multaq; comam turbata ruina
F raxinus, Ioniumq; abies uersura profundum,
A nte diem effœtæ senserunt damna senectæ,
E xhaustasq; situ uires, ac robora clament,
C urua senescentis lunæ ni cornua seruet
A gricola, ingenti dum uellit ab arbore uallum,
E t percussa graui resonant nemora alta bipenni.
Hæc eadem aërias arceis, iunonia regna,
T emperat, idq; licet certis cognoscere signis.
N anq; ubi prima nouos remeando colligit ignes,
F ratris ab amplexu rediens, si nubila frontem

De prognosticis lunæ.

O cculuit, cornu per cœlum inuecta retuso,
P rò quantum nimbi terris, pelagoq; paratur,
Q uanti etiam sese uersent per inania uenti:
S i rutilo tum forte comam uelarit amictu,
O raq; dispersis suffuderit ignea flammis,
Q uarta dies sine nube, sine pluuiaq;, Notoq;
S pondet ad extremum constanti fœdere mensem:
S i nitidis nocturna genis, si fronte serena
I ncedit cœlo, & puro sese exerit ortu,
I psa eadem arctoo rigeat si tempora cornu,
T ristis ab arctoo uentos tibi nunciet axe.
A st alia de parte trucem tibi suscitet Austrum
T ristis ab austrino rigeat si tempora cornu.
H unc tamen ante diem si nulla effulserit, heu tum,
H eu malè iactatas defenderit ancora naues,
N i labor, & placidi succurrit dextera Phorci.
Q uid dicā, quū plena oculis rutilantibus, aut quum
N igra genas duplici circum caput abdidit orbe
H orrida nocte sua? Dij longè auertite iniquum
I mbremq; pluuiamq;, & agēteis æquora uentos.
C uius ut acceptæ uires, & cognitus usus,
T empla deæ statuere, sacrosq; ex ordine ritus,
D iscerptumq; uiri corpus, laniataq; membra,
E t multum lachrymis perfusos coniugis artus
F inxit niliacæ tellus addicta iuuencæ,
E t querulas sistra incassum percußit ad aras.
H inc etiam Graij uates ætnæia furta,

Et raptus

Et raptus Siculæ toties fleuere puellæ,
Inferniq; Iouis thalamos, lamentaq; matris
Funereæ, erratasq; diu terrasq;, salumq;,
Vmbrarumq; domos, & sole carentia regna.
Proximus at spacijs, & longè greßibus impar De Mercurio.
Accelerat Maia genitus, celer ille deorum
Nuncius, auratis nectens talaria plantis.
Hic rapidum propter solem sua plaustra reflectens
Nunc matutinos agili temone iugales
Exagitat, pelagiq; cauo caput exerit alueo:
Nunc Atlantiacæ matris memor, Hesperidumq;
Rura uidere parans, fuluumq; in frondibus aurū,
Serus obit, sero flauum lauit æquore crinem,
Et sero Herculeas linquit post terga columnas.
Sed siue immißis solem præcurrit habenis,
Seu sequitur, uictusq; terit spacia ultima metæ,
Non ipse ingenteis oras, non liber apertas
Audet adire uias cœli: Titania tantum
Imperia, & solis timet abscesisse quadrigis.
Ergo ubi ter nonas plagas, ter nonaq; mundi
Dimensus spacia, & curru dat lora secundo,
Sistit equos: mox cœptum iter, ac uestigia rursum
Nota legit, nunc ipse humilem demissus in Austrū,
Nūc Boreā, & summas pēnis petit arduus Arctos.
Et quoniam uolucri rapitur sub sydera lapsu,
Ac nunc hos innisus equis, nunc conuenit illos,
Aut Iouis exquirens monitus, & mitia iussa,

C onsilia aut senioris aui, uiolentáue Martis
I mperia, & motos sublata pace tumultus,
H inc pedibus nectit pennas, hinc iussa deorum
N uncius exequitur uario Cyllenius astro,
I tq; reditq; uiam toties, mandataq; portat.
N anq; ubi Deliacasq; rotas, Thymbræaq; propter
S igna, & Apollineos iusta comes astitit axes,
T um uates responsa canit, tum pronus haruspex
E xta notat, tunc & liquidas intentus in auras
O scinis explorat cantus, & præpetis alas.
At si nocturnam Phœben, rorantiaq; astra
E t niueæ tetigit secreta cubilia lunæ,
A gnouitq; deæ uultum, & mandata recepit,
N ec mora, digrediens monstratas excitat artes,
D educit pelago classem, secat æquora cursu,
I gnotosq; tenet portus: iam merce Sabæa
N auem onerat, redit & Tyrio spectabilis ostro.
H inc & Mercurio nomen Romane dedisti,
Q uemq; & Arabs, quemq; & Babylon Stilbonta uocasset.
A st ubi summotasq; domos, & frigida adiuit
T ecta senis, solioq; nepos acceptus auito est,
T um succos meditatur, & idæam Panaceam,
D ictamumq; legit: tum uulnera siccat, & udo
V nguine lenit agens, adhibetq; ad munera cantus.
T unc uero strepitus armorum, atq; horrida bella,
A tq; enses ac tela placent, tum uiuere rapto,
Et prædas

Et prædas agere, & discindere mœnibus urbes
Gaudet, & effuso cædem ingeminare cruore.
Belligeri quum forte ducis se ad signa recepit,
Et galea abscondit crines, & pectora ferro
Inclusit, lateriq; auratum accinxit & ensem,
Fert leges, ac iura fori, pacisq; quietos
Imponit mores, mandataq; publica defert,
Si iubeat genitor, cui ciuica munera curæ,
Et patres legere, & sanctum instituisse senatum.
At si candenteis humeros, & eburnea colla
Exeruit, placidoq; simul Cytherea petiuit
Amplexu, madidoq; recens è crine fluentem
Stillauit rorem, blandosq; afflauit amores,
Non ipse Inachiæ memor, aut fera uincla puellæ
Exoluit, tristiq; obducit lumina somno
Custodis monstri, aut torpentis ad ostia lethes
Traducit miseros per opaca silentia manes:
Sed resides cantus in uertice Cyllenæo,
Formosæ ludunt ubi festa ad carmina nymphæ,
Personat, & tenueis moderatur pollice chordas,
Ac non cedenteis queritur tam crescere curas.
Vritur, & placidum cantando nutrit amorem.
Ipse canit, teneræ cantus risere Napeæ.
Hinc felix regio, mundiq; beatior ora, De Venere
Quam lusus habitant molles, ubi segnis amorum
Militia in uacuas exercet uulnera mentes.
Ver alit æternos flores, paßimq; uagantes

Incustoditæ ludunt per gramina nymphæ.
Ocia cantantes mulcent ignaua Camœnæ.
Has inter succincta sinus, redimita papillas,
Et roseum spirans fragranti uertice odorem,
Errat nuda genu per florida prata Voluptas,
Cui uolitant flaui per candida colla capilli,
Ad frontem aurato religat quas fibula nexu.
Lætatur dea, lætanti risusq; iociq;
Assiliunt, somniq; leues, & mollior aura.
Hinc paßim liquidi ambrosiæ rorantur honores,
Stillat acidalius latè liquor. At uaga nantum
Ludit aquis, mistim pueri nudæq; puellæ,
Grata cohors Veneri, chorus & genialis amorũ.
Tum uideas amne in medio rutilare fauillas
Materna face, quas iocus hinc, ast inde Cupido
Excußit: caluere undæ, caluere natantes
Afflatu: media uehitur lasciuia cymba,
Hortaturq;, monetq; habiles agitare lacertos.
Hic aliquis puer enando dum brachia iactat
Iniecitq; manum sociæ, furtimq; papillis
Inseruit, tener ora rubor per grata cucurrit.
Hic aliqua adnanti puero dum brachia miscet,
Miscuit & femori femur, et simul oscula iunxit.
Interdum se tota cohors in flumine mersat.
Non obstat pudor audaci, aut lux ipsa pudenti.
Luditur, & placidis immurmurat unda susurris.
Emergit mox, & campis se fundit apricis,

Dona

D ona legens selecta manu, ac redolentibus hortis.
E rranteis sequitur florum dea, coniugis auræ
F lant super, & liquidis distillat odoribus æther.
Has oras, atq; hæc Gnidiæ loca læta uolucres
P eruolitant circum, & Paphij uectantur olores,
N uminis Idalij currumq; rotasq; uolanteis
Qui subeunt, molliq; ferunt per inania lapsu.
H is Cytherea suum posuit pulcherrima sydus,
Quo terræq; fretumq;, & magnus concipit aër,
E t dulceis in corde agitant animantia motus.
I psa refulgenteis auro interplexa capillos
A uroræ è thalamis, radiorumq; æmula solis
L ucem aperit, reseratq; diem mortalibus almum.
I nterdum rapidis Phœbi deserta quadrigis
E uocat oceano noctem surgentibus astris,
A dmonet & placidi per amica silentia somni.
V erum ita digressusq; suos, sua tempora pensat,
E t sinuosa means niueis secat æthera cycnis,
V t solem petat, ad solem uestigia flectat.
I psa quidem cœli undecies ubi quina peregit
M omenta, Eoo seu quum nitet aurea mundo,
O ceani Hesperias seu quum declinat in undas,
I psa umbrã in tenebris obtẽdit ut æmula Phœbes,
I psa die radios ostentat ut æmula solis,
E t lucem terris, & cœlo lumina præbet.
T antos læta suo de sydere fundit honores.
H æc decus, hæc ipsa est hominũq; deûmq; uoluptas,

Qua ſine nil iucundum animis, nil dulce fatendum.

De ſole. At medios cœli tractus, medij ætheris oram
Fons lucis ſol auricomus, ſol igneus ambit,
Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtrat.
Ipſe idem ſuperûm princeps, ductorq; choreæ,
Ad cuius numeros & dij moueantur, & orbis
Accipiat leges præſcriptaq; fœdera ſeruet,
Agnoſcant auræ imperium, maria alta tremiſcant,
Audiet & longè tellus fatalia iuſſa.
Atq; hunc, ne quà opere in tanto decor ullus abeſſet,
Præfecit luci rerum pater, ipſe nitenteis
Spargeret ut radios, ipſe ut luſtraret olympum,
Et terras ſimul, & magnas liquidi aëris oras,
Vnde dies, quiq; in ſua terga reuoluitur annus,
Atq; æui ſimulacra fluunt, & tempus, & ætas.
Hinc uer purpureum ueſtit florentia prata,
Spiceaq; hinc campis flaueſcit meßis, & ægrum
Lenitura animum, ac dulcem inductura ſoporem.
Diſtendit uacuas pinguis uindemia cellas,
Et glacialis hyems reſolutis ebria curis
Ante focum molli ſolatur frigora baccho.
Hasq; uices pater ille deûm uoluentibus annis
Eſſe dedit, quas ipſa æterno fœdere ſeruant,
Tam certos elementa ſimul retinentia nexus.

De annorũ uarietate. Atq; alij (horrendum) qua brachia pandit iniqua
Parte poli, chelasq; audacius exerit ingens
Scorpius, hinc anni primos duxere meatus,

Et primam

E t primam fecere uiam, quum partibus æquis
D imidium luci, atq; umbris sol diuidit orbem,
A c noctem paribus suspendit Libra diebus.
Ast alij sæuæ post horrida frigora brumæ,
Q uum premit auratos Nephelæi uelleris artus
P hœbus, & imbriferum rediјt uer, omnia quando
A lma parit tellus, quando omnis germinat arbos,
Q uum uiret omne nemus, resonāt quū frondea rura
C oncentu uolucrum uario, pecudesq́;, feræq́;
E xultant lætæ in Venerem, ac Tritonia monstra
I gnibus incaluere, acer furit ardor, ut ipse
H orreat indomitas Proteus contingere phocas.
At misera in scopulis, soloq́; in littore questus
A lcyone ingeminat, uocesq́; effundit inaneis
M ulta querens, exosa diem, nomenq́; mariti
S eruat auis, Ceyca uocans, Ceyca requirens,
A h miseram, rapidas repetens Ceyca per undas.
N ec uero non è summo quoq; culmine Cancri,
Q uà regnat calor ipse, & equos sol sistit anhelos,
E xtremum inuisens Ararimq́;, atq; ultima Thyles
L ittora, carceribus positis exordia prima
H inc anni fecere, alacresq́; egere quadrigas.
A t Numa frigoribus sub iniquū tempus, ubi ingens
D eclinat cœlum, & gelidum sol Aegoceronta
P ronus obit, pronoq́; petit spacia ultima cursu,
Q ui fessos instauret equos. Hinc uiribus auctus
D eserit Antipodum sedes, digressus & Austro

In Boream obuertit sinuoso calle, diemq;
Auget, & obscuras nocti iam surripit umbras,
Insudatq; sequens cliuo, atq; assurgit in auras.
Has igitur solis metas, hæc tempora seruans
Eugeria monstrante suum traduxit in annum,
Vt quæ prima noui repararet tempora cursus,
Principia hæc spacijs sua sortiretur oberrans
Annus, & ad solem firmaret signa cadentem:
Sed Phœben, Phœbesq; rotas, & plaustra sequutus
Fraternum impleuit germanæ mensibus annum.
At Cæsar solemq; sequi, solemq; tueri,
Et solem lucisq; autorem dicere, & anni,
Solis & ad metam totas effundere habenas,
In lustrumq; superuacuas concurrere parteis
Iußit, & hoc Latios inscribi nomine fastos.
Dicendum & uarijs fuerit qui gentibus annus.
Aegypti primum ueteres fecere bimenstrem,
Moxq; quater geminis complerunt mensibus: inde
Per bissena pari duxerunt sydera tractu
Arcades, at noster quot tempora continet annus,
Annorum numero censebant Arcades, antè
Iam geniti, quàm luna suos ostenderit ignes:
Tantus honos, tanta est antiquæ gloria genti.
His totidem adiunxere animis & Acarnanes altis,
Tutati ferro patriam, mox funere in ipso
Coniecere animas, & honesta morte suorum.
Italiæ licet antiquos euoluere fastos,

Nanque

N anque alium primo Romæ nascentis in ortu
I nstituit pater, & gyro breuiore coëgit.
P romouit spacium Numa. Nec Laurentibus idem,
I dem erat Albanis. Alium qui Tiburis arua,
Q uiq; Ferentina cererem metit incola falce,
E t tenuere suis, habuereq; in urbibus orbem.
Ille etiam uentos, tempestatesq; futuras,
A tq; imbres, æstusq; graueis, & frigora monstrat.
N anq; ubi cœruleo rapidum petit æquore cœlum
E xoriens, aperitq; diem natalibus undis,
S i nigram obscuro faciem uariauerit ortu
C oncauus, inq; atram condentur lumina nubem,
E t pelago, & terris uiolentior incubat Eurus,
T urbatasq; amnis in pontum deuehet undas.
Q uin etiam ut nullæ densentur in aëre nubes,
S i tamen aut hebetes radij torpere uidentur,
A ut si plus nimio torrens incanduit ardor,
C ollige uenturos imbreis. At pallida quando
A urora oceano caput exerit, horridáue inter
N ubila, diuersis rumpit sol partibus, & nunc
O bliquos effert radios, nunc pallidus ore
D elituit nimboso, heu, rupto fœdere cœlum
I n terras ruet, & sæuum per inane rotatæ
P ræcipitent nimborum acies, quæ grandine mistæ
A rboribus stragemq; dabunt, & uitibus almis,
V ix ouium ut clausos defendant culmina fœtus:
N on mihi tum nõ claustra boũ ue, armentáue equarũ

De solis prognosticis.

D ucenda à stabulis, non me extra tecta domorum
D ucet iter. Seruanda dies, quam rite serenam
S pondeat, oceani seras quum lucidus undas
I ntrarit, non nube comam, non turbidus ora,
S ed qualem Hesperio Tethys suspirat in antro.
Q uòd si tum quoq; nigranti uelatus amictu
O cciderit, siue ipse suo quanquam emicat ore,
S i tamen aut atras nubes raptauerit, aut si
P alleat, & maculæ fundant sese undiq; nigræ,
V enturam expectes pluuiam: non te optima fallent
I ndicia, & multis nota experientia seclis.
V idi ego quum rutilos aurora immitteret ortus,
I gneus aut roseo se tingeret æquore Titan,
V entorum ingenteis sudum per inane cateruas:
V idi & quum rutilus maculis inspergitur ignis,
P ræcipitem iactari undosa ad littora nauem
A mißis fluitantem armis, ac dura gementem
V erbera, & effracto nudatam lintea malo:
N ulla salus, spes nulla uiris: in uota precesq;
V ertuntur: uacat ars: miseræ exoptantur arenæ,
E t dulcis terræ exortes tanguntur amore:
T anta mole ruunt immißis imbribus Euri.
Deniq; quum rebus causas, quum semina causis
S ufficiat, grauido fœcundans uiscera partu,
N ec quicquam sine sole nouas in luminis auras
P rodierit, pater ipse hominũ, pater ipse animantũ,
Q uæcunq; aut uiridi nemorũ pascuntur in umbra,

C œruleóue secant latices, aut aëra carpunt:
H inc bissena deo soluebant uota quotannis
P hœbóq;, & Nomio, Lycióq;, patriq; Lyæo,
E t quibus ad lucos, quibus in solennibus aris
N ominibus uenerata deum officiosa uetustas,
D elion, ac Clarium, nec ficto nomine Osirim,
C onfecit certis uel qui Pythona sagittis,
S anguine fœdantem terras, uirusq; uomentem,
P lurima quæ ueteres Graiûm cecinere poëtæ.
Nanq; ubi se informis rerũ, atq; incondita moles
D igerit, inq; suas abeunt elementa figuras,
T um tellus grauis imbre, & adhuc stagnantibus aruis
F umida, anhela uagos tollebat ad æthera tortus,
I nuoluens cœlum nube, & caligine opaca,
H ic ille immanis Python, immania cuius
C orpora iamq; deos, & diuûm tecta petebant,
I psum etiam inuasura Iouem, quum Delius arcum
I ntendens tulit acer opem: nanq; agmine facto
E mittens rapidas torrenti è sydere flammas
I n gremium matris luctantem, & acerba tuentẽ
I ntorsit: stetit ille tremens: tum colla reuinctum
C entum implexa modis, centum religata catenis
A d maneis imos, atq; intima tartara traxit
V ictor, & obscura cœlum caligine soluit.
H ic Python, hæc tela dei, uictoriáq; hæc est.
Latonæ gemini partus, bina ædita Delo

Cur Apollo dicatur Pythonem occidisse.

Cur Apollo et Diana Latonæ filij.

P ignora, nunc quæ sint (paucis aduerte) docebo.
L atonam Graij terram dixere poëtæ,
L atonam dixere solum. Latonia tellus
O mnia progenuit, mater diuûmq; hominumq́;.
A tq; ubi se in proprias cœpere elementa figuras
I nduere, optatumq́; locum, & data munia obire,
I psa quidem medio mansit, sed mole liquenti
I nstabilisq́;, etiãq́; tremens, quando æquora nondũ
I n certas ierant sedes, sed corpore misto
P ugnarent, & adhuc nullo sub fœdere pontus,
T erráq; se duris urgerent legibus, ut iam
V nda solum traheret, tellus maria alta teneret.
P aulatim calor ille, deus, cedentibus undis
T elluri sese insinuat, gremioq; receptus,
F elicem partu genitricem impleuit, & inde
D ij geniti Phœbusq́; potens, Hecateq́; triformis
E mergunt. Illa acta polo interiore resedit
H orridior, glaciem spirans, & degener ore
F œmineo, minus atq; habilem sortita calorem.
A t Phœbo natura mares, animosq́;, uigoremq́;
A ddiderat. Volat acer equis, atq; æthera carpit
I ã mediũ. Stetit hinc superûm lõgo agmine cinctus,
E t pharetra insignis humeros, & crinibus aureis.

Cur dicantur Delo geniti.

Hos Delo genitos magna, magni æquoris oris
C rediderant, Delo excelsa, cui uertice summo
S plendet apex: quoties cœlo Latonia luna
E xoritur, uisitq; suum sol aureus orbem.

F luctibus hinc rapidis, tremuloq; emergere ponto
C redebant, uastoq; maris delabier alueo,
I ndulgente suis Delo cunabula natis.
Q uinetiam Ogygijs olim quum mersa sub undis
P aulatim exereret tellus caput, oceanusq;
I n sua iura, suos fessus concederet æstus,
E t tandem emicuit stellanti lumine cœlum,
T um prima ex undis, uastoq; è gurgite Delos
P rosiluit: fulsere apices, & uertice Cynthus
L ucifero, qua parte dies surgebat, & altum
S ol oriens, curruq; & equis insignis obibat.
Hunc & pastorem conuerso nomine dicunt,
Q uòd pascat quicquid sub cœli nascitur oris,
Q uodq; fores nascentũ aperit, quòd claustra relaxat
G ignentum, tenerosq; educit in aëra fœtus,
H inc Iano nomen fecere, hinc nomina Phœbo
I psa dedit species, nitidoq; in corpore fulgor.
I dem quòd uolucreis neruo stridente sagittas
T orqueat, & certo defigat uulnera iactu,
M orbosq;, illuuiemq; ferens, hinc notus Apollo.

Cur pastores Ianus, Phœbus, Apollo.

Quòd solus cœlo apparet fulgentibus astris,
S olus & immenso late loca lumine lustrat,
H inc Solem dixere patrem lucisq;, dieq;.
S ponte etiam immißis cœlo quia fertur habenis,
L iber. At Herculeo lætus cognomine, quando
D isijcit aërias nubes, lucemq; ministrat
A ëris ipse decus, decus, & sua gloria cœli.

Cur sol Liber, Hercules, Osiris, Lycius.

Quin & Threicius diuino carmine uates
Hunc nitidum Phaneta uocat, quòd surgat Eoo
Orbe recens, quòd mane nouos instauret & ortus.
Inde etiam auricomũ Aegyptus ueneratur Osirim,
Aegyptus, cui cura deûm, quòd lumina mille,
Millc micent oculis paßim radiantibus ignes.
Lyncea quinetiam quòd uis populantibus umbras
Luminibus, quodq́; & radijs fugat humida paßim,
Terrestreisq́; abigit fumos, & nubila differt.
Vt lupus insidias meditatus, pascua circum
Insectatur oues rabie ferus, & ferus armis,
Pertentatq́; aditum, & septis sese arduus infert,
Dentibus infrendens, & morsu exasperat iras.
Hinc Lycius sibi nata deus cognomina fecit.

De Mercurio & Argo.

Quin & Mercurium mutato nomine dicunt
Argum somnifero uictum strauisse caduceo
Insomnem, centumq́; oculos, ac lumina centum
Pandentem, & niueæ seruantem pascua Vaccæ.
Argus ènim cœlum est: uigilantia lumina flammæ
Aetheriæ, & uario labentia sydera mundo,
Quæ paßim multa sublustris noctis in umbra
Collucent, sed mox Phœbo exoriente perempta,
Torpent luce noua, & candenti lampade uicta
Emoriuntur, & obscuro conduntur olympo.

De Adonide & Venere.

Nec deploratum Veneri linquamus Adonim,
Venantem quem durus aper sub dente peredit.
Non illum fontes, nec amici flumina Nili

Inflectum

I nfletum uoluere. Nouus dolor attigit amnes.
S eptem illi totis ripa latuere diebus,
E t septem plenis spumanti margine ripis
E xiluere, cauo digreßi fluminis alueo,
S tragem agris, stragē & pecori, stragemq́; colonis
Q uum ferrent: miseri tantum mors angit amici.
B alsama te & myrrhæ, te cedrus fleuit Adoni,
T e lauri strata per humum luxere corona.
T er myrtus conata sequi miserabile funus,
T er radice retenta sua est, ter brachia flexit,
T er frustra lentos conata est flectere ramos.
I psa Venus postquam lachrymæ effluxere, genisq́;
D efecit liquor, & capiti coma longa reuulsa est,
T er mensem exanimis iacuit: uix deniq; quarto
L ucem hausit: uultus & adhuc suspirat amatos.
T erra etenim Solem queritur deserta cadentem,
I nuidit quem tristis hyems, cui sæuior apri
H orret cana gelu facies, cui plurimus imber
C rine madet, geminos & quum malè cōcutit armos,
D iglomeratq́; niues, & grandine uerberat auras.
N am quum Sol rebus præsit pater ipse creandis,
V t sese ad manes brumæ sub frigora transfert,
T um tellus uidua sulcos oblimat in aluo,
A c ueluti uirgo absenti quum sola marito
S uspirat sterilem lecto traducere uitam,
I llius expectans complexus anxia charos.
E rgo ubi Sol imo uictor conuertit ab Austro,

T um grauidos aperitq́; sinus, & cæca relaxat
S piramenta, nouas ueniat qua succus in herbas,
E t tandem complexa suum lætatur Adonim.

De Hebone deo.

At quam Sebethi fontes, quam cœrula lambit
P hormelle, quæq́; & Musas colit, ociaq́; ornat
P icridum, & magni tumulo tegit ossa Maronis
P arthenope, regum domus, & decus ipsa uirorum,
C lara armis, clara ingenijs, & fortibus ausis,
H æc annis florentem, oculisq́; & crine decentem
H ebonem uenerata, suos ritus, patriumq́;
I nstituit morem, & sacris iam rite peractis
V rbs Hebona salutat, agriq́; Hebona frequentant,
H ebona & referũt simul antra, & littora, et amnes.
H ic etenim florem ætatis, roburq́; iuuentæ,
E t speciem deus, & formæ dat habere decorem,
O raq́;, luminaq́;, & moderanteis corpora sensus.
S ed prius Herculei torrentia sydera monstri
S olstitio uicina domus, locaq́; edita cœli
D iffundent terris hyemem glacialibus Euris,
A ntè & conspicui summo de cardine mundi
F laua Lycaonio surget Pallantiàs axe,
A tq; diem auerso subteruehet Auster olympo,
S tabunt & cœli septem labentia signa,
Q uàm fando patremq́; hominum, regemq́; deorum
L audibus, aut meritis tollam, aut æquẽ ipse canendo.
Q uem centum celebrant aræ, quem nomina centum.
V t si quis iubare exorto Phœbeia demens

Ausit

Ausit obire oculis ora, atq; haurire uidendo,
Illicet ecce illi torpescunt lumina, & ipsa
Caligant in luce oculi: tum tempora circum
Offundit sese nubes, & fumida oberrans
Caligo, ac nigræ cœlum eripuere tenebræ.
Vsqueadeo nec fas oculis comprendere cuiquam,
Nec fando terræ decus, & decus ætheris alti,
Vnde sibi proprias ducunt animalia uitas,
Vnde trahunt nostræ cœlestia semina mentes,
Quo sine nec spirat quicquam, nec nascitur usquam,
Nec color ullus erat rebus, tenebrisq; malignis,
Et cœlum, & terras nox circunfusa tenebat.
Et iam intacta mei superat pars maxima cœpti, De Marte.
Ac mentem calor instigat: iuuat alta uagari
Sydera, & immenso propius succedere cœlo.
Magnum opus: & iam signa dei fulgentia terrent,
Armorumq; haurit strepitus, clangorq; tubarum.
Ipse deus rapidis insistens pronus habenis
Tela manu quatit insultans, acerq; cruento
Ore tonat: pellunt agili temone iugales
Exanguis metus, atq; tremor: tum ferreus ora
Terror, sanguineumq; pauor quatit antè flagellum.
Ille quidem diuis iam formidabilis ipsis.
Sed mihi digna uiro, atq; animi sibi conscia uirtus
Suadet iter, penitusq; aditus intrare repostos.
Hanc non terrisono prosternere fulmine Cyclops,
Non facibus crinem ipsa feris implexa Megæra,

N ec uis ulla queat stygijs immersa tenebris.
I lli ferratum galea caput, inclyta bellis
A tq; deûm fato maior prudentia seruat.
A t clypeo indomitum munit constantia pectus.
S tant adamante togæ, totosq; infusa per artus
T emperies, ualida sese metitur in hasta,
A ntè uigor mentem hortaturq;, animosq; uiriles
A ere ciens magno laudum succendit amore.
H ac duce Iunonis odijs iactatus iniquæ
A mphitryoniades, tot monstra ingentia uictor
F udit humi: non hunc liuentibus obsitus umbris
C ocytos, non sparsa nouem per iugera monstrum,
A ut impacatæ deterruit incola Lernæ,
Q uo minus infernosq; lacus, & opaca uideret
T artara, captiuum & supera ad conuexa referret
I pse canem. Quin astrigerum subnixus olympum,
L abenteisq; domos diuûm ceruice refulsit.
E t dubitē mente hæc complecti, & pandere dictis?
Efferus has habitat sedes deus: huic comes hæret
E t bellum, belliq; parens discordia, & iræ,
I niustum, insidiæq;, & pallida tabe cruenta
C ædes, inq; suum rabies armata cruorem.
I pse enses ac tela inter, radiosq; rotarum
V ersatus ferrum exercetq;, aptatq; ferendo,
E xacuitq; mares animos, & suscitat ira
I mplacidus. Martem hinc ueteres dixere Latini.
H unc Iunone satum nullo Ioue, patreq; nullo

Olenijs

O lenijs conceptum herbis per Cresia rura,
E ductumq́; Hebri ripis Rhodopeia ad antra
C rediderant, animi indomitũ, aduersumq́; Mineruæ
S cilicet ætherio mens est de fomite. At artus
C orporeos, molem discordi è semine cretam
I uno agitat. Ciet hæc turbato in pectore uersans
S anguinis ingenteis æstus, & colligit iras.
V nde auidus belli furor, atq; insania ferri
P ræcipitant: iacet ingenti ceu pressa ruina
M ens super: at rapidus feruet sub pectore Mauors.
H inc quondam magni tellus Iouis insula Crete,
I ónij Crete pelagi decus, inclyta bellis,
C lara uiris, capere arma, & acutum cingere ferrum
P rima dedit, curuo & spicula tendere cornu.
P ost Thraces coluere, ferum genus, aspera duro
T erra solo, gens ipsa iugis assueta niuosis,
E t prædas agitare, & opimo uiuere rapto.
H oc etiam genitore satus Romanus, & ipse
I n patrium decus, & belli sese extulit artes,
T ransgressus Latij fines, transgressus & alpes,
O ceano stetit, & Bactris sera intulit arma,
A tq; Indis, post edomiti septem hostia Nili,
A tq; triumphatos non uno ex orbe Britannos.
S ed quanquam imperij impatiens, & pectore sæuus
I ndomito, ac ruptis præceps rapiatur habenis,
I pse tamen solium solis ueneratus, adacto
C urru sistit anhelus equos: mox lora remenso

C ontorquet ſpacio,non antè ad munera recto
C onuertens curſu,quàm princeps,duxq́; deûm Sol
I uſſerit: illum adeò timet,obſeruatq́; tuendo.

De Ioue.

Iuppiter hinc ſolio longè ſpectandus ab alto
E xerit os placidum terris,& fulgidus aureo
S ydere,felices mortalibus explicat ignes.
H inc ego,ſi qua fides aſtris,aut ſi quid ab alto
A ethere cognatum noſtris in mentibus hæret,
C rediderim fas,ac leges, & iura, piumq́;,
E t rectum manare,& amicæ fœdera pacis:
C rediderim inſonteis ſcelerum,experteisq́; malorũ
M ortaleis agere: & felicibus addere ſeclis
S ecula,perpetuumq́; annos extendere in æuum.
T anta Iouis placidi clementia,ni malus atro
S ydere torpenteis Saturnus funderet ignes,
F underet & lethi cauſam infelicis, & omne
M orborum genus,& miſeræ mala plurima uitæ.
I uppiter inde pater cunctorum, autorq́; bonorum.

Iouem habitũ pro deo, pro æthere, pro aëre.

Quin uarios etiã ipſa Ioues commenta uetuſtas.
I uppiter omnipotens rerum qui ſumma poteſtas,
T u rerum ſator,& diuûm pater,atq; hominum rex.
A b Ioue principium generis, Iouis omnia plena.
I lle colit terras, illi ſunt omnia curæ.
H inc tot ſacra deo,fumantiaq́; exta ferebant,
H inc Capitolinæ dominator Iuppiter arcis,
T otq́; triumphanteis uidit de rupe Quirinos,
S anguine tingenteis aram,& candente iuuenco.

Quin

Quinetiam rapido qui turbine uertitur æther
Ignibus incandens, quiq; aëra lustrat opacum
Pro Ioue resperſas ſenſit ſibi frugibus aras.
Hic tener ille calor, tepidæq; ex ignibus auræ,
Quo terræq;, fretumq;, & magnus concipit orbis,
Conceptosq; fouent turgentia ſemina fœtus:
Dictus ob hæc late in gremium deſcendere amatæ
Coniugis, & placidam amplexu captare quietem.
Aëris ipſe etiam campos tenet: unde per auras
Fulmineo inuehitur curru, quo maximus Atlas
Intremuit: tonuere poli, atq; exterrita preßit
Corda uirûm pauor exanguis. Ruit arduus acta
Ventorum mole, ac rutilantia fulmina torquens
Alta petit, uallisq; cauas in nocte profunda
Inuoluit, nigra & cœlum caligine condit.
Tum pluuia, & largis exundant imbribus amnes,
Subiectiq; natant campi: crepitantia grando
Tecta ferit: dirum lapides uertuntur in imbrem
Infandi: proſtrata iacent armenta per agros,
Spiranteisq; uident natos ſtagnantibus aruis,
Mox uno immerſa exitio, quum montibus altis
It torrens, præcepsq; inſano uortice toaquet
Obuia, & obſtanteis annoſo robore ſyluas,
Implumesq; auium nidos cum matribus ipſis
Proruit, inuoluitq; ferarum horrentia luſtra.
Ipſe autem ſulco inſudans dum inſiſtit arator
Auulſus ſtiua, immenſum per inane rotatur

T urbine iactatus uolucri, & nigrante procella.
I llumq; & miseros sub adunco uomere tauros,
I n latus aduersi montis iacit, & præupta
V alle uiatorem resupino corpore uoluit
P ræcipitem, & latis excindit mœnibus urbes.
N ec minus interea uentis maria acta tumescunt:
A ssurgunt undæ, & montes uoluuntur aquarum
A equati cœlo: fluctuq; exterrita rauco
S axa sonant. Ecce abruptis assultibus æstus
I ncumbit pelago, atq; ingenti uortice nauem
I nfligit scopulo agglomerans, & littora complet
F uneribus miserorum, atro aut ter gurgite tortam
H aurit hians, operitq; cauo mox æquore pontus.

Vnde nata superstitio.

Qualia dum attonitæ mentes mirantur, & horror
C orda quatit, certæ nec cognita causa ruinæ,
I nuenit metus ipse Iouem: cui fulmina dextræ
A ßignant, ac tela nigris humentia nimbis,
E t cœlo resonante leues per inania currus.
H as iras Iouis esse canit longæuus aruspex:
A duersi non æqua dei portenta sacerdos
T errificat: dira ingeminat per pectora curas
R elligio: illa quidem magnorum causa malorum.
C æduntur lectæ paßim de more bidentes,
E t cadit ante aras infelix uictima taurus.
D iscurrunt trepidæ per templa adolentia matres,
M atres atq; uiri. Tum longa in ueste Dialis
T hura tenens ferit exta Ioui, flammisq; per aras
Exquirit

E xquirit ueniam, & summissa uoce precatur.
I pse nouem castis repetens stata sacra diebus.
A rtibus his metus ille deûm percreuit, & error
I nuasit miseras sub honesto nomine gentes.
Quid uexare deos frustra iuuat? Ordine certo
F ert natura uices: labuntur & ordine certo
S ydera, tam uarios rerum parientia casus.
I lla suos peragunt cursus, seruantq; tenorem
S orte datum: parent illis elementa, fidemq;
I mperij mutare timent. Sic omnis ab alto
N atura est: sequitur leges quas scripserit æther.
I pse deus læto spectat mortalia uultu.
Vltima sorte senex loca poßidet, ultimus auras — De Saturno.
A mbit, & æterno contristat frigore terras.
N igra seni facies, tardus gradus, horrida barba,
E t cani crines, & membra effœta senecta.
I ngenio tamen ipse bonus, nec inutile pectus
C onsilijs, constansq; animi, prudensq; futuri.
H ic olim, ut fama est, regnis expulsus olympi
P ost uarios tandem casus cœliq;, marisq;,
L ittore in Hesperio Thusci prope Thybridis amnē
C onsedit, laribus tum primum acceptus amicis.
H ic regem æquæuum, residemq; ad munia gentem
A rbuteo auertit uictu. Tum uomere tauros
S ubiungens, docuit tellurem inuertere, & aruis
S emina committi, quæ mox iam uere peracto
S tringeret, & fragili contunderet arida culmo.

Quinetiam scrobibus uites, sua munera primus
Committens, curuaq́; premens iam falce nouellas,
Lenæos latices, ignotaq́; pocula monstrat,
Dispersosq́; uocat populos, ac mœnia ponit.
Hinc Latium latitante deo, hinc Saturnia tellus
Dicta uiris: deus hinc Latijs, deus additur aris
Vitisator, curuam seruans sub imagine falcem.
Mos erat antiquo in Latio, ac Laurentibus aruis
Qui meritis patriam, inuentasq́; auxere per arteis,
Atq; acuêre suos ad publica munera sensus,
Vtile commenti in medium, & noua commoda uitæ,
Innumerumq́; referre deûm, atq; hos addere tẽplis.
Vt Ianum, Faunosq́;, ut quem pollentibus herbis
Fecit auem, & uarijs pinxit dea dædala pennis.
Vt geminos etiam Pilunnia numina fratres,
Vt cuius famulata domus pinaria sacris,
Et carmentali tribuit quæ nomina portæ.
Purpura quinetiam ad summos ubi uenit honores,
Ambitioq́; caput cœlo intulit, hinc Hadrianos
Et Neruas, hinc Cæsareæ tot numina gentis,
Et coluere quidem, & templis posuere dicatis.
Heu rerum ignaræ mentes, ignaraq́; ueri
Pectora, quid simulacra iuuant? quid luce carentũ
Corpora? & incensis pacem tot poscere ab aris?
Vnus enim sator est rerum, qui cuncta gubernat,
Quẽq́; oculis neq; cernere erit, neq; tangere palmis,
Sed tantum mente inuenias: nanq; arduus imas
Despectet

D espectat nubes, & cœli culmina pressat
C uncta regens: nã cũcta tulit longè optimus autor
P erfectorum operum, & rerum causa una bonarũ.
H uncneq; marmoreis renitentia templa columnis,
N on auri preciosus honos, non Indica concha,
N ec quæ Phidiaco spirant simulacra metallo,
A ut tauri ante aras fusi ceruice cruores:
S ed precibus ieiuna pijs, & conscia recti
M ens placare queat facilem, paruoq́; uolentem
M unere, si qua pij summittunt thura Sabæi.
S ed nos incertum spacijs dum currimus æquor,
L ongius euehimur uento rapiente per altum.
I am portus capere optatos, & cedere fessum
A ura iubet, littusq́; sinum conuertere ad ipsum,
S yderaq́; alta sequi, certosq́; intendere cursus.
Prima igitur niueis Phœbe Latonia bigis
I nuehitur: post hinc ales Cyllenius altis
E xcurrit spacijs, iuxtaq́; Erycina canoras
I ungit aues, cui blanda comes fert lora Voluptas,
D iuinum stillans rorem, ambrosiamq́; capillis.
Q uadrijugis hinc uectus equis sol igneus ambit,
Q uem procul insequitur rutilanti sydere Mauors.
P òst felix cœli sydus Iouis emicat ignis.
V ltimus extremo torpet Saturnus in orbe.
H ic propè ter denis mundum uertentibus annis
A mbit, & in parteis quas liquerat antè reuertens,
P ercurrit tardis cœli momenta quadrigis

P allidus,ac duros affert mortalibus annos.
C lara Ioui facies,ac lumine ſydus amico,
B iſſenisq; annis biſſena relabitur aſtra.
B is cererem legit meſſor,bis uinitor uuas,
D um bis ſex rutilus percurrit ſydera Mauors,
M auors arma ferens,& triſtia crimina belli.
T hymbræas pauloante rotas Venus aurea metam
A ttingit, cupidas acuens in pectore curas,
S iue diem læto ſecum fert roſcida uultu,
S eu noctem Heſperijs decedens ſuſcitat undis.
H anc curru properante celer Cyllenius anteit,
I pſe quidem ad cauſas,& linguæ promptior arma.
T er denas iter aſſuetum Latonia nocteis,
N octeis atq; dies,& menſem peruigil errat,
D um ſolem rurſum aſſequitur,nouaq; aſtruit orſa.
O ceanum interea alternos auctura per æſtus,
V iſura & blando creſcentia ſemina uultu.
S ed quanquā properare uiam iuuat, ipſa relicto
A ethere(cogit amor)per amici deuia Latmi
F urtim ſaxa petit,complexus inter amatos
A ttrectare ſuis tenerum Endymiona lacertis,
N on tamen auſa uiri mollem turbare quietem.
Lunā ex ſe non lucere.
Sed quanquam uario fulgent quæ ſydera mundo,
Q uæſitū eſt,num luce quidem Phaëthontide fulgent,
A n proprios natura illis indulſerit ignes.
N on dubium quin Luna notho ſplendore per auras
R aptetur,minuatq; ſequens,fugiensq; rependat

Luminis

L uminis alternos haustus, fraternaq́; rursus
O ra fouens, nullos terris diffundat honores,
A t proculè regione means, tum deniq; toto
O re uomit flammas, & luce refulget honora.
Et quanquam uarias mutat tamen una figuras,
N on unquam medio magis, aut minus emicat orbe.
N am quum desertas amisso lumine terras
N ulla fouet, tum plena dijs cœloq́; ministrat,
T um quoq; prætumido suspectat sydera uultu,
Q uum noua curuatos reparando colligit ignes,
S ydera dum terrasq́; æquata fronte tuetur,
O rbe micat medio, mox curuo sydera cornu
S uspiciens, tumido spectat mortalia uultu.
T um nullis cœlum radijs, nullo ore tuetur,
P lena ferit tremulis quum stagna liquentia flammis.
H inc superis cœloq́; datur quod demitur orbi.
E rgo aliena fouens inopaco lumina semper
C orpore Phœbea nusquam de lampade fulget,
C orpore non medio, non plena lucida fronte.
S ed specie tamen alterna, ni forte sub umbram
I nciderit terræ, atq; hinc luce laboret adempta.
Quæ quoniam uolucri fertur sub sydera lapsu,
A estiui tam sæpe premens caua tergora Cancri,
N imbosum tam sæpe etiam delata sub Austrum,
I ncandens tam sæpe æstas, ac frigida bruma
I nstaret, sortita suum si Luna calorem,

Lunã semper mediã lucere.

Cur Lunæ propriũ lumen non sit tributum.

Proxima natiuis succenderet ignibus arua,
Aut longinqua neget proprium procul acta uigorē,
Vnde maris certi accessus, totidemq́; recessus?
Vnde & perpetuo manantia flumina cursu?
Aut alimenta trahant gignentia? quæ pater ipse
Prospiciens, lunam obscura ferrugine tinxit,
Cœruleos moderantem æstus, liquentiaq́; arua.

De Lunæ maculis.

Quinetiam licet atra genas, & opaca per ora
Pallor eat, tamen interior qua cogitur orbis,
Densa situ magis, & scabra rubigine sordet.
Ergo & quũ Solē aduersum se agit undiq;, & ipsum
Impleuit radians Phœbei luminis orbem,
Qua squalet parte, atq; horret caligine, densas
Obducit maculas, & se sua reddit imago.
Aerea qualis ubi clypei fulgentis ab ipso
Sole repercussa est, aurato fluctuat orbe,
Clara aciem flammis, & luce corusca decora.
Verum si qua tamen nitido super ære resedit
Scabra situ, turpisq́; atra rubigine labes,
Stat maculis obducta aciem, stat squalida uultum,
Non Phœbi radijs, non ulli peruia flammæ.

Cur stellæ scintillent, Planetæ uero minimè.

Præterea cur sola acies immota deorum
Cernitur? obtutuq́; hæret defixa sub ipso?
Quum tot, & illa quidem sidentia signa, micanti
Scintillent radio, tremulusq́; internatet ardor?
Scilicet alta illis regio, sedesq́; repostæ.
Quò postquam aduenit defesso lumine uisus,

Defessus

Defessus tremit ipse, tamen tremere ipsa uidentur
Astra: micant radij, sed lumina nostra tremiscunt.
At contrà uicina deûm statio, ardua quanquam,
Prospectu facilis tamen, atq; immota tuenti.
Quò penetrans stat certa loco, insistitq; uidendo
Nostra acies, fixisq; oculis immobilis hæret.
Plumbea si acta manu balearis pondera fundæ
Concipiunt malè gratum ignẽ, flammisq; liquescũt,
Si ferro præfixa, & neruo impulsa sagitta
Aëra per uacuum, ignescitq; , ardetq; uolando,
Quid mirum, circunfusus si candeat aër
Percitus æterno motu, atq; urgentibus astris?
Principijs uero ex illis constare uidentur
Sydera, & ætherium inde olim traxisse uigorem,
Quà uolitant, rapidaq; polum uertigine lustrant,
Et celeri bijugum cursu uectantur equorum.
Quæ postquam facili perfecit singula nutu
Ille opifex rerum, & mundi inuiolabilis autor,
Concilium uocat, & superos arceßit olympo.
Est procul immensi regio latè ardua mundi,
Non homini explorata, humano aut cognita sensu,
Hic sedes augusta dei, si quando uocatis
Dat leges superis, aut publica munera tractat.
In medio sedet ipse: astat Sapientia dextra,
Hinc Amor, & solio resident tria numina in uno.
Sub pedibus natura potens, tempusq;, locusq;,
Et uarians fortuna, atq; immutabilis ordo.

De motu ignem excitari.

Quibus è principijs constent stellæ.

Deorũ concilium.

I nde alij proceres, & conuenientia latè
N umina, & incessu iam tum grauiore notatus
A egocerontei referens spolia inclyta monstri
S aturnus, gratam senior iuxta astitit urnam,
S aturnus, cui cana coma, cui sordida uestis.
Quē iuxta pharetram incinctus, uolucreisq; sagittas,
L ætus Achemenio consedit Iuppiter arcu,
S quamea cui geminis horrescunt baltea monstris.
H inc Mauors rigido crispans hastilia ferro,
S uspenditq; nepam galea, conoq; minanteis
L ibrat agens chelas: tum cornibus acer aduncis
A sperat, & clypeo pugnas meditatur aheno,
E xcussatq; Aries caput, & pede proterit auras.
T um uoce & cithara gratus, nitidaq; iuuenta,
H orridus idem etiam pharetra, spolioq; leonis
P hœbus adest, Phœbiq; comes Lux aurea, cuius
M unere non tenebras superi, non nubila norunt.
A t Venus auratis humeros armata sagittis,
C andentemq; manum flammis, licet editus esset
N ondum amor, urenteis iam tum meditatur amores,
I am tum sollicitis animos incendere curis.
A tq; illi uario radiabat candida limbo
V estis, & in molli surgebant lilia prato,
E t quot uere nouo tellus parit alma colores,
I nter quos tenerum niueo candore iuuencum
V rit amor, nunc ille notos, atq; aëra captans,
H eu malè dilectos queritur desertus amores,

Nunc

N unc mœret uiridi infelix proiectus in herba,
I nterdum ingenti frondosa per auia saltu
P roripitur, sequiturq; inuentā fortis amicam
I am uictor, mox uictus & exspes: hinc latet antro
A bditus, & miseras rumpunt spelæa querelas.
I psa autem media diuorum in parte resedit
A utumnus, paribus, qua tempora diuidit, horis.
V irginis hinc facie insignis flauoq; capillo
M ercurius, geminæ nectunt talaria plantæ.
I pse puer lætus studio, & puerilibus annis.
A c tandem rapidis uelox Latonia bigis,
A lba genas, niueæq; nitens in uellere lanæ,
C andida subrutilis redimita monilia cancris.
E rgo ubi conuenere, animisq; opibusq; parati,
Q uales iußi aderant, intentiq; agmine longo
E xpectant signum, atq; alacres præcepta capessunt.
T um genitor solio placidus sic cœpit ab alto.
Cuncta equidem, ô superi, placuit quæcunq; creaui,
S ic uolui, nec nos unquam fecisse pigebit.
A utorem illa suum referunt, nec defuit illis
I pse opifex: operi decor & præstantia iuncta est.
E st rebus sua cuiq; fides, est & locus: ignem,
E t terras ieci primordia, quæ tamen inter
A ëris immensos campos, Neptunniaq; arua.
Q uo sibi perpetui constaret machina mundi,
C ongeßi, mundumq; æqua compage ligaui
N exibus alternis, & amico singula uinclo.

Vos autem cœli meliore in parte locaui,
Aetheriumq́; dedi insonteis habitare recessum.
Nam quanquam geniti, & cœptis mortalibus orti,
Nascendiq́; uices, & iam reuocabilis ordo
Obsistunt: at nostra illis pollentior est uis,
Non rerum causis, non ulli obnoxia fato.
Nunc igitur quæ certa manet sententia menti,
Accipite, & quæ sit reliquis mihi cura creandis.
Absoluenda quidem mundi inferioris imago,
Quando etiam generis rerum tria semina restant,
Nec manibus tractare deûm mortalia fas est.
Quare agite & celeres quamprimũ ascendite currus,
Aggreßi mortale opus, & genus omne animantum,
Aërias celebrate plagas, ferite æquoris undas,
Tellurisq́; sinus grauidos, ut ne qua peracto
Pars operi, aut rebus desit pater ipse creandis.
In primis teretes hominum fingentibus artus
Artificem nauare operam, tum condere membra
Cura sit, ætherios diuini seminis haustus
Apta haurire, animos cœlesti è fomite ductos.
Hi fundare urbes populis, hi ponere iura,
Addere & imperio fasces, dare nomina rebus,
Assuescant rectumq́; sequi, atq; offerre periclis,
Et pugnare malis, & honesto uiuere parto,
Atq; inopes rerum casus superare ferendo,
Dum fluidum soluetur opus, dum carcere laxo
Iußi sydereas cœli reuocentur ad arces.

I nterea altrices operas, uictumq; uolentes
F undite, & ingenteis animos accendite laudi,
R ectorē ut noscant superûm, patriamq; requirant,
E t genus, & cœli sursum templa ardua cernant,
A utorisq; sui memores, iustumq;, piumq;
S eruent, & placidos discant non temnere diuos.
S ic placitum, sic nostra fluant certo ordine fata.
D ixit; & ingentem nutu concußit olympum.
Illi præcipites liquidum circum æthera lapsi,
I ussa obeunt, uerruntq; rotis properantibus auras.
N ec mora, uestiri colles, & roscida prata,
I nnariq; aër pennis, atq; æquora caudis,
Q uadrupedum & resonare graui sola cōcita cornu:
F agiferæ uiridante iugo, uiridantibus alpes
V allibus, & uiridante cacumine Caucasus ingens
L ætatur, furtis olim doliturus iniquis.
I llicet ecce caput uiridi circundat amictu
A etna, giganteæ dolitura incendia pugnæ.
I llicet umbrosis uestita est uallibus Ida,
I da graueis Troiæ deploratura ruinas.
F rondet Athos, frondetq; iugis immanibus Oeta,
H erculeum uisura rogum, creberq; Erymanthus
I licibus, longaq; coma spectabilis Hæmus.
O stentat Rhodope comitanteis Orphea syluas,
O rphea mulcentem tigres, & carmine lyncas,
S ed non fœmineos moderantem uoce tumultus.
M ænalio stupet in saltu, dum increscere cornum

Generatio rerum inferiorum.

N on sensit quercu sese frondere Lycæus.
G argano in magno, in nimbifero Apennino,
D um crescunt tiliæ, atq; orni, dum uertice Pindi
S urgit acer, pinu interea se sulleuat alta
P elion, & latè pelago sua signa minatur.
I am uideas canentem oleis frondere Taburnum,
A sinios simul & colleis, Clitunniaq; arua,
I amq; Cybelæis undare & Dindyma syluis.
P ampinea caput Aenaric, bijugusq; Vesceuus
F ronde tegunt, tegit & piceæ se Sila sub umbra.
A c buxo uarius nectit sibi serta Cytorus.
Proueniunt latè campis cœlestia dona,
P lurima nux, & pruna rubentia, & aurea ramis
M ala, & odoratis non indecor arbutus hortis.
I ngenteis patulæ ramos, ingentia sursum
B rachia porrigere, ac radice in tartara ferri,
E t cerasi, palmæq;, & lotos amica Lyæo,
A tq; in sanguineam morus pòst uersa figuram,
C œpere, & mensis sorbus placitura secundis.
E rumpuntq; solo biferæ, atq; cydonia canis
F rondibus: erumpunt sudanti balsama ligno,
P unicaq; & fragili nitens in stipite præcox,
A c de textilibus pendentia citria ramis,
C itria quæ semper (uisu mirabile) uernum
S pirant flore decus, semperq; nitentia gratis
F loribus ac fœtu, æternáque uirentia fronde,
C itria amalphæis latebra haud incõmoda Nymphis.

Cœpere

C œpere & uirides mirari flumina ripas.
C anenteis Vfens salices, & flauus arena
P opuleas Thybris frondes, quiq; æquora findit
G allica, quondã etiã lachrymas Phaëthontis amati
E ridanus misturus aquis: miratur & almum
N ar præceps, frondentem almum: miratur & ipse
C æruleus Liris, tum cinctus arundine crinem
V ulturnus, flammasq́; deûm sensurus Enipeus.
S ensit odoratos Indus subolescere ramos
C æruleo cum Gange, cauo & caput extulit antro.
S ensit thuriferum latè nemus altus Hydaspes,
E t sua Orontea senserunt cynnama ripæ.
D um Tagus aurifluo uectatur gurgite, & undis
I n mare rumpit Anas sullato lumine uterq;
P yrenes scopulis uiridantia robora latè
P rospiciunt uariare comas, admotaq́; cœlo
I am nemora, & densos per saxa rigentia taxos.
E cce sub hæc uaria sese Tagus intégit umbra,
I pse & Anas uiridi ripas uestitus amictu,
F rondenti uehitur per flumina summa phasclo.
H aud illi inuidit Sicoris'ue, aut cultor Hiberus
G entis Iulææ: quin quà uagus æquora findit,
H ic choreas agit, & præcinctus arundine frontem
G audet agros, gaudet lenæo palmite terram
H esperiam frondere, & alescere uitibus ulmos.
Q uid frondes Penee nouas mirare? quid umbras,
E t lauros? uisure deum per pascua lætas

D ucere oues, miserosq́; caua testudine amores
S olantem, teq́; & Daphnen per prata uocantem,
V isure & patrijs natam frondescere ripis,
T endentemq́; manus, & flumina nota precantem,
C andida dum subitus serpit per pectora cortex,
A h miserã, & uiridem ducunt dum membra rigorẽ.
I nterea colles florere, uirescere ualles
I ncipiunt, latè & folijs mollescere rura.
V er halat, zephyris mulcent spirantibus auræ,
C hloris odorato deuecta per aëra curru,
L ætata & uarias nemorum increbrescere frondes,
S pargit humi uarios, fertur quacunq;, colores,
Q uaq́; mouet gressus surgunt uiolæq́; rosæq́;,
C oritijq́; croci, atq; immortales amaranthi,
C andida nec niueis cessura ligustra pruinis.
I psæ etiam Charites socio simul agmine fundunt
C ertatim illa thymum, roremq́;, & molle cyperon,
H æc casias calthasq́;, hæc & uacinia nigra,
N arcißi & lachrymas, hyacinthi & nobile gramen,
E t thymbram, & quot nũc tellus fert dædala flores.
I pse deus læto spectat sua munera uultu.
T um maris horrisoni fluctus, liquentiaq́; arua
N eptuni pecus, & squamoso corpore pisces
I nsiliunt. Alij scopulos & littora paßim
C urua petunt, alij pelagusq́;, atq; ima profundi,
A ut tendunt Scythici mæotica ad hostia ponti,
I nfidum genus, in fraudem, prædamq́; paratum.

E rranteis paßim, & nullo custode uaganteis
C œruleus longè Nereus uidet: aduocat udum
P rotea, qui socias acies, socia agmina iungat.
E t statuit pastorem. Illi data signa sequuntur,
I pse agit erranteis ad pabula, & ipse reducit
I nde domum, clarum è specula dat buccina signum.
Aëra quinetiam pictæ petiere uolucres,
A rmatæ accuruis rostris, atq; unguibus uncis.
I psæ iter intendunt pennis, & cantibus auras
D emulcent, tectæ nemorum uariantibus umbris.
N ullæ illis certæ sedes, connubia certis
T emporibus, tunc tecta locant, tunc figere nidos
C ura subit: mox oua fouent, ac pignora curant,
A tq; ædunt teneros plumoso corpore fœtus,
O ptatasq́; ferunt aut ore, aut unguibus escas.
F atidicos auium cantus, alasq́; futuri
P ræsagas dixere, neq; aut sine numine diuûm
T endere iter pennis, læua, dextráue ferantur,
A ut canere, & uarias è ramis ædere uoces
N octurnas, seu de tectis ululare querelas.
Cernere erat longum in campis depascier agmen
Q uadrupedum, sociosq́; greges in pascua ferri.
V nà ingens bos, unà ariesq́; & setiger hircus
C ornibus armati frontem, & pede fortior ibat
A cer equus: iam tum insidias, & dura timentes
A rma lupi, & rabiem sæuorum, irasq́; leonum.
D iscordes brutorum animæ, atq; auersa uoluntas,

Discordi quoniam fuerint è semine creta.
Hinc pars indulgent herbis per pascua læta,
Aut latis quærunt syluis Dodonida quercum.
Pars altis in speluncis per deuia lustra
Inuigilat parto, & prædas agit ore cruento.
Pars repit terræ occultis armata uenenis.
Parcendi studium nullum, nec cura futuri.
Sola hyemi metuens latebroso pumice condit
Triticeos populata hominum formica labores.
Idem amor, atq; apibus eadem experientia parcis.
Sed nec agros populare palàm, aut incũbere furtis,
Quum iuuet è proprio uitam tolerare labore.
Iustitiam norunt solæ, & seruare pudorem.
Aequales cunctis operæ, studiumq́; parandi.
Mane nouos adeunt flores examine denso,
Cœlestemq́; legunt rorem, atq; in tecta reportant.
Mox uacuis stipant cellis, ut nectare largo
Ignauas ducant hyemes, & frigora temnant.
Quinetiam tempestates, & sydera norunt,
Armatæq́; repentinas uicere procellas
Pendentis saxi molem ad caua crura ferendo.
Vsqueadeo referunt diuinum à stirpe uigorem.
Has pater è summi despectans uertice olympi,
Miratur tenueis animas conamine tanto
Nunc fundare urbeis, aditus, ac mœnia latè
Munire, & multo portas custode tueri:
Nunc aliam natis patriam monstrare parandam,

Immunes

I mmunes operum reges dare iura uocatis
I n populis, illos iandudum astare silentes.
Vltimus erupit grauida tellure creatus De homine
S æpe puer ingenti, sed corpore debilis ipso,
N udus, inops, quem dura solo suscepit egestas
E ductum folijs herbarum, & cortice crudo,
A ut corno, aut si quam dederat Dodonia glandem.
M ox umbras nemorum captare, aut sicubi montis
E xesi specus, hic æstus & frigora primum
V itare, & subita se à tempestate tueri
M onstrauit, tectum stipulis, cannaq; palustri.
S emina quinetiam siccis hærentia culmis
H erbarum passim lecta, & seruata per annum
C ondere poma, nucesq; hyemi signare repostas,
F ormica monstrante, cauis dum condit in antris.
I psa dies, multusq; labor docuere colendo
N aturam in melius formare, & peruigil usus.
Ecce autem è medijs terræ fornacibus ignis, Ignis inuentio.
S iue ille excussus cœlo pugnantibus Euris,
S eu silicis uenis manus extudit, arida circùm
C orripuit fomenta, leuiq; impulsus ab aura
S uccensos ramos flamma crepitante cremauit,
E t lux frondosa nemorum diffulsit in umbra.
E xtimuit primo flammas ignobile uulgus.
P óst ubi subsedere ignes, & fulgidus ardor,
C ognitus & tandem diuini muneris usus,
E xcipitur dextra fumanti stipite carbo,

Inferturq́; focis, tenebras & frigora noctis
Qui foueant, calidisq́; assent & uiscera prunis.
Paulatim quoq; diuersos idem ignis in usus
Transfertur, donec liquidum explorare metallum
Cogitur, atq; nouis ferrum expumare caminis.
Hinc marræ, curuusq́; bidens, & uomer aduncus,
Quîs terram uertêre, atq; edomuere colendo:
Hinc falces curuæ, atq; ærata fronte secures,
Robora quîs, tiliæq́; leues, & fraxinus ingens
Excisæ, primas domibus fecere columnas,
Et statuêre nigris angusta mapalia tectis.
Ex illo cœtusq́; hominum, atq; frequentia cœpit.
Vrbibus hinc positis statuunt connubia, & æquas
Describunt leges, & dijs sua templa dicarunt.
Mille artes, rerumq́; dehinc commenta bonarum
Creuere, & laudum acceßit generosa cupido.
Sulcatum mare nauigijs, & sydera cœlo
Quæsita, expressumq́; cauis è montibus aurum.
Tum rerum causæ inuentæ, tum copia fandi
Extulit os, mouitq́; foro popularia bella.
Tum canere heroum laudes, & fortia facta
Pierides cœpere, æternumq́; addere carmen
Laudibus, æternamq́; in secula condere famam.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI, Vraniæ, siue De stellis, ad L. Franciscum filium, liber secundus.



N unc age syderibus quæ sit natura mouendis,
N ate hauri, cœliq; situm patre sub duce nosce,
E t quis cuiq; locus: neq; enim pars ista docenti
I gnota est, nec Musa nouum instaurare laborem
F essa negat. Da thura puer, tumulumq; parentis
S parge rosa. Vos Minciadæ, uos ô mihi manes
E ste boni, fluat ut liquidis è fontibus unda,
G rataq; uicinis spiret de uallibus aura.
Principio cœlum, ac cœli pars extima circum
S ponte sua uehitur, primoq; oriente profecta,
O ceani Hesperios amnes, solemq; cadentem
T endit agens: hinc præcipiti uertigine mersa
E oos rursum, Nabathæaq; regna reuisit.
Quam contra obliquo surgunt pugnantia nisu
A stra deûm, uarijsq; agitant sub legibus orbem.
A c licet ingenti retrorsum agitata ferantur
T urbine, & aduerso trudantur uicta repulsu,
N on oblita sui tamen obliquantia tendunt
A duersum, tandemq; rotis uictricibus acta
C ontingunt, propriam certo post tempore metam.
N onne uides Lunam ut quarto sese extulit ortu

De motu cœli & planetarum.

Oceano properare? dehinc ubi septima cœlum
Lustrarit, uadentem alti per culmina mundi?
Donec ab Eoo uictrix effulsit olympo
Plena animis, plena & radijs, atq; æmula Solis.
Nec uero errantumq; acies, & sparsa deorum
Agmina, constanti peragunt sua munera cursu.
Sed nunc promotis incedunt greßibus, & nunc
Versa pedem referunt, modò declinantia in Austrũ,
Et modò Hyperboream cursu surgentia in Arcton.
In medio Sol ipse deos moderatur, & æquis
Paßibus incedens, fluitantia tempora pensat,
Disponitq; uices rerum, nectitq; futura.
De Zodiaco. Hæc plaga circuitusq; ingens, flexusq; deorum
Bissenas patet in parteis, ac tramite lato
Obliquat sese in Libyen, unde horrida bruma
Aduentat: secat hinc medium curuatus olympum,
Qua de parte nouum spirat uer: inde uolutus
In Boream, unde æstas flauentia demetit arua,
Conuertit rursum in medium sinuatus Olympum,
Autumnus, paribus, qua tempora diuidit, horis.
Hinc iterum in Libyæ sitientis flectit arenas.
Atq; hunc obliquis circundare flexibus orbem
Iusserat ille hominum, diuûmq; æterna potestas,
Quo uariæ rerum species, quo tempora rebus
Certa forent, obstringat hyems, uer stricta relaxet,
Concoquat autumnus quod & antè coëgerat æstas.
Quin & bissenis paßim uariata figuris

Signa

S igna uehit, pictoq; micat zona aurea textu,
Z ona Iouis monimentũ ingens. Hæc munera quondã
V raniæ pater ipse dedit, quo tempore leges
P onebat superis, arcanaq; iura ferebat,
T um natam dictis, ac munera laudibus ornat,
M ulta docens. Splendent latis noua cingula bullis
F ulua auro, nitida argento, ac radiantia gemmis.
I lla patris monitis, & tanto munere læta
I ncedit cœlo, ostentans memorabile donum.
E cce uidet fortunam unà, atq; urgentia fata
P er uarias errare domos, nullumq; tenere
C erta locum. sperniq; patrem ac mandata tonãtis.
I llicet explicuit zonam, atq; innexuit arctè.
F ataq; fortunamq;, & nodo inclusit aheño.
I nde manent infixa locis quæ balteus ambit
S ignifer, & stabili custodit fibula nexu.

De Ariete.

Primus ab æquali surgit nepheleius ortu,
O stentatq; auratum Aries de corpore uillum,
I ngenti latè tergo, atq; ingentibus armis,
I n pedibusq; micant ignes: micat igneus ore
F ulgor, & ardenti meditatur prælia fronte
B ellator quadrupes. Stant fuluo armata metallo
C ornua, & Hellææ apparent uestigia dextræ.
V ectabat Phryxumq; unà, Phryxiq; sororem,
I nsignisq; auro, & uillis maria alta secabat.
A urea per fluctus splendebat lana tumenteis,
C œrulaq; aurato rutilabant æquora cirro.

R adebant niueas undosa uolumina plantas.
I lla timens, udo plantas subducit ab æstu
A ura leues, leuis ipsa, sinus implebat. At illi
P ectora candenteis nudant exerta papillas.
D umq; aries sese attollit, dum subijcit undis,
N unc mutat uarios infelix ore colores,
N unc effusa comas, miseræ succurrite, clamat,
N ereides, si qua est pietas, si numina possunt
V estra aliquid, cohibete undas, & porgite dextram.
C lamorem excepere deæ. Tum candida Drymò
E t faciem miserata, & primos uirginis annos,
L abentiq; manum insinuans comitatur euntem.
A c placido sermone leuat. Mox cœrula Tyrò,
F lauaq; Laodice, Panopeaq;, Cymothoëq;,
E t Tysbe, & niueo conspecta Peloris amictu,
P uniceoq; sinu Xanthò, exertisq; papillis
N ysæe, longaq; coma spectabilis Atte,
A tteq;, Opisq;, Orithyiaq;, Thespioq;,
E t niueis Galatæa genis, Arethusa lacertis,
S altantes circumsistunt, & cantibus auras
P ermulcent. At blanda Hyale non lumina torquet
A puero, Phryxiq; oculis immobilis hæret,
P ertrectatq; sinum, & pietatis imagine iungit
O scula, marmoreaq; onerat ceruice lacertos.
V ritur, & medijs feruet malesana sub undis.
H is ducibus spumosa aries freta celsus obibat
C orniger ipse auro, & gemino uectore superbus.

At mater

At mater læta è cœlo prospectat eunteis,
Quā tamen & monstra oceani, & fraus insita pōto
Sollicitant natis metuentem: ea nube propinqua
Auxilium parat, & casus timet usq; futuros.
Ecce ingens undante salo latè obuia celsum
Phoca caput, totaq; extans ceruice per aurasq;
Huc illuc oculos uertens attollit, & ipsum
Ore uomens pelagus, fluctus ad sydera iactat.
Spumescunt auræ, pontusq; dehiscere uisus,
Et lux nimbosa undarum nigrescit in umbra.
Obstupuit subito monstro, atq; horrentibus undis
Assuetus terræ quadrupes, pauitansq;, tremensq;
Obuertit sese in gyrum, mox rursus in altum
Prouehitur: rursum ante oculos sese obijcit atrox
Bellua, & immani fera guttura pandit hiatu.
Ille iterū in gyrum insinuans, & ab æquore tractus
Affligit scopulo latus, atq; exterrita uirgo
Excutitur dorso exanimis, quam sedula nymphe
Sulleuat, & dictis pauitantem hortatur: ibi amens
Apprendit cornu dextra, tenuitq; prehensum.
Quoq; æstus magis ingeminat, tanto arctius illi
Nititur, & geminis innodat cornua palmis.
Ter fluctus cauti illisit, ter cornibus hærens
Substitit, ac ter nisa manu se à caute recepit.
Viribus hinc defecta suis, excussaq; cornu
Labitur, & surdas fluitans deplorat ad undas:
Nec reuocata potest miseræ dare brachia mater.

E xceptamq́; sinu Drymò, ac solata dolentem,
I n uitreas defert sedes, ubi molliter udæ
N ereides ducunt choreas, pars fila remißis
D educunt digitis, tenui pars pectine telas,
A ut picturatas uariat subtegmine uestes
O ceano magno, & Cyaneo Euxino.
H anc pòst uitigenæ spaciantem littore Naxi,
C arpentem uarios operosa in serta colores,
N ereus impleuit, quo partu Pæona magnum
P rogenuit, latas Ister cui subdidit urbes.
Q uin formæ ob meritum regno donauit aquarum,
V nde hodie rapidus nomen tenet Hellespontus,
N on ingrata quidem miseræ solatia matri.
A t postquam aurato ditatum est uellere Colchos,
Q uadrupedemq́; suum cœlo Mars intulit alto,
A c superi & formam, & monimenta ingentia facti
M irantur, sed & ante alias miratur Apollo
T ergaq́; ceruicemq́;, & pectora lata, pedesq́;
A urigeros: stupet in primis ingentia fronti
C ornua, quîs pueros pelago indignante tulisset.
T um placido Iouis assensu fulgentibus astris
I llustrat: micuit stellato uellere dorsum
L anigerum, micuere aures, ceruixq́;, pedesq́;
V nguifidi, ac rutilo scintillat lumine cauda,
V enterq́;, & caput igniferis sub cornibus ardens.
Q uaq́; manus teneræ cornu strinxere puellæ,
H ac geminum accendit candenti lampade sydus,

Atq;

A tq; annis aperire uiam per ſecula iußit.
I pſe nouis lætus ſtellis, & uellere diues,
H oc ſolium ſibi conſtituit, quo rite quotannis,
D um rerum generi atq; hominũ, dum conſulit orbi,
E t dicit leges naturæ, & iura recludit.
H æc ſedes, hæc eſt generoſi regia Martis.
H inc pugnator equos, armatq; in prælia dextram.
I pſe Aries quanquam ſtabulis aſſuetus & herbæ,
S ectaturq; uagi paſtoris in agmine ſignum,
N on minus ingenteis animos, ac regia iuſſa
P ræ ſe fert, campoq; audax inſultat aperto
B ellator, cornuq; ferox defertur in hoſtem,
D uraq; ſub molli meditatur prælia lana.
S ic Mauors iubet armipotens, princepsq; deûm Sol.
Hinc quibus effulſit naſcentibus aureus Helles
C orniger, & primo radiarunt uellera cœlo,
H os animi uigor inſignes, hos libera corda
A udaces reddunt effando, & recta monenteis.
I mperioſa uiris maieſtas: hi ſua plebi
D eſcribunt iura, & populo dominantur, & urbi,
Q uiq; ipſi norit parêre, & ducere, & alta
C eruice excußiſſe iugum, atq; odiſſe nocenteis.
I nconſtans uitæ tenor, & mutabile pectus,
E latum tamen, at cupidum rectiq; probiq;,
Q uod facilè ingentes uerſent iræq; minæq;.
E rgo & contemplare oculis, metitor & alto
V adenteis cœlo dominos ſigniq;, lociq;,

E t ſolij, & cui terna uenit per ſigna poteſtas.
H i tibi naturæ leges, præſcriptaq́; ſigni
O ſtendent, quodq́; ingenium, & uis inſita cordi,
Q uidq́; Aries oriente loco præſtetq́; negetq́;.
T e cœli rimantem oras, & fata domorum,
N atalemq́; locum ſigni ſurgentis, & ortus
L uciferos, licet uſq; deos, licet uſq; deorum
C onſilia explorare, ſitum, ingeniumq́; locorum,
V nde fluant & opes, unde auxiliumq́;, fauor'ue,
V nde & honos uenit, aut rurſum indignatio, & iræ,
D amnaq́;, & inſtantes inſigni clade ruinæ.
P ortendant quæ læta domus, quæ triſte minentur,
Q uæ teneat loca ſorte, quibus dominetur in oris
R egnator, quæ uis aliorum ex ordine regum,
Q uo rerum pateat ſtatus, & ſors ipſa futuri,
E t quid quodq; ferat ſignum'ue, locus'ue, deus'ue.
Hoc ſurgente aliquis ueniens ad munera uitæ,
I ngenteis nunc diuitias cumulabit, opumq́;
A ffluet undanti riuo, nunc rurſus in arctam
P auperiem coniectus, inopsq́; arentibus undis
V ix ſedare ſitim poterit: nam ſyderis huius
E ſt mutare uices, alternaq́; fata referre.
I pſe uides nunc lanifico pendentia uillo
T erga ouis, ac ditem felici uellere lanam,
N unc tonſos errare greges, ac tergore nudo
S picula per ſyluas fugitare ſequentis Aſyli.
A t mihi naſcenti ſub eodem ſydere mater

Non

N on fratres fœcunda dedit, nec germine ab uno
P assa est germanos natura adolescere ramos,
S ed fandi libertatem, arbitriumq́; loquendi
A ddidit, & dictis uires, & pondera rebus.
O quoties sterilemq́; fidem, ingratosq́; labores
C onqueror, & quòd nulla meis bene gratia factis
R espondet, sine fruge operam, ac sine munere finem.
Q uòd si forte nouas ueniens quis lucis in auras
I anigerum medio fulgentem in culmine cœli
A spiciat, non illi aditus, non limina regum
C laudentur, primosq́; inter proceresq́; patresq́;
D iuersans, hinc diuitias, hinc commoda uitæ,
H inc fasces, notos atq; affectetur honores.
N on illum tamen aut animi generosa cupido,
A ut recti mens certa sibi tutabitur, ut non
P auperiem, tenueisq́; lares suspiret, & idem
L ætetur dites mutata sorte penateis,
A lternetq́; uices rursum, ac referatur eódem.
A t si præcipitem occasu, atq; Atlantis in undis
M ergentem aspiciat, iam tandem cana senectus
F elicem agnoscet, placidaq́; in sede quietum,
D e thalamo tamen, aut thalami consorte querentē.
I nterea magnis iactatum sæpe periclis
E xternas urbeis, peregrinaq́; tecta petentem,
D esertis errare locis fata aspra iubebunt.
A st ubi sese imo acclinans torquebit olympo,
E rrores paßim uarios, ac tristia flenti

F ata feret, charæq; obitum consortis, acerbumq;
A ut nati funus, languenti aut corpore morbos.
Q uin in amicitias magnorum, aulasq; uirorum
I nsinuans, nunc tollit humo, statuitq; sedentem
I n solio, nunc rursus humi prosternit, & inde
E uehit ad solitos sullato uertice honores,
L ætitiam & mœstis, requiemq; laboribus affert.
H æc Aries, hæc lanificum denunciat astrum.
Hoc olim dominante noui sub origine mundi,
E t felix ætas, & libera secla fuere.
N on hominum certæ sedes, non ulla deorum
F ormido: natura illis tectumq;, laremq;
P ræbebat, quà se oceano nox acta ferebat,
C arpebant fessi somnos, & membra locabant
A ut antro tecti, aut nemorũ frondentibus umbris.
A t postquam Sol nigranteis discusserat umbras,
M irati lucem horriferam, & uaga lumina Phœbi,
I llum oculis, illum ore obeunt: lætum inde canebãt
P æana, auricomumq; deum clamore ferebant.
E rranteis impune greges per pascua læta
C ernere erat, commune solum, communia tellus
I gnauis alimenta dabat. Tum pocula riui,
E t passim uiuis lapsi de fontibus amnes.
N on ullæ rerum curæ, manuum'ue labores:
O mnibus una quies, & amor simul omnibus idem,
C ommunesq; tori, & dulces circum ubera nati,
P er saltus, & opaca loca, umbrososq; recessus

Ludebant

L udebant mistæ pueris impune puellæ.
O cia mulcebant Venerem, atq; ignauia deses.
P rogenies sic aucta hominum, atq; increbruit orbis
G entibus, ac mutare habitum natura coacta est.
I nsurgebat enim tergo properantibus astris
T aurus, & ingenti auersum se mole ferebat,
M ugitu horrificans cœlũ, & capite obuia quassans,
I pse atrox, tamen assuetus tolerare magistrum,
E t perferre iugum, atq; oneri insudare trahendo.
Hoc igitur regnante uiri didicere colendo — De Tauro
D ura pati, uersare solum, ac proscindere rastris
A equora, & aßiduo manuumq; operumq́; labore
Q uærere præsidium uitæ, atq; agrestibus armis.
Q uod uero Tauri meritum, quæ causa tonantem
M ouerit, ut cœlo impositum, stellisq́; micantem
P ræficeret ueris floribus, Zephyrosq́; cientem
I usserit ætherio renouare elementa uigore,
Q uo natura nouos paßim suspiret amores,
V os, ô uos Charites iuuet immemorata referre,
E t mecum occultas signorum exprimere causas.
Squalebat manuum attritu defecta iuuentus,
V rgebat labor, ac iussu Iouis acris egestas
A cta Erebo, miseriq; senes, fessæq; puellæ
N on ultra tolerare famem, aut subsistere marris,
A ut poterant miseræ sufferre incommoda uitæ.
I nq; dies magis, atq; magis miseranda uideri
S ors hominum: quantumq; labor cumulabat, eò illa

A crius instabat, deerant quoq; plura paratis
Sed non ulterius passa est industria questus
H umanos: ea præsidium commenta per artem
S uccurrit populis, & iniquo ex hoste recepit.
H anc olim genitam labor, atq; immitis egestas
E xpulerant tecto infantem. Non territa uirgo
P er campos errare, hominumq́; uidere labores,
M etiri casus inopes: dum singula lustrat,
P erquiritq́; oculis, multumq́; in corde uolutat,
A duertit niueum procul à genitrice iuuencum
E rrantem, cui cornigeris in frontibus aurum
F ulgebat, stellatum aurum, cui sydera tergo
S cintillant, iam tum cœlo qui dignus haberi
P osset, ut ætherios olim uenturus ad axes.
H uic dea nunc urideis ramos, & gramina lecta
P orrigit, inuitatq́; manu, nunc tempora blandis
P ertrectat digitis, atq; ora rigentia mulcet:
N unc frontem uarijs redimitam floribus ornat,
A c picturatis intexens cornua sertis,
M ollibus hirsutas uerbis blanditur ad aures.
I lle autem teneræ correptus amore puellæ
N unc decumbit humi, uertitq́; ad munera frontem
D emissa ceruice, altè & suspiria ducens,
M ugit, & ipse suas solatur murmure curas.
N unc hæret, pendetq́; oculis ludentis, & ipso
L asciuit gressu exiliens, gestitq́; per herbas.
I nsequitur simul, & niueis per gramina plantis
Insultat

I nsultat uirgo, & gressum mox sistit. At ille
I nsilit, & pedibus ceruicem innectere tentat.
N ympha procū aspernata, fugitq́; & lenta moratur.
E t nudata genu, risuq́; inuitat amantem.
I lle autem blando componens murmura questu,
A ffingit teneros motus, & fronte coruscat.
H os inter lusus uirgo innodauit amantem
C ornibus, & duplici aduoluit funabula nexu.
N ympha trahit, sequiturq́; uolens & lætus amator,
A c nigrum sponte admirans defertur in antrum.
H unc postquam sociumq́; operum, assuetumq́; labori
E t domita ceruice iugum, ac tolerare magistrum
A gnouit dea, tum fessos miserata parentes,
A c mortale genus tauro donauit, & artem
I ungendiq́; bouis docet, ac telluris arandæ,
E t quis cuiq; loco cultus, quæq́; hora serendi,
V omeris hæc, curuiq́; usum monstrauit aratri,
E t uersare solum, & currus agitare sonanteis.
M unere quo genus acre hominum squalore leuatum
E xercet rura, & terræ dat iura subactæ
A uxilio bouis, atq; usum mox uertit in artem.
F orte hominum insuetas arteis, studiumq́; nouandæ
T elluris, iunctosq́; boues, flauentiaq; arua
I uppiter è summi admirans spectabat olympi
C ulmine, & humanos hæc ipsa ad munera sensus;
A stabat Venus, astabat Latonia uirgo,
V traq; in astrigerum conuersæ lumina taurum,

T um Venus: Et meritis stellato, & tergore dignum
H aud pater ipse nouo cœli dignaris honore?
H is Dictynna preces, precibus simul oscula iungit,
Q uæ natam deceant, & sint optata parenti.
A rrisit pater, & cœlo plaudente locauit.
V t cœlo stetit attonitus nouitate locorum,
H uc illuc oculos uertit, sociumq; requirens
A ssuetorum operum, & tanquam subiturus aratrũ
V ertit ad Argolicos horrentia cornua fratres,
A c terræ memor, & syluas, & pascua nota
S uspirat. Tum blanda Venus, tum Delia uirgo
C ertatim obijciunt cytisos, casiamq; recentem,
Q uæq; & luciferi pascuntur gramina Solis
Q uadrupedes. Ille ambrosiæ per pabula succum
S ensit, & ætherium stillantia gramina rorem,
M ox quà lunatæ stant horrida cornua fronti,
E t quà demisso pendent palearia mento,
A tq; ubi durato proscissa est ungula cornu,
Q uaq; genu, quaq; & ceruix, & pectus, & armi,
S pinaq;, & ingenti curuant sese ilia tractu,
A ccendit Cytherea ignes, atq; innuba Phœbe,
E ffulsitq; nouis Taurus spectabilis astris,
R egaleis addit stellas, ac regia iura
I uppiter, & raro Taurum insigniuit honore
P arcarum memor: hoc etenim iactante per undas
E diderant fore, uti Tyrio de littore uectam
E uropam, Idæas uictor deferret ad urbeis.

Mugiuit

Mugiuit deus in tauro, freta nauit adulter.
Quis credat? Stetit in stabulis ad pabula uinctus.
Tantum amor, & teneræ potuit noua forma puellæ.
Nunc age naturam Tauro quam Delia uirgo
Indiderit, quam cœruleo de gurgite creta,
Expediam tibi nate, atq; hæc quoq; percipe dicta
Nate patris, nate & canæ spes blanda senectæ.
Principio Cytherea domum, dulceisq; recessus,
At Phœbe solium, soliiq; insigne superbum
In Tauro posuere: illic nam regia iura
Exercent, sociaq; tenent ditione tribunal.
Hinc amor, hinc studium formæ, citharæq; sonantis;
Hinc choreæ, cantusq; placent, pexusq; capillus,
Excultiq; sinus, & multum lauta supellex,
Aduectusq; aliunde odor, aßyriiq; liquores,
Mundiciæq;, ióciq;, & quicquid blanda uoluptas
Suadet, & ornatis rorantia pocula mensis.
Hinc etiam hortorum cultus, & cura serendæ
Arboris, hinc deflexa comis in mille figuras
Myrteta, inq; nouam crescentia citria formam,
Cultaq; per uarias genialis amaracus artes.
Nec uero exoriens Taurus, non ipse labores
Nascenti accumulat, primoq; in tempore partas
Perdit opes. Sed mox & mollia tempora, & ipsos
Successus rerum amplificat, semperq; iacentem
Sternit humi, si quis contra insurrexerit hostem.
Idem diuitias, atq; ornamenta secundæ

F ortunæ dabit, è medio si culmine cœli
N ascentem aspiciat: non illi munera regum
D eficient, non è sacris compendia templis,
P ublicáue assuetæ commissa negocia curæ.
N on tamen intacti thalami, non florida coniunx
C ontinget, sed anus, sed cui seruilia uincla,
A ut occultus amans, & non sine labe iuuenta,
T ristior, ut fessas eat ipse Hymenæus ad aras
T aurus ab occasu, pronoq́; à cardine mundi
E t partas labefactat opes, & rursus easdem
I nstaurat, patrioq́; hæredem sistit in ære,
P eruincitq́; inimicum odium, ac malè conterit hostē.
Q uinetiam rapidos flammarum exuscitat æstus
E x oculis, parat atq; oculis immite uenenum
I n dulcem Veneris rorem, atq; in pocula amantum.
A st imo positus cœlo, atq; in parte profunda
A etheris, unde nouum sese conuertit ad ortum
P lurima felici promittit sydere nato.
I lle inter proceres, atq; intra limina regum
V ersatus, longáq; fide spectatus in aula,
M agnarum curas rerum, ac molimina magna
S uscipiet, credentur opes, credetur & amplæ
S umma domus, claris & famam extendet in actis.
T antus inest Tauro uigor, & uis cornibus aureis.
De Geminis. Hunc post Tyndaridæ concordia pectora fratres
V irtute illati cœlo, atq; insignibus actis,
Q uos pater æterno meritos donauit honore.

At tu

A t tu,cui ſecreta poli,cuiq́; abdita rerum
V ranie ſunt nota,ad quas numeroſa uetuſtas
V ix penetrat,pande antiqui memorabile facti
E t decus,& precium: nam te quoq; ſyderis huius
T angit honos, tangunt chari monimenta mariti,
C oniugis & meritis,æternæ & conſule famæ.
V iderat è ſumma cœli Cyllenius arce
P aulatim coiſſe homines,& condere tecta,
P artiri medios ſignato limite campos,
E t quantum primis ſolers induſtria cœptis
A ddiderat: placuit mutato corpore terras
V iſere,& agreſteis hominum cognoſcere mores,
O cyor & zephyris cœlo delabitur alto,
E t ſtetit in duplices aptata ueſte Gemellos,
D iſcat ut hic,doceat facundo pectore ut alter.
I pſe ferens, ille accipiens præcepta magiſtri
T raxit in exemplum mortalia pectora,donec
L egitimi acceßit ſtudium,rectiq;,boniq;,
V iuendiq́; uiam ratio ac doctrina parauit.
H inc artes creuere bonæ: ſuccreuit & uſus
L audatorum operum. Fando commercia primum
I nuenta: hinc precium duplicandi, & cura peculi.
C reueruntq́; & opes,& opum comes apta ſupellex.
A tq; his excoluit ſtudijs Cyllenius orbem.
I pſe etiam numeros,& rerum pondera,& uſum
M enſuræ docuit, fandi quoq; tradidit artem,
A tq; animi concepta nouis depromere ſignis

I nstituit, scriptis & commendare tabellis.
M oribus his exculta hominum præcordia, duros
M utarunt sensus, & ab agri munere ad arteis
I ngenium uertêre nouas. Tum magnus haberi
M ercurius, tum cœlicolæ mortalia corda
A ssensu laudare uno, stirpemq; deorum
E sse hominem, genus & cœlo deducere ab ipso,
T antum animo, tantum ingenio, ac ratione ualerent.
I n primis pater omnipotens mortalibus orsis
O bstupuit. Videt ingenteis assurgere turres,
A equari quoq; tecta polo: uidet aurea templa,
O rnatusq; deûm uarios: uidet oppida, & arces
C ollibus impositas. Tum sic effatus, ut omnes
C œlicolæ annuerent: cœlo testanda sereno
C ylleni monimenta: illum tot adire labores,
T ot mandata deûm, tamen & uoluisse relicto
A ethere per terras suscepta parte magistri
E xuere agresteis hominum de pectore mores,
H umanumq; genus cultas efferre per arteis,
V nde & honos superis, & uictima creuerit aris.
T um pater in geminas distincto sydere formas
S ignauit cœlo, facinus memorabile, & astris
I ndidit æternis, celsaq; in parte locauit.
H is capita effulgent stellis, humeriq;, manusq;,
Q uaq; lacertoso curuantur brachia nodo,
G enuaq;, summotiq; pedes, sed parte sinistra
I rradiat quo uix cœlo splendentius astrum,

Vnde

V nde per obliquum Sol iam declinat olympum.
H ic ſedem, patriamq́; domum, dulceisq́; penates
I pſe ſibi ſtatuit uolucer Cyllenius: hic ſe
E xercet, proprias & ſigno accommodat artes.
N am rerum occultas cauſas, arcanaq́; ſacra
R imantur, uerbisq́; modos, & carmina neruis
A diungunt, precio aut capti fora multa frequentant,
A ut ueterum monimenta docent, & ſcripta uirorũ,
A ut operam impendunt linguis interprete cura,
E t decus, & quicquid monſtrat ſapientia norunt
C œleſtes Gemini, concordi fœdere iuncti.
V nde ſub exortum, primaq́; in parte locati,
N onnullos natis ineunte ætate labores
P ortendunt: tamen haud illis pia cura parentum
D efuerit, ſeu blandus amor: cœleſtibus inde
A rtibus imbutos decorant, iunguntq́; fideli
P rincipibus ſtudio, & dominis placuiſſe laborant.
A t media de parte poli, atq; è culmine ſummo
P romittunt faciles olim naſcentibus annos.
H os fandi decus inſignes, hos Delphica laurus
I lluſtres reddit populis, his infula ſacris
A ſſurgit ueneranda comis, capitiq́; tiaras.
H inc ſibi diuitias, hinc ornamenta benignæ
F ortunæ accumulant, auro hinc laquearia fulgent.
H os merces peregrina, aut teſtamenta beatos,
P ræclaræ'ue artes, aut uirtus rara, deûm'ue
R elligio efficiunt; nam Virginis aſtra per ortum

S ufficiunt Geminis uires, & robora præſtant.
A t quum præcipitem occaſum, cauaq́; antra ſubibūt
O ceani, dias ueniunt qui lucis in auras,
H i perferre malum, & duros tolerare labores,
D amnaq́;, & aduerſos conſtanti pectore caſus
A ſſueſcent, cælare odium, ac ſimulare parati.
N on his aut ſtudium recti, aut ſapientia deerit,
I ngenij'ue fauor, docti ſeu pectoris artes.
S ucceſſus ſed opum ſeri, primaq́; ſenecta
S uſcipient tardos chara cum prole nepotes.
D ant imo poſiti morboſq́;, ægrumq́; laborem,
A ut uitium occultum, aut ſecreta in parte dolores,
E ripiunt & opes partas, cenſumq́; paternum.
P òſt tamen uberiore manu cum fœnore magno
I ngeminant & opes, & lucra ignota reponunt,
S uppeditent unde & multis alimenta miniſtris.
H os felix, fatoq́; tamen cogente ſenectus
A b procul à patria externis tumulabit in oris.

De Cancro

Hac etiam de parte, imoq́; è cardine ſurgens
S i teſtudineus moueat ſua brachia Cancer,
H umidaq́; impreßis figat ueſtigia plantis,
P lurima diuino promittit munere natis.
I llis diuitiæ ingentes, & copia rerum
V ndabit uariarum, & latis prædia campis
S ufficient lætam cererem, bacchumq́; fluentem:
I llis nobilitas, & claris infula uittis
C onferet inſigneis titulos, magnoq́; fauore

Decernit

D ecernit ſtatuas, fauſtisq́; inſignibus ornat,
A nnuerit placido facilis ſi Iuppiter ore,
S ed iuuat intonſus crinis, promiſſaq́; barba,
A tq; inter titulos ſordenti ſtamine ueſtis.
Q uinetiam inſidias cognati, & ſanguinis iram
N unciat, aduerſosq́; inimica mente propinquos,
Q uos & ab occaſu grauiori concitat ira.
T um uero felix multa cum laude ſenectus
C ontinget, tunc clarus honor præſtantibus actis,
Q uum medio poſuit cœlo ueſtigia, & æquor
D eſpiciens bibulis tantundem diſtat arenis,
I n mare quà Ganges, & quà Tagus aureus intrat.
A c ueluti lento ſenſim per littora paſſu
I t Cancer, tardusq́; graui ſub mole laborat,
P aulatim ſic diuitias, ſic lentus honores
A ccumulat, donec grauidos complerit aceruos.
V ix tamen ut gemino fœcundet uiſcera partu.
E xoriens placidos mores, animiq́; quietum
I ngenium, & ſolers mentis promittit acumen
N aſcenti, tamen ut facilè indignatio, & iræ
E xagitent, facilè iratos componat ut æſtus,
M ollibus officijs, ac miti pectore natus.
I pſe acer uitiorum ultor, cum fronte ſeuera
I urgator ſcelerum, atq; ad publica munera uerſus,
P ræſidia inde domus, & uictus quæret honeſtos.
E t tamen indigna decumbet morte peremptus,
A ut grauibus capitur morbis, aut lumine mœſto

S pectabit raptos non uno funere fratres.
Hoc astro post Tyndaridas subeunte, per æquor
M ortales fecere uiam, primiq; reperta
V ix ausi tentare caua uada fluminis alno.
M ox usus, pòst & præceps audacia textis
I n mare nauigijs remo descendit adacto,
P aulatim & pelago se credidit: inde per altum
I gnotos portus, peregrinaq; regna petiuit.
H inc merces, & longinquis commercia terris,
H inc Vesper nouit quicquid cælarat Eous.
E ridano Nilus subuenit, & Adua Nilo,
V t quæ deficerent summiserit omnia Nereus
V elifer, & fuluum ratibus deuexerit aurum
T ritonum chorus, ac uersis per marmora tonsis
D iuitiæ narint hominum, terræq;, marisq;,
C anceris imperio, atq; undæ dominantibus astris.
Vos ô Nereides, decus æquoris, & mea sæpe
S erta, meos flores ad littora nota petistis,
E t nituere comis argentea lilia uestris,
A enario quæ rure legens, quæ colle beato
P arthenopes, mistaq; rosa, blandisq; hyacinthis
I pse dedi, castis multo cum thure sacellis,
E t sparsi largo supplex crateras iaccho,
N ec mea uicinæ siluerunt carmina rupes,
V os precor ô pelagi placidißima numina, causas
T entati maris, & primos expromite motus
I rarum Iouis, & raptum inter sydera Cancrum.

Assuerant Dryades uulgò, assueuere Napææ,
S yluarum nemorumq́; umbra, riuisq́; relictis,
I mpune optatos per littora ducere somnos,
H ic choreas agitare, hic grato mista susurro
I nter sese aperire animi secreta latentis,
H ic lusus, hic delicias, geniumq́; colebant,
E t nulla resides ducebant ocia cura.
A duertit pastor liquidi maris, & modò summis
E scopulis, modò se strata ostentabat ab alga,
N unc summo labens innabat littore, & udis
C œrula per liquidum findebat marmora palmis,
I nterdumq́; alto exiliens clamore uocabat
A rmentum, & toto cogebat ab æquore monstra,
O stentans pecus indomitū, & stabula abdita Nerei.
I pse ingens baculo innisus quum crine madenti
S tillabat madidos per membra rigentia fluctus,
V ersabatq́; dolos animo, & suspiria ducens,
V ritur, ac tacitis succendit pectora flammis,
A ssiduusq́; oculos mœrensq́; ad littora torquet.
O quoties uiridi crinem circundatus alga
T entauit faciles aditus per carmina. At illæ
L onga per occultos petierunt auia calles,
E t sibi consuluere fuga. Magis incitus heros,
C onuertit solitas fœcundum pectus ad arteis.
E t quum se in uarias mutasset sæpe figuras,
A c nulla posset Dryadum ratione potiri,
A dnauit terræ cancri sub imagine tectus,

L ittoribus celer obrepens. Vagus inde per herbā
M iscetur Nymphis, uiolas ut forte legebant
C ertatim, & paßis nectebant serta capillis,
C andida purpureo uariantes colla hyacintho.
V t Dryades uidere ferum mansuescere in herba,
N on ausæ tractare tamen, gratantur eunti,
E t plaudunt socio curuanti brachia motu,
M olliaq; adductis tondenti gramina malis.
I lle ut se gratum agnouit, placidasq; Napæas
R idere intonsi carpentem pascua campi
O ctipedem maris, in salsos se rettulit æstus
M olliter, obliquoq; gradu caua brachia flectit:
A c ne quà rediens non ora, oculosq; iocantum
S pectet, & ut placido risu, ac sermone fruatur,
V ersa retro tenuit curuo uestigia gressu,
I ntrat & in pontum mutato corpore Proteus.
A rtibus his terræ obuersans, nec cognitus ulli,
V t quam secreto capientem littore somnos,
A ut uda solam spaciantem uidit arena,
I n propriam uersus repetito corpore formam,
C omprimit, optato & fruitur malesanus amore.
S ic matrem nitidi Almonis, septemq; sorores
V fentis, sic Vmbronis tria pignora, centumq;
E ridani, totidem & Nili, neptesq; Timaui
T ergeminas, neptem & Xanthi, neptemq; fefellit
V ulturni, qua non oculis, non ulla papillis
G ratior, aut posito tantum placitura capillo.

Quin

Q uinetiam demens Phœben tentauit, ut illa
E urotæ nitidos curabat in amne capillos,
E t uim passa foret monstri, ni strenua uultus
I n Lunam conuersa foret, ni cornua toruæ
A ptasset fronti, & nube oblituisset opaca.
A tq; illum iam complexus, iam furta parantem
S uspendit geminis pauitantem cornibus, & mox
S ublatum cœlo longè intulit, ipse nigranteis
I actatus supra nubes, implorat amicum
N erea, sed surdis obsistunt uocibus auræ.
H inc præceps iterum, atq; iterū per inane rotatur.
M ox pelago absorptus, tantum ferit ima profundi,
Q uantum nubiferas fuerat sublatus ad auras.
D ißiliunt unde, & spumosum incanduit æquor,
Q uà cecidit, tumuitq́; intorto gurgite uortex
C œruleus, nigramq́; altè uomit æstus arenam.
A t uirgo celeri ad superos regressa uolatu
S icut erat laniata comas, discissáq́; pallam,
I mpleuit cœlum gemitu, quo celsa tonantis
I ntonuit domus, & foribus se pandit apertis.
V t medio sedere foro, & res cognita diuis,
I ndignum clamant facinus, monstra æquoris ausa
D ianam tentare? mouet reuerentia diuæ
A stantis, mouet ipse locus, uiolentáq́; Protei
I n Venerem rabies, & quòd Neptunnia regna
N on ultra toleranda. Illum nec sorte secunda
C ontentum, terris inhiare, & poscere olympum.

T um pater omnipotens ſolio ter ſurgit ab alto,
T er tacet, iratusq́; nouem de parte ſiniſtra
C œrula fulminibus percuſsit regna triſulcis.
I ntremuit Nereus. At territa numina ponti
O ceano oblituere imo, ac timuere profundo,
N e caua ſulfureis arderent æquora flammis.
A t decimo cancrum octipedem per littora curua
E rrantem, ſed adhuc meditantem furta per herbas,
A c natam flaui captantem ad ſaxa Lycormæ,
E xanimat: dura crepuerunt fragmina teſta,
H uc illuc diſiecta, & fumo indenſuit aër:
Q uæ collecta pater cœlo intulit, ac monimentum
E ſſe dedit ſcelerum maris, infelicis & auſi,
A c ſummo poſuit cœlo teſtantia crimen.
O re ignes, pedibusq́; ignes, & pectore, & ipſo
F ragmine ſuccendit, ſed hebenti lumine quoſdam,
N on aliter quàm quos pudeat commiſſa fateri.
Q uinetiam ignauos teſtæ cælauit aſellos,
E t ſtatuit præſepe, & nube infecit opaca,
I nfamemq́; notam dorſo ſignauit inuſto.
V tq́; recens facinus memori per ſecula pœna
N oteſcat, maneantq́; audacis præmia culpæ,
P erpetuis ſignata notis, uerrenda carinis
P ermiſit maria, & remis freta ſalſa cienda,
I mperiumq́; uiris ponti dedit, edomitoq́;
A equore, per fluctus ſinuoſo currere uelo,
N eptunnum & tonſis laniare & ſcindere roſtris,

Edictumq́;

E dictumq́; ingens tabula signauit eburna,
Quod notum populis demissus ab æthere fecit
P rognatus Maia, & terræ tenuere uerentes.
T um probra obiecit monstro, mutumq́;, salaxq́;,
E t natum turbis, uariosq́; agitare tumultus,
I ncola non constans, pelagi non aduena terræ
I ncertus, sed aquæ rerum, terræq́; uorator
A ßiduus, gaudens longarum errore uiarum.
A uratum posthinc solium testudine summa
A ffixit, geminis subnixum utrinq; columnis.
A tq; hic bissenis æuo manantibus annis
D at iura, & spolijs gaudens exultat opimis,
S olenneisq́; agitat ludos, & uina coronat.
A t Phœbus patris edicto permotus & ira,
G ermanæ & lachrymis, et q maris æquora mõstrũ
N utrirant, sensu latices infecit amaro,
D ecreuitq́; super Cancri caua terga quotannis
Q uadrijuges agitare suos, & inurere flammis
I nfelix testum, & siccata caloribus ora.
I psa autem pelago pœnas has dixit, ut omni
T empore per numeros alterno fluctuet æstu,
N ec mora, nec requies sit certa fluentibus undis.
Q uin dorso super, & fallacis corpore signi
A dmouit bijuges, atq; ad præsepia iunxit,
E t stabulum feßis statuit de more, sibiq́;
A tria perpetuum posuit testantia factum.

Quæ frater iuxta aßistens, dum tecta sororis De Leone.

C ontinuare parat, tectis discrimine nullo
S edulus in ualido posuit sua signa Leone,
E t struxit nitidis ornata palatia gemmis
C onsilio patris: hic thalamos, hic atria centum,
H ic ter centenis inclusit limina portis.
A rgento radiant postes, adamante columnæ
S tant circùm, & fuluũ splendet laquearibus aurũ.
Q ui tantas habeant sedes, quæ numina portis
A ssideant, unde & Libycus Leo uenit ad astra,
D icite Pierides: nam uos & carmina Phœbi
E xcipitis, uos & choreas agitatis in aula,
E t secreta dei solæ nouistis, & artes.
Fata domum, ac decreta, loci penetralia seruant,
E t rerum series, æuiq; senilis imago,
T emporaq́;, & longis ætas incana capillis,
I mperiumq́;, & opes, & regno accommoda uirtus,
E t pia relligio cinctis ad tempora uittis.
A nte fores, ipsisq́; in postibus, aurea seruat
A urora, illustrisq́; dies, & mobilis annus,
H oraq́; non certis nectens modo facta futuris,
T um species rerum, ac generũ numerosa propago,
E t color, & claro radians lux aurea curru,
N ec non antè nigris fugiens nox atra quadrigis.
I pse autem Leo sydereas perlatus ad arceis,
N on ut fama refert, magno quòd ab Hercule uictus
F œdarit calido sitientia rura cruore,
G raiaq́; nec fuluos tellus parit ipsa leones,

Sed

S ed Libyæ crudele ſolum, quæ uicta calore
I nſignem Phœbo pauit generoſa Leonem,
A dmouitq́; aris, tinxitq́; in ſanguine cultrum.
E t ſolata ſitim miſero requieuit ab æſtu.
T ranslatum cœlo Pæan miratur & ora,
I ngenteisq́; humeros, & lumina torua, iubasq́;.
O bſtupuitq́; armis, fixitq́; in pectora uultum,
A c memor armorum uates, cladisq́; futuræ
T errigenûm, latos iamtum meditatur & ungueis
I nduere, & uilloſa albis cum dentibus ora,
P orphyrion quibus, & ferratũ abſumpſit Ophelten.
T um Iouis ante pedes diuorum aſtante corona
C onſtituit: placuit ſuperûm inter ſigna referre
C onſenſu magno, & nomen retinere Leonis.
N ec mora, ſydereis accenſa eſt bellua flammis,
E ffulget ſtellis caput, & micat aurea ceruix
I gnibus, effulget claro ſpina ardua dorſo,
I liaq́;, incuruiq́; pedes, & cauda, genuq́;,
P ræradiatq́; nouo pectus regale ſub aſtro,
A tq; inſigne decus toto ſe uellere fundit.
R egius hinc illi uenit uigor, imperijq́;
C ura ingens, ſummiq́; loci ambitioſa cupido.
E rgo cui primæ radiabit lucis in ortu
N otus erit, feret hic celebris præconia famæ,
F aſcibus atq; operam dabit, atq; inhiabit honori,
Q uæret opes, proprio ſemper tamen ipſe labore.
S pelunca fremit in magna, dominatur in altis

Montibus, Aethiopumq́; fremunt deserta leonem,
Quærendo tamen insudat per deuia pastu.
At cui de summo nascenti fulget olympo,
Perferet ille graueis forti cum corde dolores,
Post tamen aut domini pergrata potentia ditem
Efficit, aut si qua est domino cognata potestas,
Vnde etiam charis alimenta ministret amicis.
Ducit ab occasu litem, iratosq́; propinquos
Efficit, & multos aduersum concitat hostes,
Iurgiaq́;, indignumq́; torum, moresq́; sinistros
Coniugis, & nullo thalamos dignatur honore.
Ast ima de parte dabit censumq́;, bonasq́;
Diuitias, dabit & tabulas, scribetur & hæres,
Partaq́; felici seruat patrimonia cura.
Sole igitur dominante, simul dominante Leone,
Relligio caput exeruit, per templa, per aras,
Multi inter diuos, cœliq́; in sede locati,
Casta sacerdotes cecinerunt scripta per orbem,
Ac pietas non ficta uiam affectauit olympo:
Tunc etiam imperij creuit generosa cupido
In populis, creuit quoq; iusta licentia regni,
Sanctaq́; maiestas dicta est, Sanctusq́; senatus,
Ac summo patiens uirtus concesit honori.
Nobilitasq́; etiam duris quæsita sub armis.
Pugnatum est: uicto uictor præscripsit, & acti
In prædam populi, cecidere sub ensibus urbes,
Iustitia & positis uenit captiua sub hastis.

Ocia

Ocia mox, & delicias, unguenta, rosasq́;
Monstrauit Virgo: sunt hæ nam Virginis artes: De Virgine.
Intonuitq́; foro eloquium, lætumq́; theatris
Aurea pensilibus diffudit tibia carmen,
Et Musæ insolitos sonuere ad pulpita cantus,
Ornatus etiam accesßit tam discolor usus,
Percurritq́; auri uillosum bractea textum,
Et pictura nouo fulsit uariata decore.
Tum magicæ cœpere artes, studiumq́; futuri
Crebruit, & sacris admota silentibus ora,
Sydera & ipsa nouo paulatim cognita sensu,
In numerosq́; redacta suos, omnisq́; locorum
Fortuna, & certi signata potentia fati.
Quæ dea per populos multum uersata docebat
Fama refer, tibi gesta hominum, tibi facta deorum
Nosse datum: tu nam fatorum euenta per urbes
Diuulgans reuocas in lucem obscura, & honorem
Dans claris, facta extollis fingisq́; futura.
Ergo agedum, quibus officijs, quo munere terras
Ornauit Virgo, cur cœlum illata petiuit
Præsidio alarum, & nitidis mox fulserit astris.
An'ne deûm proles, hominum'ne? an misita propago?
Certa parens Isæa fuit, qua nulla per orbem
Doctior iratos animi componere motus:
Incertus pater, à populo sed cognitus Etheus.
Illam Mercurius docuit, quo tempore genteis
Imbuerit sacris, quibus & deducere olympo

C œlicolas, poteratq; Erebo ſubducere maneis.
D octrinæ precium amplexus, repetitaq; lecto
Gaudia, pòſt decimo enitens Iſætida menſe
C ælat adulterium, commiſto utroq; parentum
N omine, quumq; humeris alas inſignia patris
R edderet, has tacita uellebat ſedula dextra
D octa parens, nudamq; oculis non obtulit ullis.
E rgo Mercurius natæ memor, artibus illam
I nſtruit, & docili componit pectora cura,
C onſtituitq; animum, & cœleſti robore firmat.
T um donat ſerto inſignem, cui ſydera circùm
C lara nouem, totidemq; micant per ſydera gemmæ.
V t uirgo capiti impoſuit uenerabile donum,
H auſit diuinas arteis, didicitq; ferendo,
Q uæ pater impreſſis ſignauerat omnia gemmis.
N ec mora, perq; urbeis, & compita nota uiarum
A ffatur populos, ſocialis munera uitæ
P ræcipiens, animumq; docens formare colendo
I uſtitiam, & mites uſu componere mores.
I lla etiam in templis diuorum arcana monebat,
M unera prima hominũ, & ſacris iam rite peractis
P lacari humanis cœleſtia numina donis,
Q uæ patriæ ſint iura, etiam quæ iura parentum,
C oniugijq; fides, lecti & concordia uincla.
V idiſſet domito terram proſcindere tauro
A gricolam, quæ ſint ſua tempora monſtrat arandi,
E rrabant pecudes, pecudum docet illa magiſtros,

Cunctaq;

C unctaq́; diuino præscribit munere Virgo,
D onec eam syluas moderantem, & saxa trahentem
V enator captus forma, & iuuenilibus annis,
I nuadit, ferro demens haurire paratus,
N i secum socio iungat sua membra cubili.
E xtimuit Virgo, & leuibus se sustulit alis,
I ntentamq́; fugæ sinuoso pallia limbo
I mplicitant: sequitur furiata mente satelles,
E t iamiam geminis apprensat syrmata palmis.
A ccurrit pater, ut cœlo properabat ab alto,
E t natam amplexu fouet, ac super æthera secum
D euehit, & læto statuit noua sydera mundo.
I llum autem minitantem oculis, ac torua tuentem
T er baculo deus ipse cauum per tempus adacto
P ercußit: riguere artus, frigusq́; per imum
P ectus ijt, calor in uentos, & uita receßit.
M ox ungueis, digitiq́; solo radicibus actis
H æserunt, subijtq́; locum cutis horrida cortex.
I n ramos abiere manus, curuiq́; lacerti,
I n frondem coma, fit reliquo de corpore lignum,
I n sentesq́; rigent sparsæ per corpora setæ.
N ec mora, iam spinis horret rubus asper acutis.
S alue uirginibus cœli decus addita, cuius
V ocibus æterni patuerunt abdita mundi.
T u genus humanum instituis, tu munera uitæ
D istinguis: salue innumeras ueneranda per aras.
S parge rosam, da thura puer, linguisq́; fauete,

A nnua dum patrio persoluit carmine uates
S acra senex, castusq; ascendit templa sacerdos.
T u uero mihi chare, oculis age suspice cœlum
N atc, uides qua parte ingens sese exerit astrum
V irginis, hæc dextra est, cerealia munera libans.
E t qua tam claro candescit lumine sydus,
A la deæ, qua se uiolento ex hoste recepit.
Q uaq; subobscuris pallescunt ignibus astra,
I lla quidem extremæ sinuosa uolumina pallæ.
N on humeros pater ipse (igneis hos aspice nate)
N on caput, ingressusq; pedum, non brachia liquit
I ntestata: micant cœlo spectanda sereno
S ydera, & ardenti scintillant lumina flamma,
Q uæ tibi nascenti cunabula prima dedere.
H æc quanquam duros incunte ætate labores
P ortendunt, tamen in melius conuersa, beatæ
C ana senectutis pro mittunt tempora natis,
Q uos aut sacra deûm, & pendentibus infula uittis,
I ngenio aut partum decus, ac præstantia linguæ,
A rtibus aut uarijs excultum pectus honestat,
M aiorum aut tabulæ, aut merces peregrina beabunt.
H is amor, his studium recti, & uetus illa priorum
S implicitas, his chara fides, pectusq; deorum
P ræsidio innitens, ac nota penatibus ora.
H inc illis responsa deûm, atq; insomnia ueris
S emper imaginibus, uenerandaq; sortibus antra
I n dubijs reddunt uigilata oracula rebus.

Tu

T u uero mihi chare puer (per ſydera teſtor,
Q uæ tibi uel magnos non inficiantur honores)
I llecebris ne dede animum, neu deſide ſomno
O cia corrumpant mentem, procul effuge, & arteis.
Q uas Virgo teneris molles meditatur ab annis.
P óſt etenim in duros conuertet pectora mores,
E t præcepta dabit uitæ, & bene conſulet annis.
H æc faſces, hæc diuitias è culmine fulgens,
H æc populis dat iura, & magnis præficit actis,
E t tamen ingratos queritur perſæpe miniſtros,
D iuitias quibus, aut primos conceſsit honores,
H oc & ab oceano queritur: ſed candida coniunx
S olatur facileis curas, & brachia collo
I mplicitans, prolem optatam, charosq́; nepotes,
O ſculaq́; incuruæ promittit blanda ſenectæ.
A tq; utinam non hæc leuior, non ille nepotum
V ulnus, & extincti ſuſpiret funera nati,
D epoſitumq́; ſenex mutam deploret ad urnam,
E t fruſtra uarijs exornet buſta coronis,
D ona ferens aduecta Arabo, ac bene olentibus Indis,
I mprudens, qui non & amatæ coniugis atrum
F unusq́; & thalamos uideat ſine honore relictos.
H unc labor, hunc et cura premet iuuenilibus annis,
H uic & felicem præſtabunt fata ſenectam,
Q uem læta ex imo Virgo ſpectarit olympo,
O rnatumq́; animi donis, & mercibus amplis.
H æc dea dat curas animis, dat & utile pectus

C onsilijs, dat secretas exquirere causas.
M oliturq; nouas arteis, mentemq́; deorum
E xplorat, dubijs quærens oracula rebus,
N il intentatum ingenio, nil linquit inausum,
Q uod natura tegat, tegat & uis insita fato.
S ic illam pater instituit, quo tempore cœlo
T ranstulit, & tectumq; unà, solumq́; locauit.

De Libra.

Hanc iuxta Cytherea tenens nitidissima tecta
S tat foribus radians auro, gradibusq́; sub ipsis,
S parsa nitent uarijs argentea limina pomis.
V eris opes pendent tectis, circumq́;, supraq́;
E xplicat ipse suas merces autumnus, & altè
S uccincta incedit nudis uindemia plantis,
A c noua calcatis despumant præla racemis.
N ec uero dea cœlicolis prælata puellis
I psa suas non culta domus, non aurea sedes
I nuisit, non lauta dapes, & uina quotannis,
R usticaq; hic positis statuit conuiuia mensis
A utumni memor, insolitasq́; ad plectra choreas
I nstaurat, mox & mensæ placitura secundæ
S eligit è plenis bene olentia poma canistris,
Q uîs onerat formosa toros, & odoribus afflat.
C ausa latet, memini: sed me per curua uagantem
L ittora Caietæ, qua Formius aurifer amnis
I n mare se uoluit, uiridisq; in margine ripæ
A urea fragranti spirant redolentia flore
C itria, & albenti miscet se laurus oliuæ,

Et myrtus

E t myrtus complexa maris nitet æmula rorem,
I llic, siue ea Nereidum fuit una sororum,
S eu Siren, quæ finitimis uersatur in antris,
A udisse intonsa modulantem carmen in umbra,
C antanti uitrea socias plausisse sub unda,
L ittoraq; arguti referentia murmuris auras.
D amnabat Venerem Iuno, damnabat & ipse
P alladis armisonæ chorus, inuiolataq; Deli
V irgo, quòd aurato postquam lux addita Tauro,
F ulsissetq; astris, tantum illi florea rura,
E t tantum curæ pratensia dona fuissent.
I llam inter frondes, inter uernantia prata
D esidias agitare, atq; ocia ducere inertem,
N on fructus, non poma daret de pinguibus hortis,
S ed solum studio delectaretur inani,
M undicijs operosa, & inerti segnis in umbra.
S ubrisit dea cœruleis generata sub undis,
A c niueis delapsa polo per inania cycnis,
C ulta sinum, grauidos autumni uenit ad hortos.
A ffuit intranti deus. At nitidißima cultu,
I llecebrisq; armatâ, senemq; amplexa fatigat,
N ec precibus contenta, etiam blanda oscula iungit,
V t sibi de nitidis liceat pendentia ramis
C arpere poma manu, & croceas de uitibus uuas.
I lle ut se dignum amplexu, sensitq; per ora
O ra deæ, ac tener ille calor per membra cucurrit,
N il, ô nil, dea non nostros lectura per hortos

C arpe, tuum quodcunq; uides, quodcunq; repostis
P endet in arboribus: facilis dea tum dedit illi
T ractandam quæ de geminis erat una papillis,
R orata ambrosiæ succo, ac redolentibus auris,
A ttactuq; hausit deus immortale uenenum,
C onfestimq; imis defluxit ad ossa medullis.
T um sponte arboribus ceciderunt poma recußis
I n gremium delapsa deæ, quæcunq; uel ortus,
Q uæq; uel occasus, uel quæ creat humidus Auster.
Q uin famulam (famulæ fuerat Pometia nomen)
H is onerat, iunctosq; iterum conscendit olores.
V t cœlo stetit, exposuitq; hortensia dona,
I nuidere deæ: risit Vulcania coniunx,
Q uoq; mage inuidiam moueat, librantibus illa
L ancibus imponit, famulæ & uenalia tradit.
C œlicolæ risere astum, magnoq; fauore
C onueniunt, fuluis & mutant poma talentis.
A t memor antiqui furti Rhodopeius heros,
D um simulat legere è multis fragrantia mala,
C andentis dextræ articulos, summamq; sinistram
F urtiuus tetigit: rubuit Venus aurea. At illi
D ecidit è manibus precium, & suspiria mouit
E xanimis: ciet extinctas noua flamma fauillas.
Q uoq; dolus lateat, ad auum conuersa racemos
O btulit, impleuitq; sinum senis: ille renidens
E xcepit neptem amplexu, & blanda oscula iunxit.
A t Veneris teneras pupugit barba aspera mâlas.

Quæ

Quæ postquam diuorum oculos impleuit, & amnes
Emisit latè fluidos Leneidos undæ,
Decreuit testatum astris insigne trophæum,
Et longa egregium facinus producere fama,
Affigens cœlo famulam, cumq́; ignibus aureis
Incendens trutinam, trutinæq́; uolubilis hastam.
Talia cantabat memorans ad littora Siren.
Hoc igitur signo genitos, primum æqua probumq́;
Delectant, liquor atq; olei, & baccheia merces,
Præcipites sed liuor agit: tum pondera tractant,
Annonamq́;, unguentaq́;, & æquis corbibus instant,
Sed uariat fortuna suis mutabilis alis,
Et molles animum mores, & auara cupido
Inficiunt. Igitur Libra fulgente per ortum
In lucem quicunq; uenit, non ille deorum
Contemptor, non recta animi sententia mentem
Deseret, aut raris exurgens gloria factis.
At uitæ tenor inconstans, morbusq́;, labosq́;
Turbabunt, & multa nouis discrimina rebus.
Hunc lites, atq; immeritis certamina causis,
Hunc aduersa fori uexabunt arma: sed ipse
Inuictus feret, ac multo se robore firmat.
Quem tamen amißis prosternent funera natis.
At quum se summo librarint æthere chelæ,
Felices dant euentus, dant prospera rerum
Subsidia: & quoties aliquid fortuna malignum
Vexerit, instaurant alieno funere damnum,

A ut ex alterius iactura, aut forte latenti
T hesauro: sed nec pietas, cultusq; deorum
D efuerit nato, quibus annua uota per aras
P ersoluat rite incolumis: nec carmina deerunt
C ulta, nec aurato resonans caua tibia buxo.
H unc dulcis lepor, & grato facundia gestu
A diuuat, & blanda comitatur gratia lingua.
Quòd si nimboso occasu, atq; Atlantis ab hortis
I n mare præcipitent, dant publica munera natis,
E t regum insinuant domibus: mutabilis aura
H os manet, & nigris post albos urna lapillis,
V t neq; constanti perstet fortuna tenore.
E x imo censum patrium, proauisq; paratas
P erdunt diuitias, nulloq; in munere primos
C onstituunt, uerum post damna, graueisq; labores,
L ucra parant, atq; è tabulis secreta ministrant,
E t longa tandem consumant fata senecta.
N ec cineri extremum muto inficiantur honorem
N octipares chelæ: quibus aurea Cypria quondam
C onstituitq; & auo solium, & sibi tecta parauit,
A diecitq; hortos, quorum Pometia curam
F ida gerit, dominæq; suæ pomaria seruat.

De Scorpio

Quis deus, aut quænam fati sententia cœlo
T ranstulit infelix monstrum? quæ causa tonantem
M ouit, ut acceptumq; polo, stellisq; micantem
S it passus terrere fera sub imagine mundum
S corpion, & toto uirus dispergere olympo?

Nec

N ec uos compellare auſim Permeſides, undas
Q uæ colitis, nec quæ uati ſacra numina adeſtis:
V irginei non oris opus: Martisq; furorem
Q uis diuûm non pertimeat? cui pectora ferro
T ecta rigent, ſemperq; ferus lateri hæreat enſis
F errato, cui ſanguinea manus horreat haſta,
O raq; flammiuoma rutilent afflata Chimæra,
V os precor, ô uos quæ terris inſomnia noctu
L uce polo ſecreta hominum, ſecreta deorum
V ulgatis (ueſtrum hoc opus, atq; hæc munera ueſtra)
P andite per tenebras cauſam, cur peßima cœlo
B ellua conſtiterit, cur tetro armata ueneno
A fflarit ſuperos: neq; enim mauortia tela
H orretis tenues umbræ, & ſine corpore ſenſus,
N ec teſtes uobis ulli referentibus adſunt.
S parſa papauereis rorabunt atria ſuccis,
E t nulla excludet ſomnos patefacta feneſtra.
S ic ego: ſopitam ſic ſomnia fantur ad aurem.
Arderet miſero Veneris quum captus amore,
A c tantum dominæ imperium Mars ipſe timeret,
C eßiſſet ſtudium armorum, fera bella quieſſent,
P ro lituis citharæ, pro telis plectra iuuarent,
A c ſolæ Veneris torquerent pectora curæ,
P omiſeram dominæ ante domum, myrtetaq; culta
S uſpendit clypeum, ac tentoria fixit inermis.
I pſe deos, ipſe heroas, ſuſpectaq; ponti
N umina, riualisq; timet cocytidas umbras:

In primis facie insignes, nitidáq; iuuenta
Pastorem Penee tuum, Atlantisq; nepotem,
Neu dulcis citharæ studium, neu carmina longè
Præferrent: dolor ingeminat, quòd uterq; pharetrã
Exercet, quòd tantum alter uirtute palæstræ
Polleat, hæc miseris urebant pectora curis.
Quid non cogit amor? furtim deus æthere ab alto
Labitur, obscuras Ciconum & peruenit ad oras,
Ignotusq; premit uirosæ littora ponti.
Hic legit quicquid ualles, & prata ueneni,
Quicquid habent colles, aconitáq; plurima carpsit,
Quæ contusa simul, geminoq; intersita saxo
Defodit, clypeumq; super, super indidit arma.
Nec multum pòst effluxit, quum prodijt ingens
E saxis fera, prouerrens & littora cauda,
Et cœlum fœdans squalore, & numina flatu,
Vt iam cœlicolæ mortalia fata timerent.
Sensit & ipsa malum, formæ sibi conscia, cultrix
Idalij, summoq; super de culmine tecti,
Ne tanti noua causa mali ferretur, ibi omnem
Ambrosiæ uim diffudit, sparsitq; per auras
Diuini roris succum, extinxitq; uenenum.
Tum superi fremere in Martem, accusare tonantem,
Præcipitem quòd non cœlo iecisset ab alto,
Aptabatq; pater telum, uetuere sorores
Fatorum memores, quòd prælia sæua Gigantum
Huius ope extinguenda forent, quòd brachia monstri

E t caudæ telum letale, quòd ora ueneno
A rmata indueret Mauors, quibus inclytus armis
S terneret anguipedes diuerso uulnere fratres.
I uppiter attonitum ad sese uocat, & lethæi
G urgitis admonuit. Tum Mars iraq́;, metuq́;
I nstinctus, cauda apprensum, deciesq́; rotatum
A era per uacuum patrijs allisit in aruis
N igrantem: trahit icta graui de uerbere hiatum
T erra tremens, patuere imi claustra abdita auerni.
O briguit nepa, datq́; atrum de gutture uirus,
M ox repit terræ insinuans, cauaq́; antra sequuta,
S uccedit q́; Erebo, stygioq́; in littore sistens,
I nfecitq́; & aquas tabo, & fœdauit arenas,
A t manes trepido fugêre in tartara cursu.
H inc deus admonitu Parcarum, & sorte futura
B ellorum monstri effigiem, atq; horrentia membra
A rmauit flammis, acuitq́; in uulnera caudam,
O raq́;, pectoraq́;, & minitantem incendia uentrem.
H æc ait, & madidis somnus se sustulit alis,
P ermansit signo uirus, quod pectora longè
N atorum referunt: hinc his periuria cordi,
E t fraus, insidiæq́;, & amor sceleratus habendi,
A rmatumq́; dolo facinus, tinctiq́; ueneno
C rateres, carmenq́; nocens, uisq́; insita ferri,
E t scelerum longè infamis per corda libido.
A t quibus in primo nascentibus affuit ortu,
N on his dexteritas rerum, non mentis acumen

D efuerit,uerum ira ingens,& pectoris æstus,
E t uarij exagitant motus, multumq; fatigant
A duersa,& tamen hos felicia fata,potensq;
E uentus manet, ac sobolis iucunda propago.
A tq; utinam non & patria tellure relicta
E xternas quærant urbes,non prima sepulchro
P ignora dent,non ob ueteres certamen amicos,
D amnáq;, & immensos subeant quandoq; labores.
N am quum de summo nascentibus affuit orbe,
D ifficiles animi mores,sed fortia præstat
P ectora,sed magno claros extollit honore
E x humili persæpe loco,dominiq; potentis
S ubleuat officio: tamen & consortis acerbum
F unus, & indignos affert de prole dolores,
N ec patitur certa erranteis consistere terra.
E fferet uxorem optatam,primosq; hymenæos
L ugebit,cui Maurysio de littore caudam
V ibrarit nepa fatiferum iaculata uenenum.
N on tamen ingenio deses,non pectore segnis
I pse geret magna commissa negocia cura.
D ecumbet terra ignota,cœloq; alieno,
E t cadet infelix uiolenta cæde peremptus,
S iue repente ruens fato rapietur acerbo,
Q uanquã prima gerens, & magna negocia primus.
E x imo cui sorte loco se Scorpius offert
A rmatum,ipse ima minitans fera uulnera cauda,
F raude potens,nitensq; astu,dominoq; superbus,

Quando

Q uando etiam socio iunxit sua tecta sub antro.
Dic, ô dic age sancte senex, dic maxime Chiron: De Sagittario.
N am te fama tenet stellis radiare sub istis:
D ic age, quæ te causa polo, quis'ue indidit astris,
A n'ne alius tanti lætetur munere signi.
S ic ego, sic placido cœpit pater optimus ore,
E ducens antro caput, & nitido igne coruscans:
S aturnus pater, at genitrix mihi Phylliris, una
N ympharum, quæ nimbosis in montibus herbas
C arpebat, succosq́; premens miscebat, & ægris
A rte sua præstabat opem, quo munere patrem
T raxit in amplexus, quamuis formosa, nec ulli
C ederet aut facie, aut longis spectanda capillis,
Q uumq́; hominũ thalamos fugeret, ui cõprimit illam
C lausus equo deus: hinc partem prognatus equinam,
Q ua genuit, refero: matris pars rettulit ora.
H æc puerum instituit cithara, docuitq́; per artem
C ogere sub numerum uerba, atq; innectere chordis,
P ôst etiam succos herbarum, usumq́; medendi,
E t curare manu uulnus, cantuq́; leuare.
S æpe etiam Aonides fusæ cum matre per herbas,
D iuinos lusere modos: hæ carmina nobis
M onstrarunt, hæ cœlicolas placare colendo,
E t sedare animos, & uincere dura ferendo.
N ec uero pater accessit, quum fortior ætas
A biecit nati curam, nam uiuere parco
M onstrauit, rectiq́; uiam, sortisq́; futuræ

A dmonuit memorem, præsentem expendere casum,
I ustitiamq́; sequi, & grata pietate parentes.
H æc seruans alios monui, in primisq́; deorum
I pse memor, sacro mortalia pectora cultu
F ormaui, & castas respersi frugibus aras.
I nde deos mihi concilians, diuertit ad antrum
S æpe meum Clarius uates, auiumq́; uolatus,
E t uoces didici, quid'ue exta trementia ueri
P ortendant, feriat neruo quo missa sagitta
C erta modo, didiciq́; uias, cœliq́; meatus
H ospite Mercurio: quin & monimenta reliquit
D igna deo, plectrum auratum, citharamq́; sonantẽ,
C ui septemgeminæ radiant per tympana chordæ.
I psa ebore intertexta, auroq́; interlita, cælat
C ustodis monstri languentia lumina uirgæ
A ttactu: redit in propriam Iò uersa figuram.
T alia narrabat senior, subitoq́; retexens
A uratam chlamydem: sunt hæc sua præmia laudi,
H oc, inquit, meritum uirtutis, & exerit arcum
I nsignem stellis, claramq́; sub ære sagittam,
I nsignemq́; manum, cubitumq́; insignibus astris,
E t caput, & fuluo radiatum sydere pectus,
G enuaq́;, tergoraq́;, & fulgenti uellere caudam.
M oxq́; subit postrema dies, atq; ultima uitæ
H ora mihi, finisq́; aderat iam certa senectæ.
S icut eram pater omnipotens circundedit actum
C andenti nube, & sublatum ad sydera uexit.

Astra

A stra micant, candet nubes circundata membris,
A etasq; in uiridem mutata est cana iuuentam.
Q uin & concilio fratrem, numeroq; deorum
I uppiter optasset, ni pars obstaret equina,
Q uòd simplex natura deûm: tamen aurea iunxit
T ecta meis: iuncta est & fratris regia fratri.
Hoc olim signum, ac minitantem uulnera cornu
S emihominem, cœli præsertim hac parte locauit
I uppiter, ut uidit tetra mauortia cauda
M onstra polo furere, & stellas fœdare ueneno.
A rmauitq; manum neruo, celeremq; sagittam
A ddidit, immanemq; feram, caudamq; rotantem
S ectari iußit telo, atq; infigere costas,
S i qua unquam positis ceßisset bellua claustris.
H inc primum cœlo admotus, flammisq; coruscat
C entaurus: posthac etiam me parte recepit
F raternæ pietas curæ, meritumq; laborum.
Q uinetiam precibus matris, studioq; sororum
A onidum, cantata etiam ob certamina diuûm,
R esq; hominum bello illustres, & fortia facta,
V irtutesq;, laboresq;, & decora ampla uirorun
A urato in cœlum curru, atq; in nube serena
S ustulit, & mecum hoc templo sacrauit Honerum,
P ræstantemq; tuba, & uincentem carmine cycnos,
A c matrem insigni referentem uoce Camœnam.
A ccepi uatem hospitio, lætusq; libensq;
C antorem ueteris belli, ac pugnacis Achillis,

Quem puerum cithara institui, docuiq; uel arcum
Lunare, ac pugnare pede, aut certare quadrigis,
Extinctum hic cecinit, cantuq; ad sydera uexit,
Post Veneris natæ precibus, meritoq; fauore
Aeneæ indigetis, magnoq; instante Quirino,
Insignitum astris, fulgentem in nube Maronem
Iuppiter his tectis, nostraq; in sede locauit.
Hic ubi bissenis circum redeuntibus annis,
Instituitq; dapes pater, & carchesia libat,
Titanum pugnæ memor: hi certamina uoce
Ingeminant: plausu resonant caua tecta sonoro.
Mirantur superi uates, & carmina totis
Auribus arripiunt. Tacito tum corde Meletes
Lætatur, tacito lætatur pectore felix
Mincius, & liquidis irrorant atria lymphis,
Poculaq; effusis tergunt argentea riuis.
Ne uero nostri patria ignoretur Homeri,
Vergilij aut iaceant proprio sine honore parentes:
Illi Aon patria est: genitum mons suscipit antro,
Educens nemore in lauri, dulciq; liquore
Castdiæ, alternoq; sinu fouere sorores
Pieriles, cantuq; leuem induxere soporem.
Mincius hunc genuit conceptum ex Andide nympha,
Quam Phœbe sociam, atq; anguis de uulnere tardam
Commendat Mantoi, furtim sed cœrulus amnis
Languentem, & sola tacitus sub rupe iacentem
Impleuit. Postquam ex utero iam prodijt infans,

Quo

Quo partus lateat, denso pater ipse salicto
Occultans (ut forte locis habitabat in illis)
Pignora sollicitæ commendat chara Melissæ.
Hæc natum gremio excipiens, flauentia mella
Instillat puero, & dulci rore illinit ora.
Ille faui ducens tenerum de nectare succum
Paulatim somno capitur, circumq́; frequentes
Ora uagantur apes, lectumq́; è flore liquorem
Intingunt labris, & rore madentia fingunt.
Atq; hunc cœrulei nantem ad uada nota parentis
Nereides (nam forte Pado procul æquore nabant)
Inspectum rapuere: aderat tum candida Siren,
Quæ uocis merito, & blandæ modulamine linguæ,
Formosum dono puerum tulit: inde per altum,
Sublatumq́; humeris, ponto plaudente ferebat,
Littora finitimo repetens coniuncta Veseuo.
Hæc puerum instituit cantu, ac mox capta pudore,
Arsit, & assuetis uouit malesana sub antris:
Parthenias iuueni nomen de uirgine mansit.
Nec temere huic signo tantum tribuisset honoris
Iuppiter, iratus ni contra tela Gigantum
Centaurum indueret: nanq; arcu corpora letho
Anguipedum bissena dedit, bissenaq́; equinis
Calcibus, & toto uictor discurrit olympo.
Hinc etiam natura Iouis sub sydere mansit:
Nam recti studium, atq; animi præstantia magni,
Et fratrum commendat amor, uisq́; insita cordi

D ulcis amicitiæ: stimulat generosa cupido
N ominis, ac precium famæ, & certamen honoris,
A rcitenens quos ipse suo tutabitur ortu.
I udicijs ijdem insignes, opibusq́;, operaq́;,
Q ui prodesse uelint alijs, qui uincere norint
C ertantes, quiq́; & lucris amissa repensent
R ursus, & aduerso fato dispersa reponant.
Nate uides quid certa fides, quid docta senectus
P romittant: meruit cœlum, noua sydera Chiron
E ffulsit, certantq́; deo cœnante poëtæ
I n laudes, dijq́; ingenijs præstantibus assunt.
F ata hominū, cœliq́; situm, & sua numina monstrāt.
N anq; heros sæpe Andæus Simoëntida diuam
I nuisens, thalamo geniali exceptus, & aula,
C olloquio fruitur dominæ, Charitumq́; choreis
I mmistus canit Aeneam: tum sedula mater
I ncingitq́; comam frondenti & tempora myrto,
I nuitatq́; hortis, ubi mollis amaracus illum
F loribus, & dulci spirans complectitur umbra,
I nde sinum pomis onerat Pometia, & ipse
A utumnus spolijs ramorum, & fructibus implet,
A mbrosiæq́; fluunt per prata uirentia riui.
I am primo quoties cœlo fulgentia Chiron
O ra effert, quicunq; nouas in luminis auras
P rodierit, quantum ille maris? quot flumina obibit?
Q uæ terræ errantem excipient? quos uiderit hostes?
E t tamen insperata etiam patrimonia adibit,
Publicaq́;

P ublicaq́; inſpecta geret ipſe negocia cura,
I ngenio bonus,atq; arteis inſtructus honeſtas.
E rrores etiam uarios,hoſtemq́; potentem
I ndicat,inſidiasq́;,& multa pericula,cœlo
S i medio aſpiciat: patrimonia perdit,& idem
R eſtituens aliena dabit,ſtudioq́; fideli
I ungit amicitias,conceptaq́; fœdera ſeruat.
E xercens habile ingenium, & mentē aptat agendo.
S æua tamen pueri tela,immanemq́; pharetram
I rati ciet,atq; incenſos uentilat ignes,
P erq́; oculos placidum demittit ad oſſa uenenum,
I ncolet externas urbeis,peregrinaq́; tecta
I actatus fato, tandem patriamq́;,ſuosq́;
I nuiſet,diuûm ipſe memor. Sed pectora curæ
E xagitant, & ſæpe dolor per corda recurſat.
S entiet iratos hoſtes,cladisq́; ſuorum
E xitij aut fratrum,magni ſeu cauſa pericli.
I lle quidem occiduo Chiron cui mergitur aſtro,
H unc cœli fauor arridens, hominumq́; fauorem
C oncilians ſtatuit templis,& præficit aris,
I ngenijq́; bonis,atq; artibus ornat honeſtis,
C ui fauet ex imo ſenior Centaurus olympo.
Q uin dulcis natorum amor,& iucunda propago
F elicem efficiunt: nam quamuis pignora prima
E fferat, optata rurſum noua gaudia prole
S uſcipiet: cumulabit opes pietate ſuorum,
D ebeat ut charis cenſum, et bona parta propinquis,

M ulta etiam in ſuperos pietate utetur, & aris
P lurima pro meritis perſoluet uota, benignos
T hure deos ueneratus, & igne calentibus extis.
Hoc ſigno ſeſe cœlum regione ſub ima
P ræcipitat, mergitq́; cauo nox atra profundo,
H ibernumq́; latet cæcæ caliginis antrum.
V ltimaq́; obliqui ſqualet procul orbita mundi.
Q uò poſtquam Sol præcipiti uertigine merſus
D ecliues impegit equos, languensq́;, madensq́;
D efeſſus curru, & longarum errore uiarum,
S iſtit iter, pronaq́; caput ceruice reclinans
D emerſos ſpectare locos timet, inde ſupinos
A ttollens oculos, elato lumine cliuum,
I ngentem latè cliuum timet, & ſuſpirans
S uſcepti queritur tantum ſupereſſe laboris.
R urſus ut æſtiuum cliuo rediturus ad axem,
H inc laſſos inſtaurat equos, & firmat eunteis.
N os quoq; defeſſos operum, rariq́; laboris
H ortatur Sol ipſe operis dux, ſiſtere currum,
E t iuga fumanti taurorum demere collo.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI, Vraniæ, siue De stellis, ad L. Franciscum filium, liber III.



V ce noua bonus annus eat: iam suspice nate
R oranteis Phaëthontis equos: en aurea cano
P urpureos aurora sinus de gurgite tollit:
C arminis hæc nostri fuerit dux. Sic tibi coniunx
P erstet in amplexu placido, uiridemq; iuuentam
I nduat, & sit nulla tuis iniuria tædis:
S ic nati sacros manes, sic Memnonis umbram
A les ab antiquo celebret uenerata sepulchro.
P ande uiam qua Solis equi, quaq; orbita currus
L uciferi assurgit: tibi enim, tibi credita primæ
C ura foris, tu mane nouos ad frena iugaleis
E xagitas, lucemq; cauis è postibus effers,
V nde dies toto paßim diffunditur orbe.
Bruma tibi ueteris finem, nascentis & anni
P rincipium dux certa dabit, quo tempore Phœbus
V ltima Centauri peragrat momenta biformis.
M ox celeres impellit equos in cornua, quis se
A rmatum ingentis cliui de limine primo
A egoceros offert: hæc incunabula Solis,
S urgentisq; anni prima est infantia, dum se
I nduit in uires paulatim firmus adultas,

P hryxeiq́; premit radiantia uellera monſtri,
E t lucem,noctemq́; pari diſcriminat hora.
A tq; hinc digrediens animis iuuenilibus uſus
I nſultat cœlo,ſpacijsq́; ingentibus actis
V ix aliquid tenebris linquit,feſſosq́; iugaleis
S iſtit, ab æſtifero ſpargens incendia Cancro.
H inc ſenſim lux ſurripitur,tenebrisq́; malignis
C edit feſſa dies,tamen ut conſiſtere contrà
A udeat,impreßis figens ueſtigia Chelis.
S ed mox prona fugit,uiolenti excuſſa ruina,
E xuperantq́; hyemes, paßimq́; horrentibus umbris
S qualeſcit cœli facies,quum luce repulſa
I ngeminat nigras nox importuna tenebras,
E t cadit infelix æuo uariabilis annus.
I pſe tamen redit in gyrum, uiresq́; reſumit
I mpiger,æterno ſemper remeabilis ortu.
H inc mortale genus paßim cadit uſque reſurgens,
P er ſpecies tamen,atq; æuo reparabile durat.

De Capricorno.

Principium Capricorne tibi debetur & anni:
P er te nanq; hominum generi lux optima ſurgit,
P er te Sol terris iteratos ſuſcitat ortus,
A nnuaq́; ingenti parat incunabula mundo,
L ætaturq́; nouo ſurgens infantia cœlo.
T e uero horrendum cornu,caudaq́; minacem,
P ræfecit cœli foribus prudentia diuûm,
I anitor & fato poſitus magna hoſtia ſeruas
P arcarum monitu: nanq; olim aſtante deorum
Concilio,

C oncilio, legesq; orbi dicente senatu,
T alia constanti cecinerunt uoce sorores,
F ata colo, rerum ac seriem quæ pollice ducunt:
C œlicolæ seruate fores, uigilesq; locate
L iminibus, furit iratis noua bellua terris,
F œdare afflatu cœlum, atq; irrumpere olympo,
A c thalamis reptare deûm, & sparsisse ueneno,
I am postes, atroxq; irrumpit limina Python,
S parsaq; torpenti liuescunt hostia tabo:
I am manus Anguipedum, cœloq; irata iuuentus
I nsultat portis, iamq; ex adamante securim
P orphyrios quatit, & postes diffringit apertos,
I mmittitq; acies Briareus, & agmina densat.
H as uoces fusæq; comæ, lachrymæq; sequuntur.
A ttoniti fatis superi in discrimine tanto,
D iuersas agitant uariato pectore curas.
A c tandem è multis una hæc sententia sedit:
C urarent seniorq; pater Saturnus, ab æuo
I am sapiens, Marsq; armipotens, cui pectora bello
A ssuerant, ne quid portis fraudum'ue, mali'ue
A ccideret, ne qua cœlo uis extera obesset.
C ustodes lecti foribus tentoria figunt,
C astra locant, uigilemq; suum in statione recensent.
M ulta quoq; inter se uaria ratione uolutant,
D um senior custodem erebi, triplicemq; latratum
C ommemorat: placuit cœli quoq; limina monstro
H orrifico armare, & terrorem adiungere claustris,

A c ſubito in Libyes fixerunt lumina terris.
E cce uident Nomadum in cãpis Tritonida ad undã
E rrantem, ac gemino cornu capita hirta ferentem,
S quamoſaq́; feram cauda, atq; horrentibus armis,
S ulcantemq́; arua, & pedibus iuga celſa prementẽ.
I llicet accitam cœlo, flammisq́; micantem
P ræficiunt foribus, radijsq́; ardentibus armant,
L iminaq́; ignito uallant ſibi credita monſtro.
C ui nares efflant candenti è ſydere flammas,
E t caput, & ceruix geminatis ignibus ardent,
C ornuaq́; hirſuta ſpargunt incendia fronte,
C ui pectus radiat flammis, uenterq́;, pedesq́;,
E t clara innumeris ſcintillant terga fauillis.
A ccenditq́; globos flammarum in uulnera cauda,
Q ua quondam Cœum implicitum, decicsq́; rotatum
A mbuſtum flammis, & tinctum membra ueneno
I n mare prouoluit, Cœoq́; ruente fauillas
C ontraxere auræ, incenſusq́; incanduit aër.
V nde hodie ueteris remanent ueſtigia flammæ
N ubibus in medijs, quoties aut fulgurat aër,
I gneáue ætherios percurrit linea tractus.
N ec uero non & pelagus quà corruit ardens
A nguipes obſtrepuit flammis, ſtrinxitq́; fauillas,
I ntortumq́; hauſit fumanti gurgite monſtrum.
H orruit oceanus uiſum, obriguitq́; capillis,
S pumeus eq́; humeris tremulo delapſus amictus
M ox ira accenſus fumantem, æſtusq́; uomentem

Percußit

P ercußit ſæuo lacerum ſub corda tridenti
V ulnere,quo(nanq; hæc inerat uis inſita telo)
I n ſquamas abijt cutis,atq; è corpore tanto
P rodijt immanis ſcopuloſo tergore Piſtris.
A ſt umbra infelix erebumq́; & opaca ſubiuit
T artara,ferratasq́; domos: ibi uincta catenis,
A mbeſoq́; trahens adamantina uincula collo,
F ert montem fumantē humeris, ruptatq́; caminos.
H inc igitur Sol ipſe uias orditur,& æquis
P aßibus incedens medio ſe temperat orbe.
N on læuum dextrum'ue petens latus. Annuus inde
H uc redit,aſſuetumq́; iter,aſſuetosq́; labores
I nſtaurat,portisq́; nouus bipatentibus exit,
V ictricesq́; rotas cliuo ſummittit anhelo.
H oc igitur ſigno genitos curæq;, laboresq́;
E xercent,cultusq́; ſoli,terræq́; domandæ,
H os dulces uerborum auræ, teneriq́; lepôres
D electant. Sed multa tamen mendacia uanos
E fficiunt: neq; enim dictis conſtantia perſtat.
Q uinetiam fœdi mores, urensq́; libido
S ollicitat cupidas mentes,ſtudiumq́; nocendi.
N am quibus in primo ſurgens apparuit ortu,
H is ſuperat res ampla domi, ſed ſponte per orbem
V iſendi ſtudio allecti,peregreq́; uagantur,
H is amor in teneras ſuccendens corda puellas,
S ubijcit imperijs dominæ. Verum arida poſtquam
D eſæuit ſitis,& longè exatiata libido eſt,

S ectanturq; odijs, & iniqua uoce lacessunt.
D egener his animus, sed mens famulata deorum
O bsequijs, precibusq; aras, ac templa fatigat.
V erum instructa dolis, fraudemq; in corde uolutans,
I ngratisq; operas ipsi, & benefacta locabunt.
A t famæ precium nobis, & gloria creuit,
Q uòd medio fulsit radians Capricornus olympo.
H inc etiam secreta poli, atq; occulta deorum
P anduntur, uarijsq; manent accommoda rebus
P ectora, & ingenio quæsitum nomen ab ipso est.
H inc multis alimenta damus, nostroq; fouemus
P ræsidio, & magnis primi quoq; præsumus actis,
E t primi ueterum colimus monimenta uirorum.
Pronus ab oceano mentis portendit acumen,
I ngeniumq; capax, & uestigantia longè
C orda, sed occultos languenti in parte dolores
C orporis, aut animi uarios denunciat æstus,
C riminaq;, insidiasq;, grauiq; pericula damno.
E quibus emergit tandem, placideq; quiescit.
Sede iacens ima patrimonia uertit, opesq;
A lternat patrias, proprijs quas uiribus inde
C olligit, & diti peragit sua fata senecta,
A c sibi uel natos alienæ stirpis adoptat,
A ut prolem ignoto genitam de semine tollit.
A tq; hæc hiberno præstat Capricornus ab antro.
De Aquario. Hinc tener humenteis resupinat Aquarius urnas,
A c, mirum dictu, riuos è sydere fundit,
Ipse

I pſe puer(ſic fama refert)gratusq́; tonanti
M armorea miſcet rorantia pocula dextra,
A tq; deos rara trahit ad ſpectacula forma,
I nſignisq́; auro,ſtellisq́; micantibus ardens.
N anq; comam geminis circum caput implicat aſtris,
E t latos humeros duplicato ſydere, & ambas
I nſignitq́; manus, niueamq́; ad pectora mammam,
A tq; utrunq; genu,cubitumq́; utrunq;, pedesq́;,
N ec non & lumbo,nec non & crure refulget
S ydereus puer, & roſeus per membra coruſcat
F ulgor, & auratis ſcintillant ignibus artus.
Q uin dextra,læuaq́; hinc illinc ſtellifer amnis
L abitur, & fuluo radiat fluor aureus imbri,
I ncenſasq́; uehit ſinuoſum flumen arenas.
C uius ad exortum,primoq́; à fonte renidet
S tella micans,unde irriguus deuoluitur amnis,
M uſcoſumq́; patet pictæ teſtudinis antrum,
N aiadum thalami,dulcesq́; ad furta latebræ.
I n primis habitat mollis laſciuia tectis
N uda genu,petisq́; oculis inuitat amantes,
E t præfert niueas roſea ceruice papillas.
S ic uobis Nymphæ æternum ſit ludere in antro,
N aiades Nymphæ,ſic ipſa ad gaudia certus
A ßit amans,ſtetq́; intacto ſub fœdere lectus,
E t primi ſemper maneant in amore calores,
D icite (nam memorare iuuat) quæ ſyderis huius
C auſa,quid æterni mânent de ſydere fontes,

Q uo mecum uestri maneant cum carmine honores.
H oc signo statuit portas natura secundas
A etheris, & cœli posuit simul altera claustra
A duersus rapidum Pythona, irasq; Gigantum.
P ræficit is famulum egregium Saturnus, & ambas
S eruantem portas tuta statione locauit.
I lle ut erat cura uigilanti, & uiribus amplis,
P ræmunit fossa uallos, & flumina fossæ
A ddit, & immittit uiolenti gurgitis amnes.
T entanteis igitur muros, & mœnia longo
A riete quassanteis, & ui rapida arma mouenteis
A nguipedes, cœloq; faces inferre paranteis,
D iluuio immersit iuuenis. Nanq; aggere rupto
F ossarum, immisit rapido torrente fluentum
V ndiuagum, quo latè ingens sub uertice torto
A bsumpta est legio, & rutila natat agmen in unda.
A tq; ibi tum in geminos diducens se ipsa rotatus,
A ltera spumosum Alphestem, fluctusq; uomentem
A ëra per uacuum nimbo comitante per auras
P ræcipitat. Ruit ille, ruens atq; imbribus auras
I mbuit infectas, pluuiosum atq; aëra nimbis,
V nde æterna manent imo uestigia cœlo,
I mbrisq;, & pluuiæ, & torquentis fulmina nimbi.
A fflictus tandem scopulosis montibus ingens
I ngentem latè sonitum dedit: inde liquescens
S oluitur in latices, generosisq; amnibus auctus
E ridanus, flauis in pontum erumpit arenis.

Alphestisq;

A lphestisq; alpes traxere à nomine nomen.
A ltera præcipitem Minanta per aëra obustum
F ulminibus iacit. Hic obliquo tramite raptus
C oncipit humenteis austros, quibus actus & ipse
A ethiopum per summa iugis influxit acutis.
Q uà iacuit uomit is largos de pectore fluctus.
T abescunt & mox artus, ac margine longo
N ilus it, ignotas noto uix fonte per urbeis,
I ntrat & Ionium septeno gurgite pontum.
H is actis postquam cœlo pax parta tonantem
A dmonuit decoris tanti, gratusq; senatus
D ecreuit meritis factum illustrare trophæis,
E ffulsit stellis iuuenis, diffulsit & amnis
C onspicuus, facinusq; manet regalibus astris
P erpetuũ, & magni celebratum est nomen Aquari.
V nde deûm sibi præsidium discrimine in arcto,
Q uanquam nulla hominũ superat spes, alite dextro
S entiet, ac magnum diuina sorte periclum
P eruadet, quicunq; oriens orientis Aquari
F eliceis radios, & amicos uiderit ignes.
I lle bonas arteis solers tractabit, opesq;
I nde parans, dabit & multis alimenta ministris,
E t multos parto pascet, magnoq; fauore
I unget amicitias, primorum ex urbe uirorum.
M unera quinetiam scriptis commissa tabellis,
S iue deûm in templis, & sacra negocia curans
S entiet inuidiæ uulnus, liuentiaq; arma.

Perdet opes, parta amittet, quæ uiribus usus,
Ingeniiq; bonis facili ratione repenset.
Qui si de medio nascentem aspexerit orbe,
Fuderit & liquidos amnes de culmine summo,
Diuitiæ undabunt illi, rerumq; paratus,
Affluet & multa quæsita pecunia cura,
Publica dum tractat, peragitq; negocia solers
Propter aquam, studet aut rebus non segnis aquosis,
Regibus aut placet, aut dominantum limina seruat.
Sed nec certa fides undis, & flumina sæpe
Finitimos populantur agros, egressaq; ripis
Dant stragem, & miseri frustrantur uota coloni,
Dum sata, præcipitemq; trahunt spem gẽtis, & anni.
Fert & opes, adimitq; datas Atlantide ab unda,
Lucraq;, damnaq; mutato de sydere præbet.
Atq; utinam quæcunq; illi sua contigit uxor,
Seu uidua, & primi thalamos defuncta mariti,
Seu uirgo, furtim illecebras quæ nouit amantum,
Siue anus, & penso quæ dudum assueuit herili,
Concordeis agitet tædas, seruetq; pudorem.
Nil illi gratum à socijs, gratum'ue ab amicis
Speretur, sterilem ipse fidem frustraq; dolebit,
Si quem deuexo nascentem uidit ab orbe
Idæus puer, & liuenti infecerit amne.
Hinc fluuios & stagna timens, non æquora tentet,
Tyrrhenó ue ausit sese committere fluctu.
Inuidia iuuenem infecit Saturnus, ut olim

Deformem

D eformem se æuo, atq; effœtum uiribus, & iam
I nualidumq́; artus, & squalida membra rigentem.
A st illum facie insignem, & florente iuuenta,
A cuidit placidis ætatem ducere curis,
C aptantemq́; umbras, & agentẽ ad plectra choreas.
H inc signo mansit liuor, quem pectora longè
N atorum referunt, manserunt ocia, inersq́;
M ollicies, animusq́; ignaua degener umbra,
Q uod signo Cytherea dedit: nam sedula crinem
D um lauat, Eridaniq́; caput depectit ad undam,
H anc grauior dictisq́; senex incensus amaris
A ccusat, quòd nulla coli, quòd sola decoris
C ura sit, atq; uni tantum placuisse laboret
P ascenti niueas prope Nili flumina uaccas.
T ristius hoc Veneri nil unquam contigit, & se
S urripiens, irata comam dispersit, & amne
I n medio iecit strophium, & cum pectine gemmas,
A urea quîs nitidum religabat fronte capillum.
A tq; ait hæc: Quantum ille senex durusq́;, rigensq́;,
Q uantum tristitiæ simulato in pectore cælat,
M ollescant magis hoc illis sensusq́;, animiq́;,
I nq; uiri speciem referant sine honore puellam,
Q uicunq; hoc geniti signo se hoc amne lauabunt.
D ixit, & in geminos flexit uestigia Pisces.
Excepere deam famuli, ac lenire dolorem — De Piscibus.
C ontendunt: simo cœpit sic alter ab ore:
T empore quo genita es, conchaq́; imposta nitenti,

N os Paphon, & charæ prouectam ad littora Cypri
D etulimus, ſalſos & iuncti enauimus amnes,
C œrula uerrentes ſinuatis æquora caudis.
I nterea nos ipſa manu mulcere, iugaleisq́;
A ppellare tuos nobis, & amaracon ipſa
P orrigere, & blandum ambroſiæ inſtillare liquorẽ.
Q uimetiam mutis uoces & uerba dediſti
R eddere, & ingentem fando lenire laborem.
I pſa loquebaris. Tumidi ſubſidere montes,
A tergo ſpirare auræ, atq; impellere fluctus.
C riſpabat tibi tum molles leuis aura capillos.
I lli perq́; humeros uolitant, perq́; ora recurrunt.
C olligis ipſa leui digito, ad frontemq́; reponis.
T um paßim læti ex oculis ſpirantur honores,
S cintillantq́; genis ignes, tremulumq́; per æquor
I rradiat, niueo fuſus de pectore candor,
C œrulaq́; undifluæ ludunt ſub ſtagna papillæ,
V iſendi ſtudio incinctæ funduntur ab antris
N ereides. Stupet hæc teretes mirata lacertos:
I lla manum inſignẽ digitis: pars oſcula. At omnes
T orpeſcunt, placidos flectis quum lenis ocellos.
O ccurrunt hinc Tritonum chorus omnis, & omnis
A equoreus grex, excultum dum ſedula carmen
C oncinis, argutæq́; fauent concentibus auræ.
C antantem taciti excipiunt ſtupefacta iuuentus,
I mmotosq́; tenent modulata ad carmina uultus:
M ox incenſa oculis, roſeisq́; incenſa labellis

Concipiunt

C oncipiunt flammas uenis, certantq; canenti
O scula quis rapiat primus, quis pectora tractet.
R isisti, teneraq; manu iaculata sagittam
C ertantes fixisti, atq; ipso uulnere transfers
C onceptum in Nymphas iuuenili ardore furorem.
I llicet inuadunt socias, fusiq; per æquor
I lle suam rapit, illa suum complexa, per undas
L udit, & argutis resonant uada salsa cachinnis.
I psa inter medios ueheris placidißima lusus.
T hracius hæc: udo Notius sic subdidit ore.
Ipsa memor dea quum tenerum nilotide in herba
P astorem ad lusus, & munera grata petebas,
N os te per proni deuectam fluminis undas
T ollimus, & nota lætantem sistimus umbra.
I psa memor tibi quum ripa ulteriore lauanti
I nsperatum adeò iuuenem, totiesq; uocatum
A ttulimus iaculo insignem, atq; è cæde madentem,
A uulsumq; apri caput à ceruice ferentem.
I s te improuisam amplexu donauit, & apro,
O sculaq; in roseis fixit malesana labellis.
E xanimis cadis, exanimem fouet arctius, oriq;
A mbrosiæ inspirans auram, & de pectore florem
I dalium reuocat, reuocataq; pectore blando
E xcipis, & mollem amplexu dum nectis amantem,
H uc illuc cupida ex oculis incendia iactas.
Q uis paßim toto caluerunt flumine pisces,
A rsit & ipse imo septemplex gurgite Nilus,

A c Nymphæ insolitos antris sensere calores.
M ox & Acidalio lauisti rore madentem,
A c uiola superinstratum, roseoq; cubili,
T ecum sublata duxisti ad gaudia ueste,
C andidaq; assueta nituerunt membra sub umbra.
M urmuraq; insonuere: sopor mox iunxit amantes.
N ec non ipsa animo repetens conuiuia magni
O ceani, mensasq; paratas littore Hibero,
S cis dea cœruleas nobiscum nasse per undas
T yrrheno in magno, & Tarteßiaco secessu,
D um tecum diuûm acceßit genitorq;, tuusq;:
I psa etenim complexa patrem Piseide terra:
N anq; aderas quum lecta domi Pelopeia iuuentus
C ertabat, plausuq; Helis, ripæq; sonabant
A lphæi, bimarisq; Isthmos, uicinaq; ponti
L ittora: tum complexa patrem, supplexq; rogabas,
L inqueret aërios tractus, axemq; tonantem,
E t tecum bijugo sulcaret cœrula pisce.
A nnuit is, placidusq; suæ dedit oscula natæ.
E rgo ubi ad Hesperios superato marmore portus
V enimus, auriferiq; Tagi nos regia cepit,
N ereidum chorus hic omnis, uiridisq; iuuentus
O ceani, madidiq; amnes, tacitusq; senatus
A stitit, ipse parens undarum, & rector aquarum
T er dominum ueneratus, ibi clamore salutant
C ertatim populi, atq; imo plebs acta profundo,
B uccinaq; insonuit, rauco & tuba concaua cantu:

Quo

Q uo sonitu superi acciti dum forte morantur,
A pproperant: mensæ appositæ: sedet autor olympi
I n medio: accumbunt alij certo ordine reges:
L uxuriantq; dapes, & uina liquentia rorant.
N aides his centum incinctæ, totidemq; ministrant
N ereides: uacuis sunt muta silentia in antris.
A t postquã summotæ epulæ, mensaq; secunda,
L uditur, ipsa patri pomum, & carchesia libas.
L ibantis conuiuæ oculos, atq; oscula, & ipsos
C andentis dextræ articulos, limbumq; fluentem
M irantur: calices Marti cecidere remißi,
D um stupet, inq; genis hærentia lumina figit.
I nducis mox & choreas, medijsq; choreis
A ura leuem tunicam furæ subduxit: ibi ille
E nituit plantæ decor, atq; argentea nudi
F orma pedis, fulsitq; genu pars prima nitentis,
Q ualis nocturna fulget tuus Hesper in umbra,
D um tenuem plantæ acclinans inducis amictum,
A c femori pudibunda times: saliere papillæ
P ectore de niueo, ac rarum decus aëra lustrans
P ræstrinxit spectantum oculos, texitq; ruborem,
Q ui tibi per niueos furtim surrepserat artus.
H ic finis choreis: citharam mox aurea sumis,
I nsigne & plectrum gemmis, chordasq; sonanteis.
I psa leui digito sensim tangisq;, premisq;,
A c uocem neruis, digitis quoq; carmina nectis
E modulans. Siluere auræ, siluistis & undæ,

V enistisq́; aliâs immotæ, ad carmina cautes.
I am sopor inductus cantu compresserat ipsos
C onuiuas: tum docta lyram, tum fila recurris,
A tq; abigis uolucres varianti pollice somnos.
T um natam pater amplectens his uocibus infit:
C onsensu superûm summo, æquoreiq́; senatus
D ebetur formæ precium, & decus omne, tibiq́;
C oncedant & Nereides, concedat & æqua
P allas, & ipsa meo ponit quæ membra cubili,
V na interq́; deas, & formosissima Nymphas.
E cce tibi citharaq́; potens, dux ipse choreis
C oncedit Phœbus, citharam quoq; tradit habendã,
I ntextamq́; auro, & daphneide fronde uirentem.
E cce tibi faciles cedunt in carmine musæ,
E t tua frondenti circundant tempora myrto,
V na & forma, una & choreis, & carmine princeps,
E t mihi felices inter charissima natas.
L audantem plausu excepit Mars: inde secuti
H eroës, resono assensu uacua antra resultant,
A c nomen Veneris referunt ad sydera uoces.
H is tum mulcebat dominam zephyritida piscis.
Hos igitur pater omnipotens postq̃ æquora rursum
S ulcauit, stetit & Pisæo in littore uictor,
C ommotus precibus natæ, meritisq́; natantum,
I mmisit cœlo, stellisq́; ardentibus aptos
I ussit in æthereo geminos splendere recessu,
L udenteisq́; polum obuersis innare figuris.

Inde

I nde manet ſtudium natis peregrina uidendi,
L ittoraq́;,urbesq́;,& longinquas noſcere terras.
H inc uariat mens,atq; anceps in corde uoluntas,
E t non una quidem dubijs ſententia rebus,
A ſſuetosq́; malo dulci pòſt aura receſſu
E xcipit,& placidi componunt pectora mores.
H is generis fœcundus amor,ſtimulansq́; libido,
A c reſides animi, mollesq́; ad pocula luſus
I ngeminant: & læta canens ad uina puella
E xcitat unanimes concordi fœdere ſomnos.
I lli autem dorſo,& pinnis,& tergore toto,
O req́;,caudaq́; inſperſis ſimul ignibus ardent,
S ed ſinuoſa breui diducit linea tractu,
A lter ut in Boream ſurgat,cadat alter in Auſtrum.
I pſa quidem triplici flexu,tripliceisq́; per ignes
F ulget,& hinc claro nexum ligat æthera nodo.
Ille igitur,quem cœruleo de gurgite Piſces
N aſcentem aſpiciunt, cœloq́; tuentur eoo,
M ultum urbeis petet ignotas,longumq́; uagatus
N oteſcet peregre externis nouus aduena terris.
Q uin etiam ingenioq́; ualens, & pectore plenus
M unera tractabit ſolers,quibus inde peractis
A d maiora gradu properabit munia certo,
C ertus amicitijs,cognato & ſanguine certus,
V lciſcensq́; hoſtem facilè,atq; ex ordine fœlix.
A t cui de medio ſquamoſis culmine nantes
A lludent caudis,illum ſua flumina noſcent,

V icinæq; urbes pelago, censumq; alienis
Q ui paret ex opibus, multa & patrimonia gaza,
D iues agri, diues pecoris: neq; finibus unis
Q ui serat, ut duplici forsan dominetur in aula
I mperitans, geminasq; potens moderetur & urbes.
A st hunc pomicolæ Hesperides si gurgite auito
A ccipiant, udoq; lauent simul æquore Pisces,
E xternæ noscent urbes, peregrinaq; tecta
P ræstantem ingenio, & facilem bene rebus agendis.
Q uinetiam Veneres, & gratia magna sequetur,
O bsequio ut multi passim famulentur amico.
N ec uero non ille suis accommodus actis,
C iuibus aut notus, aut fido pectore clarus,
A ut cuius certæ credantur munera curæ,
Q uem celeres imo Pisces tueantur olympo,
N ecnon & thalamum auersans, læsosq; hymenæos
A ccuset, meritoq; illi damnabitur uxor,
N i felix placido faueat Saturnius astro,
S pondeat & gratos blanda cum coniuge mores.
Hoc igitur te nate iterumq;, iterumq; monebo,
O bserues semper signi qua parte tyrannus
F elix'ue, infelix'ue suo circumuolet axe,
S tet'ne, ruátne cadẽs, summo aut dominetur in orbe:
E t quo quisq; modo iuuet, aduersetur & heros,
H ospite quo, laribus'ne sit ipse acceptus amicis.
H is etenim uariant uires, & fata locorum,
C ertior aut certis perstat sententia dictis.

Atq;

A tq; hæc te toto iubeo perquirere cœlo,
Q uicquid agas, quæcunq; tibi sint fata canenda.
Hoc signo Solisq; uiarum, atq; ambitus anni De Nodo.
C lauditur, idq; suo testantur sydera Nodo,
F ulgentis clypei in morem, quo Colchica frontem
E xercet, cornuq; ferox insultat adunco
B ellua, & aurati surgunt in prælia uilli.
H oc quondam clypeo diuûm se astante corona
Q uadrupedi Mars obiecit, quo percitus ille,
C ollegit sese in uires, mox terq; quaterq;
I nsilijt: sonuere auræ: tum fulgidus umbo
E uomuit latè flammam, & lux ignea fulsit.
O ctauo Mars excussus de uerbere pallens,
I ncumbitq; genu, & uix pectore sistit anhelo.
A t quadrupes cedens, seseq; in uulnera firmans
C onsistit, totoq; oculos umbone pererrat.
S ublatus, mox & saltu super aëra ducto
I niecit sese totum in clypeumq;, deumq;,
E xcutiturq; genu deus, atq; in terga reuersus
L abitur, & superas plantis diuerberat auras,
P rostratusq; solo dolet, ac noua prælia damnat.
R iserunt superi, & plausum caua tecta dedere.
M ox clypeum illustrant astris, monimentaq; læto
A ffigunt cœlo, æternam testantia pugnam.
T alibus, atq; alijs nitet intertexta figuris
Z ona Iouis, zona aurato circumlita textu,
F ataq;, fortunamq; suis quæ temperat astris.

Nunc agite ô faciles mecum quæ rura Napææ.
I ncolitis, quæ frondosis in collibus hortos
A sseritis, colitisq́; uagos per deuia fontes,
N unc agite ô raram insigni de flore coronam
T examus, myrtoq́; nouos iungamus honores,
Q uo tumulũ, & magni ueneremur templa Maronis.
S parge rosam, largaq́; manu fundamus odores,
P lacemusq́; uiri manes, umbramq́; silentem.
S aluete ô cineres sacri, longumq́; sub urna
V er spiret, tepidæq́; hyemes, & mollior æstas.
I ncrescant tumulo lauri, ac bene consita myrtus.
S ponte sua maris, & rores noua mella ministrent,
E t Nymphæ arguta carmen modulentur auena.
V os manes mihi felices & adeste uocanti,
E t mihi quod reliquum cœli, quóue orbe uagandum
P andite, fatorumq́; uias, & operta monete,
A c toto rerum seriem deducite cœlo.
S emper flore nouo, semper uenerabimur aris.
A udiuit pater, & tota se sustulit urna,
E t mihi certa suo fulserunt sydera mundo,
Q uaq́; Arctos riget, & quà se tegit humidus Auster.
Ergo age chare puer, roseo primum aspice ab ortu.
N ox fauet, oceanoq́; suo uaga sydera surgunt,
E xertaq́; Aries caput, & fera cornua quassans
I ncipit in gelidos sese obiectare Triones.
I llinc aurata nitet olim texta figura
N auis, & ipsa suo spumescunt cœrula fluctu,

Aurea

Aurea materies, & clauo nexilis aureo.
Ipsa quidem memor auectæ de Colchide pellis
Quadrupedem obseruat, uersaq; in uellera puppi
Prora latet, maloq; suis spectabilis astris
Prospectat ditem felici uellere lanam,
Quam cœlo pater impositam regnare per undas
Iussit, & esse polo uoluit, quo nostra moueret
Pectora, sulcandoq; mari remisq; agitandis,
Mercibus & peregre per littora curua petendis.
Ergo cui primo nauis sese obtulit ortu
In lucem uenienti, hunc æquora salsa magistrum
Agnoscent: reget ipse manu, clauumq; tenebit,
Typhin & insana referet speculator in unda.
Ipse gubernator sic se Palinurus agebat,
Explorans uentos, atq; auribus aëra captans.
Talis & à capreis uilloso intectus amictu
Vela dat, obliquatq; sinus, & colligit euros.
Ast ubi se oceano immersat, si frigida cani
Stella senis radios impegit forte nocenteis,
Illos Euboicæ cautes, dirusq; Caphareus
Expectant, illos nigrantibus acta procellis
Haurit hyems, latus aut scopulo diffringit acuto.
Hoc te nate docens iterumq;, iterumq; monebo.
Vita tibi, motusq; animi quærendus ab ortu,
Vnde etiam toto lux ipsa effunditur orbe.
Surgit ab occasu mors importuna maligno,
Quà tenebræ, quà nox nigrantibus aduolat alis.

E rgo animum quod constituit, quod continet artus
S ydus ab exortu, mutato fœdere rursum
P erdit, ab occiduo si telum emiserit orbe.

De Orione

Insequitur pòst Orion, quem rettulit astris
V enandi studium, atq; actarum in tela ferarum.
I pse ensem auratum incinctus uenabula gestat,
S ollicitusq́; animi mentem dubiusq́; fatigat,
E t parat in saltus iamiam se inferre repostos,
G enuaq́;, brachiaq́; exertans, & pectore anhelus.
V nde & quem primo nascentem aspexit eoo,
I lle pedum cursu, insignisq́; & corporis ipsa
M obilitate uigens, habiles se exercet in artus,
I lle animi dubius, & mentis percitus œstro
T urbatis agitur stimulis, uexatq́; flagello
C ura recens, mutatq́; locos, inceptaq́;, & æger
P rincipis ipse aulas, & limina nota frequentat,
D iscursatq́; foro, & populos rumoribus implet.
P ronus ab oceano, uitreisq́; Atlantis ab undis
E xercet mentem curis, uersatq́; agitando
H uc illuc, trepidos reuocans in corda tumultus.
M unera quinetiam populi dum tractat, & absens
O rator peragit magni mandata senatus,
I nfelix procul à patria, charisq́; propinquis
D ecumbet moriens. Tamen hæc solatia secum
H aud ingrata feret, paruaq́; relatus in urna
C ondetur populi lachrymis, positusq́; sepulchro
O rnatur titulis, nomenq́; refertur in actis.

Ante rogum flet mœsta parens confecta senecta,
Inijcit & canos tonso de uertice crines,
At coniunx contusa genas, discissa capillum,
Infelix coniunx cœlum & crudelia damnat
Sydera, seq; rogos super iniectura iugaleis
Labitur exanimis: uix fessi à morte parentes,
Aut reuocant gemini qui flent circum ubera nati.
Hinc feruens Auriga uago sese exerit axe. De Auriga
Nec sine re nomen traxit. Si fabula cœlum
Ornauit, tamen ipsa usum commenta sequuntur.
Huic currus, huic arma placent, iunctiq; iugales,
Quîs Alphea secus labatur flumina uictor.
Qualis Erichthonius currus, & quattuor ausus
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere uictor:
Qualis & Autumedon currus moderatur Achilli,
Quiq; etiam medijs domitor trux audet in aruis
Sistere equũ, & grauibus ceruicẽ onerare capistris,
Cogere mox domitum, & strictis agitare lupatis,
Nunc curuo obliquans gyro, nunc uerbere torto
Impellens: secat ille auras, atq; aëra campo
Peruolitans, dorso interea desultor equino
Adstratus, torquet celerem post terga sagittam:
Mox hastam terræ accliuis leuat, & iacit: inde
Desilit alterius dorso leuis, alteriusq;
Pressat equi costas, & latos perforat armos.
Nunc humilis, nunc elato se pectore tollens,
Nunc ceruice super, duplici modò tergore fusus

H ucilluc agitat curſum,& ciet agmina dextra.
A t quum præcipiti occaſu,rapidiſq; ſub undis
M ergitur,incanamq; uidet per marmora Tethyn,
I nfelix tunc exitium meditatur,& axe
E xcuſſo rapit auulſos de corpore truncos,
A c circum Iliacos lacerum trahit Hectora muros,
A ut parat immani fatum crudele ruina
F ulminis aërij, Capaneus ut turribus altis
I gne Iouis ruit, atq; uſtus deſcendit ad umbras.
I nfami nunc ſupplicio ſuſpendit, & arctis
F aucibus eliſos agitanti uentilat aura,
C oniugis ut laqueo infelix ſub nocte pependit
A ndreas, quanquam Italicis rex magnus in oris.
H æc & deteriora ferox Auriga minatur,
Q uum malè felici occumbens radiatur ab aſtro.

De Hœdis

Hac etiam de parte aſtris fulgentibus Hœdi
A ttollunt caput,& cœlo ſpaciantur aperto.
T um molleis agitant luſus,fuſiq; per herbas
I nſultant folijs,ac torua fronte minaces
P rætentant pugnas: tamen illis mollia cordi,
I mbelleiſq; agitat tantum laſciuia ſenſus.
P romittunt igitur duros à fronte Catones
N aſcentes Hœdi : turpi ſed inertia mentem
O ccupat,& molles languent in pectore curæ.
T riſte ſupercilium, molli ſed degener umbra
E ſt animus luxu languens,& deſide ſomno.
F rons ficta,obſcœni mores,petulanſq; libido,

Armorum

Armorum & deses fuga, nobiliumq́; laborum.
Hinc mortem sibi consciscunt. Infamis & umbra
Erret lethæos non transmittenda per amnes.
Sic errant miseri manes, atq; umbra Neronis,
Sic Otho, quiq́; in se ferrum strinxere nefandum,
Et mille errabunt annos sua corpora circúm.
Nec uero non argutis in uallibus Hœdos
Fistula delectat uacui pastoris in umbra.
Agrestem hinc tenui musam meditatur auena,
Formosam resonare docens Amaryllida syluas
Tityrus, & si quem Olenio de sydere fratres
Nascentem blando calami dignantur honore,
Vt quondam tereti Damon innisus oliuæ,
Coniugis indigno queritur deceptus amore,
Quosq́; refert Siculus felici carmine pastor
Mulcenteis cantu pecudes, & arundine syluas,
Dum stupet, & subitis caput exerit Aetna fauillis.
His, cantu commota, imoq́; Arethusa profundo
Emergens, udaq́; comam circundata ab alga,
Intexitq́; apio sertum, ac uiridante cypero.
Ast alijs malesanus amor noua crimina suasit,
Iussit & è proprio dextram fœdare cruore.
Substrinxit laqueo collum, atq; ad limen amatæ
Iphis Anaxaretes immania fata peregit,
Ac misera ante diem zona crudeliter usa
Phyllis ab intonso pendet Rhodopeia trunco:
Tantum mollicies Hœdorum, & sydera possunt

I n scelus. At positi oceano, atq; cadentibus astris
S aturnus si forte minax aspexerit, ipso
I nfelix infans partu morietur, ut ægram
V ix ope nisa sua seruet Lucina parentem.
C ædetur miser ante aras, & uictima cultrum
I mbuet, & fuso placabit sanguine diuos,
S i Mars forte suum præsens uibrauerit ensem,
N ec Iouis, aut Veneris felix eat obuius ignis.

De Hyadibus.

Mox Hyadum chorus eois emerget ab undis
F ratris Hyæ, quas perpetuus dolor indidit astris,
V nde illis nisi triste nihil: non corda quietem,
N on animi faciles somnos, non membra soporem
A ccipiunt, & cura nouos parat usq; labores,
Q uis chorus hic ipso nascentibus astitit ortu:
H os tumidos populi fauor, & plaudentia rostra
S ollicitant: serere arma inter plebemq;, patresq;,
E st amor, & positos rursum instaurare tumultus,
C iuileisq; manus armare, & stringere ferrum:
T antum seditio placet. Atq; hæc pascit auentes.
Q uid Gracchos tibi commemorem, aut ciuilia bella?
N on deerit populo luctus, foráue ipsa quiescent
T urbinibus, quoties urbis moderentur habenas,
Q uos Hyades passo mœstæ uidere capillo
N ascenteis. Ipsæ oceano capita alta ferentes
D antq; locum Tauro, uicinaq; tempora miscent.
I nde gregis felix studium, atq; armenta sequuntur
E rrantes: lætus canit ad mulctralia pastor.

Illos

I llos exitium infelix, uiolentaq; fata
E xpectant, raptos artus, laniataq; membra,
A uulsumq; caput ceruici, humerosq;, manusq;,
B rachiaq;, excisosq; pedes in frusta, femurq;,
C ordaq;, uisceraq;, atq; ipsis cum pectora costis:
D ifferet armato plebes excita tumultu,
V t nulla miseri manes claudantur in urna,
N ec certum uolitet circum leuis umbra sepulchrum,
Q uum tristes amne hesperio lauere sorores
D iffusasq; comas, sitienti & gutture collum
I mmersere undis, quis aut mauortius heros
I nnatet, aut nigri inficiat cum tabe ueneni
S aturnus liuenti oculo, liuentibus urnis.
Posthinc & pecus Olenium, & Iouis inclyta nutrix De Capra.
I psa suos effert radios, nec longius Hœdos
I nsultare solo patitur sine matre uaganteis.
S ollicitæ natorum amor, ac noua cura recursat,
T um metus, & quæ sunt timidæ præsagia matri.
H inc ingens formido, & consternantia longè
C onsilia, incursansq; tremor per membra, per artus
O ccupat, & leuibus mens ipsa exterrita causis
D iffingitq;, auditq; graueis instare tumultus,
S citaturq; nouas res, & sectatur easdem,
Q uem tenera Oleniæ lactarint ubera Capræ.
A st obiens, & quum hesperio se gurgite tingit,
R ustica nascenti dat prædia (rura capellæ
N anq; colunt) dat opes, atq; ipso in littore partas

N aufragijs, procul aut ripis fluuialibus actas.
I lla colit ripas, gaudent & flumina ripis,
R elligio sed spreta deûm, uiolatáq; templa
I nfamant, aris pollutáq; dextera sacris.

Situ stellarum mutari pro temporibus.

Hos Aries secum socios ad munera quondam
N aturæ ducebat, & unà ad signa uocabat,
V nà etiam egreßi castris in bella ruebant.
P óst uero cœli ratio, flexusq; uiarum
M utati: uariant ortus, spaciumq; locorum
A dextra læuáq;, nec uno sydera tractu
V ertuntur, semperq; aliquid mutatur in annis.
I ncerti fines, certus sed uoluitur ordo,
S ic uariant & fata: manet uis lubrica fati.
H inc nunc Tyndaridis comes additus, æquore tollit
S ydereas Auriga rotas: quatit aureus ensem
O rion, præfertq; Ioui stellantia nutrix
V bera, & Olenios charißima pignora fratres.
Q uin & Carpathio monstro leuis adnatat Argò,
S uspiratq; petitam euris, atq; æquore prædam
P hasiaci senis, horrescitq; incendia latè,
Q uæ Leo deq; iubis ferus, & de pectore fundit.

De Pleiadibus.

Iamq; oculis noua lux offert se nate uidendam.
F allor, an illa parens magni Cyllenia partus?
N unc sydus, circumq; aliæ ex Atlante sorores
P leioneq; micant? quas & præstantia formæ,
E t diuorum amor, & clari decora alta parentis
N obilitant cœlo, referuntq; in crinibus aurum

M iratæ uiridi quondam splendescere ramo.
O blectant & adhuc artes, studiumq́; colendi
O ris, & antiqui reuocantur pectore sensus,
E t curæ molles, & gratæ pocula mensæ,
L uxusq́;, illecebræq́;, & olentia tempora sertis.
H os nati mores referunt, quibus aurea crinem
F ibula subnectit, roseo quibus enitet ore
P urpura, quæsitusq́; decor, similisq́; puellæ
C ultus, & Aßyriam redolent lita pectora myrrhā.
N irea sic perhibent, & amatum à uate Batillum
P ictum oculis, fusumq́; coma, roseumq́; labellis.
V ina placent, hilaresq́; ioci, & petulantia linguæ,
M ordacesq́; sales, intinctaq́; uerba ueneno
S emper amant, & cura nouos exuscitat ignes,
A c domito regnat uictrix in corde libido.
N ec minus ambitio tenet, & certamen honorum,
P œniteat generis tamen, & se Cænea malint,
A ut in fœmineam penitus transire figuram.
H æc loca custodesq́; Atlantidas arboris auri
L una colit, memor & fuluis pendentia ramis
F ulgerent quæ poma, quibusq́; è frondibus ardens
B ractea perstreperet, roseasq́; incenderet auras,
E xoritur quoties niueas complexa sorores
I llustreis reddit natos, magnoq́; fauore
N obilitat, cui si felicibus incola montis
T arpeij, ac iuga summa tenens Creteidos Idæ
I gnibus astiterit, mauortia signa sequuti

I mplebunt ualidas numeroso milite turmas,
M ultaq; felici committent prælia dextra
D uctores auro insignes, ostroq; decori.
M ulta mari quoq; bella gerent, ac cæde rubentem
N erea, spumanteisq; uidebunt sanguine fluctus,
A rmaq;, remigiumq;, agitataq; transtra per undas,
L ittoreq; impositis statuent monimenta trophæis.
F elices, si non irato principe tandem
A ccipiant iugulo gladium, aut ceruice securim,
V mbraq; lethæos fleat indignata per amnes
D eseruisse solo lacerum, & sine nomine truncum.
Hæc eadem exoriens, densisq; inserta choreis
P leiadum, si Saturni mala uulnera sensit,
I psa quidem luce exhausta, ac uix cornibus extans,
H eu sortem miserandam, & non superabile fatum,
C apti oculis lucem in tenebris sine lumine ducent,
V t Thamyræ inuideant: Etenim solatia uicto
P ierides, quodq; & uinci fuit usq; decorum
P astorem à Musis: tamen illi fistula collo
S ẽp adest, Thamyrãq; greges, Thamyrãq; sequũtur
P astores, Thamyram syluæ, collesq; resultant,
E t sine qua nullum carmen sonat, Anthida reddunt,
A nthida, qua non Idæo sub uertice ad umbram
T exuit aut calathos, aut serta decentius ulla,
S iue aris, siue hæc cupido uariaret amanti.
S i quis in occasu tristes, cœloq; cadenti
P leiades uideat, uiolataq; poma querenteis

Alcidæ

A lcidæ claua, & spoliatos frugibus hortos,
I nfestetq; malum sydus, radijq; nocentes
P ercutiant, ille Ionium ne nauita pontum,
A egæum'ue secet, Tyrrheno aut lintea pandat:
N on ille Eridano uelum, Tyberiq; per æstum
E xplicet, aut fluuios remo petet impiger altos,
N e latus affligat scopulo, uictusq; procellis
N aufraget, & sparsa moriens tumuletur ab alga.
S in felix simul, infelixq; aspexerit astrum,
I lle inter cyathos positus, pateramq; coronans
D ecumbet leni somno, uinoq; sepultus,
P urpureóue toro recubans, & uirginis arcto
F usus in amplexu, dum mollia gaudia carpit,
E t Venus ex imis stillat resoluta medullis,
I llius in roseis linquet sua fata labellis.
E t mors ipsa quidem placidæ cognata quieti.
Nec uero non & cœlo sata semina cernes
P icturæ uariantis, opusq; quod extulit olim — De ungula Tauri.
P raxiteles, tabulisq; suis insignis Apelles,
R estituitq; noua nuper quod Ioctius arte,
I octius illustrans Arnum, florentiaq; arua.
N am cui nascenti sese exerit ungula Tauri
P urpureo ex oriente, & candida fulserit illi
C ynthia, Tarpeiusq; pater, facilisq; Dione
A ddiderint socium coniuncta mente fauorem,
H ic Venerem nudam, ac madidantem rore capillos
E xprimet, & ueros facibus succenderit ignes,

H ic Tethidem fluctus scindentem, aurasq; cientem
C rinibus, & nunc subductis ex æquore mammis
E xtantem, & sparsis rorantem pectora guttis,
N unc mento tenus intectam referentibus undis
C andorem, & uitreo fluitantia membra sub amne
P inxerit, ut uiui spirent in imagine sensus,
A tq; oculos uanæ trahat ad spectacula formæ:
T antum arte, tantum ingenio, digitisq; ualebit.
A t quando hostileis radios de parte nocenti
V traq; stella nocens iaculabitur, omnis & inde
C oncesit fauor, hic media gladiator arena
A d pugnam sese instituet felicibus armis,
V ictricesq; manus gladio pugnator & hasta
C ladibus in medijs altè exeret, applausuq;
S pectantis populi uictor caua lumina condet,
E t populo plaudente nigras descendet ad umbras
F ulmineus: trepidi fugient denso agmine manes
A rmatum, & stricta minitantem uulnera dextra.
H æc tibi Pleiades præstant, cauaq; ungula Tauri.

De Lepore

Hinc Lepus attollens leuibus uestigia plantis
T yndaridas sequitur, celeratq; per æthera cursum,
Q uo surgente nouas ueniens in luminis oras,
I lle pedum cursu insignis certauerit auris,
P ræuertens uentos, qualis Priuernia uirgo,
Q uippe uel intactæ segetis per summa uolarit
C ulmina, nec teneras plantis curuarit aristas.
H ic stadio sese exercens, ubi martius ardor

Affulsit

Affulsit, uocet ipse pedum in certamina currus
Oenomai, uolucremq́; uocet Cæneidos axem,
Et precium uictor referet plaudente theatro,
Nobilis & disco, & totos quoq; flexilis artus,
Atq; breui facilis gyro concludere corpus.
At quum se socium addiderit Cyllenius heros
Præstringet ludens oculos, ut certa uidenti
Iam fiant incerta: modò quod dextra gerebat,
Ostentet iam læua: fuit paulò antè quod aurum,
Transeat in liquidum sub eodem corpore plumbum,
Stuppa uomat tardum fumum, quæ poma rubebant,
Effluat & subitus nullo de uulnere sanguis,
Innihilumq́; abeat digitis quam strinxerat offam,
Et, mirum, ipse suo de gutture uentilet ignes,
Qua quondam deus ipse deum fur arte fefellit.
Ille pilam ualidis impellet uiribus, ille
Folliculum excusso iaciat per inane lacerto,
Brachiaq́; aßiduo quatiat sudantia ludo.
At quoties Cytherea illum complexa fouebit,
Non deerit tibi qui saliet per pulpita, quiq́;
Mimum agat, & molli teneat spectacula cantu,
Personam quamcunq; uolet simulare paratus.
Sin Arcas, quæq́; ambrosiam de uertice fundit
Aspiciant, faueatq́; suo Saturnius astro,
Ille nouas arteis solers tractabit, & ipso
Perficiet studio, ut mentem suus approbet usus.
At si liuenteis radios impegit iniqui

S tella senis, fundatq; atrum de sydere uirus,
I nfelix qui sponte sua patriamq;, laresq;
D eserat, agnatumq; solum, cineresq; parentum
P osthabeat, tantumq; illi fugaq; grata, nec ulli
I nsideant animo sensus, aut cura suorum.
P ronus ubi Hesperiã petit, & uagus æquora lambit,
Q uanquam illi faueat fœlicibus ignibus æther,
N on nisi cum magno uenient alimenta labore.
Q uòd si forte minax longè aduersabitur astrum,
D iuulsus rabidi mandetur dentibus ursi,
A ut Attæonio ueniet mala præda Melampo,
A ut catulos impasta trahens lea deuoret artus,
H æc Leporẽ nam fata manent: hinc nomen & astro.

De Iugulis

Nec uero leporem tantum, capreas'ue fugaceis,
A ut timidos agitent præclusa indagine damas,
Q uîs Iugulæ inspirent auras, & amicus Orion,
O rion dextra iaculum, ac uenabula gestans,
I nsignis balteo, & longè radiantibus astris.
Q uin ipsis in speluncis, in rupe cauata
E xcipiant ursum impauidi, & uenabula contrà
O biectent, densisq; actum de saltibus aprum
I nnisi expectent hastis: it callè silenti
E fferus, ac fuso spumant uirgulta ueneno.
N ec uasto timeant aut comminus ire leoni.
V enatus iuuat audaces, agiturq; iuuenta
I n syluis, interq; canes, & retia, nec iam
A ut coniunx placet, aut thalamis nox acta sub ipsis.

Hos

H os animos magis atq; magis mauortius heros
A ccendet, rutilo ſi forte aſpexit ab aſtro,
A nnuat & placido facilis quoq; Iuppiter ore.
H aud etiam ſi qua hoc ipſo ſub ſydere uirgo
L ucem hauſit, dubitet ſæuarum luſtra ferarum
A ut ferro petere, aut ſaltus intrare repoſtos,
pſa horrens iaculo, Tyrijsq́; ad terga ſagittis:
Q ualis in Aetolûm campis Meleagria uirgo
trauit aprum, primamq́; manu ſtringente ſagittã
ntorquens, auſa eſt ſpumanti occurrere monſtro,
M ox læta & ſpolijs, famoſa & cæde ſuperba.
Q ualis & Aethiopum quondam ſitientibus aruis
n fuluum regina gregem ſeſe armat, & audet
ola pedes ſeſe irato obiectare leoni,
nſigniq́; arcu, & duplici zenobia telo.
Q uinetiam monſtra undiſoni fluitantia ponti
ollicitent, uiolare imi & penetralia Nerei
H aud timeant, dum ferratis per marmora contis
D iſcurſant, pelagoq́; trahunt humentia lina,
A ut alta ſcopuli è ſpecula fixum ære tridentem
E xpediunt, ferroq́; gregem, & pecuaria Protei
er coſtas, per terga forant: fluunt æquore fœda
lluuies: imo trepidatur abuſq; profundo.
antum adeò Iugularum ortus per tela, cruoremq́;
n ſyluis, in ſpeluncis, & in æquore ſæuit.
ræſertim ſi falce ſenex radiarit ahena
ratus pelago, iratus uariantibus undis,

A tq; aliquis, post multa tamen discrimina, somno
D um fruitur, capit & placidam per membra quietē,
A ccipiet iugulo gladium, & delatus ad umbras,
L ethæas umbras, rigidum ac Minoa, negabit
A utorem nosse, & certam deposcere pœnam
I ncertæ necis. Hoc Martis uerus efficit ignis,
S i quando bijuges tenet ad præsepe ligatos,
E t Cancri fera terga premens Atlanta fatigat
O ceano approperans: decrit iugulator, & omne
T elorum genus: ad maneis tamen ille sopore
D euictus ueniet: sopor illum ad funera ducet,
C ondet in æternam languentia lumina noctem,
H æc loca si pater Idæus, si Cypria uirgo
I nsideant, quum cœruleos it Cancer in amnes:
N anq; soporiferam pariunt hæc signa quietem,
A eternoq; premunt mortalia pectora somno.

De Procyone.

A t cui natali Procyon sese extulit ortu,
V ltima quum obuersi curuant se brachia Cancri,
N on ipse umbrosos saltus indagine cinget,
N on canibus timidos aget arcta in retia damas,
S picula sed latoq; parat uenabula ferro,
N odosasq; plagas, pedibus quoq; uincula nectit
I nsidians, acrem ue dolet sæuire Melampum,
V mbronemq; sequi, rapidumq; ad septa Lycarban,
Q uin Isan, catulosq; Isæ formabit ad arteis
H umanas, tacitum ad nutum Asteriona uocabit
B landitor, dignum & Musis præstabit alumnum.

Hunc

Hunc olim Vraniæ in gremio, Chiûsq; per ulnas
Ludentem, persæpe aliæ inuidere sorores,
Exceptumq; suis furtim admouere labellis.
Sæpe etiam Iouis ante pedes statuêre, sinuq;
Accepit pater, & blando simul ore renidens,
Demulsitq; manu, exciuitq; procacius iras.
Dum ludit lætæ plausere iocantibus auræ.
Elysijs nunc in campis per opaca uireta
Ludit agens, nemorumq; acer lasciuit in umbra.
Conueniunt animæ ad lusum: ille impiger arctat
Huc illuc cursum, hinc notas festinat ad umbras
Dente ferus, similisq; irato, & saltibus horrens:
Mox blanda lambit lingua, atq; immurmurat ore,
Subsiliens, caudamq; ciet gratator amicam.
Interea uiridem ad pontum, ac Sebethida ad undam
Delicias misera amissas, & luget ademptum
Melpomene Asteriona, refert nemus, æquora reddũt
Clamatum Asteriona, imoq; è gurgite Nymphæ
Accurrunt, hic mœsta iterat luctumq;, modosq;
Aonis infelix, iterat chelys æmula cantum
Funereum, atq; genis plorant Nereides udis.
Ast ubi ad oceanum præceps ruit Atlanteum,
enserit & rabiem Martis, dum lustra ferarum,
Dum latebras petit, & uenabula cornea iactat
Incautus, per inerme latus, perq; ilia dentem
Accipiet spumantis apri, tractusq; per arua
Præda auibus, præda ipse feris lanianda iacebit.

Vix coniunx, quæq́; una illi primisq́; ſub annis
Miſcuit & curas, & certos iunxit amores:
Vix mater diſperſa locis inuenerit oſſa,
Quæ mandet terræ lachrymans, condatq́; ſepulchro.
Forſitan è morſu rabidi canis, actaq́; uenis
Dira lues aget in furias: illum ora liquenti
Admotantem amni, ſitientem, undasq́; petentem
Excutiens torrem ambuſtum, atq; è gurgite Erinnys
Iam medio caput attollens fugat horrida, crinemq́;
Anguineum intendit: reuocat ſitientia ab undis
Ora miſer, faciem auertens, ſimilisq́; latranti
Dat ſeſe retro, & ſpumas ciet ater ad auras.
Hinc rurſum ſtimulante ſiti conuertit ad amnem
Approperans, dubiusq́; gradu, atq; enectus ab æſtu
Infeſtans rurſum admota face turbat Erinnys
Attonitum, ac nigras uocat ex Acheronte ſorores,
Donec eum rabie abſumptum uis tetra ueneni
Vicerit, & miſeros ſoluat cum corpore ſenſus,
Quos Procyon Martisq́; furens incenderit æſtus.
De Canicula. Si cœlum nate aſpiciens memor ipſe Leonem
Agnoſcis, quæ ſtella nouis micat ignea flammis,
Illa quidem Canis eſt, qua corniger uritur Ammon,
Aßyriumq́; latus, cuius de ſydere feruet
Aegyptus, totoq́; calent incendia mundo,
Cuius & afflatu tellus grauis, & grauis aër
Corripiunt morbos, paßimq́; cadentibus ægris
Strata iacent armenta: furit uis effera in omnem
Continuò

Continuò gentem: uiduat quoq; ciuibus urbes,
Vtq; hominum generi Canis has denunciat iras,
Sic nascentem aliquem primos inspecta per ortus,
Incendit flammis, & pectora concitat æstu.
Ira ingens, dolor atq; ingens ingentibus ausis,
Ingentesq́; tument animi: imperiosa cupido
Nil æquum patitur: feruet sitis arida habendi,
In facinusq́; uocat, uiolentaq́; tela ministrat.
Non pietas mouet, aut amor, aut reuerentia diuûm.
Præsertim si Threicius sese addidit heros
Ad facinus, subditq́; faces: incendia uitet,
Et syluas, dum tela feris immanibus audet
Ingerere, & fuluo iam comminus ire Leoni.
Quòd si perniciosa senis substrinxerit ensem
Dextra, nec ipsa suos illi subduxerit ignes
Delia, nascetur medijs qui in saltibus ursum
Attentet, qui frondosis in uallibus apro
Congrediatur, & inclusa decertet arena,
Spectanteisq́; trahat pugnacis robore dextræ.
Ast ubi ab occasu rabido allatrauerit ore,
Infelix nato exitium parat, unde ferarum
Dente lacer cadet in syluis ursi'ue, lupi'ue
Præda, uel audaci pereat laniatus ab umbro,
Si Mauors ualidam aspiciens concusserit hastam.
Insequitur Crater Bacchi decus: huius in ortu — De Cratere.
Atq; ubi cœruleis Virgo caput extulit undis,
Autumnus sese accingit, uindemia cellas

I nstruit, & grauibus ceruicem implexa racemis
I psa lacus & labra nouat, & dolia tergit.
I nde meri genialis amor, studiumq; bibendi,
H inc patera salit assurgens spumante falernum,
C rateresq; auri insignes undante Lyæo.
H inc Baccho læti colles, flexæq; sub ulmis
P endula textilibus nectunt umbracula uites,
I nsitioq; alios, aliaq; ex arbore ramos
A dmiscens, studiosa nouum per germen adoptat,
I nsitio fœcunda, nouasq; ingressa per arteis.
H inc & nexilibus uideas è frondibus hortos,
I mplexos late muros, & mœnia circum
P orrigere, & latas è ramis surgere turres,
D eflexam & myrtum in puppes, atq; ærea rostra,
I n buxisq; undare fretum, atq; è rore rudentes.
P arte alia frondere suis tentoria castris,
S cutaq; spiculaq;, & iaculantia citria uallos.
N ec minus irriguos fonteis per opaca uireta
I nstrepere, & ductos non una in brachia riuos,
E t properare cauis operosa canalibus undam
S axa per, & liquidos stillantia marmora fluctus,
P iscosas quoq; sub tectis fluitare lacunas.
Q uin etiam aruorum cultus, & cura serendi
H os iuuat, atq; agri studium non segne nouandi,
H orreaq; annosæ cereris: iuuat humida mercis
M utandæ species, stagno seu uecta liquenti,
Q uam ue paludosis tellus alit humida campis.

Hæc

Hæc Crater, quibus affuerit, nascentibus affert.
Qui tibi nate tuo aspirans non defuit ortu.
At serus cœlo occiduo, ac refluentibus undis
Oceani, facilem læta inter pocula mortem
Afferet, ac subito turbabit funere mensas.
Defunctum lugent conuiuæ: ast ille nigrantem
Ingressus cymbam, ac sitientia labra relambens,
Suspirat Bacchum, atq; undæ Læneidos amnem.
Cui si stella nocens inuiderit, humida fata
Portendit, seu lenæo sub gurgite, siue
Flumine sub uitreo, calidóue in fonte lauantem,
Siue cauo putei gradientem absorbet hiatu,
Cœrula seu uersis findentem marmora tonsis.
Euge pater Lenæe Euan, tibi carmina nostra
Assurgunt: monumenta tuæ nam coniugis assunt, De Corona.
Insignitum auro textum, ac radiantibus astris,
Et primo splendet cœlo memorabile donum,
Quod dea tum rore Idalio, ambrosiæq; liquore
Sparserat, & cypria madefactum intinxerat unda,
Tum flore ornarat uario, intactumq; hyacinthum
Miscuerat, uiolamq; rosæ, casiamq; amarantho.
Hinc natis studium tenerorum mansit odorum.
Conficiunt unguenta, & florea serta coronant.
Mundicies indigna uiro, comptusq; puellæ
Persimilis, quæq; & Veneris molle imperat astrum.
Inde etiam occultus sub pectore pascitur ignis,
In uetitumq; ruunt, & amor noua uincula nectit.

Quocirca nate ardenteis compesce furores,
Et leges meditare, & honesti concipe formam.
Hic finis uitæ felix, hæc meta petatur.
Mergentem sese oceano quicunq; Coronam
Viderit ipse oriens, primo sub flore iuuentæ
Occidet, expositusq; feris damnante senatu.
Pro tumulo fauces'ue canum, aut rabida ora leonũ
Accipient, tumulo Saturnus condet, ubi ipse
Insedit loca, seu grauibus mala sydera signis
Aduersos iaciant radios, & fata minentur.

De Spica.

Diuersos mores, & pectora dura per ortum
Spica dabit, frumenta seret, graue figet aratrum,
Mella fauis expressa liquet, nihil usq; remittens
Ad uitæ uarios usus: maria alta secabit
Piscator, nunc casse cibum, nunc comparat hamo.
Dat uarios animis æstus, & pectora turbat
Occasum dum Spica petit, dat & usq; labores.
Cui falcem si forte senex subiecit ahenam
Iratus, miseramq; famem, illuuiemq; minatur.
At Mauors furti damnat, populoq; reposcens
Annonam, dictis, & pœna crimen acerbat.
Illi nil Arcas, nil proderit aurea Virgo,
Quamuis Spica manum grauibus fœcundet aristis,
Porrigat & plenas felix Pometia lances,
Quin pendat sacrum laniato corpore furtum,
Et populo spectante lacer det sanguine pœnas.

De Sagitta

Non Teucrum, Paridem'ue arcus, non Hectora telũ
Stringentem

Stringentem, non Idæum sub nube columbam
Figentem, aut Lyciæ iaculum mirabere dextræ,
Si cœlum aspiciens oculo intueare Sagittam.
Has etenim natis uires, hæc dona ministrat.
Exercens usus probat, & mox uertit in artem.
Ille igitur iaculo insignis, celeriq́; Sagitta
Continget positum quocunq; in limite signum.
Ille etiam speculantem alta de turre columbam
Deijcit aëriæ contorto uerbere fundæ,
Squamosumq́; petit certo sub uulnere piscem,
Cui fauet eoa surgens de parte Sagitta,
Extremo Aegoceros quum se celer æquore tollit.
Ille autem stragemq́; inter, cædemq́; uirorum
Deficiens cadet anteactis ex hoste trophæis,
Vulneribusq́; suis, illata & cæde superbus,
Quem procul occidua uidit de parte Sagitta,
Ipsa quidem radijs percussa nocentibus æquè,
Aequè præsidio nitens & fortis amico.
Vendetur miser, & fœdabit sanguine arenam
Indigno precio, si Mars, si pinniger Arcas
Hæc loca coniuncta soli ditione tenebunt.
Ast hunc damnatum caueæ ad spectacula uulgo
Obijciet, gladijq́; dabit Saturnus ad usum,
Si malè felici aduersans minitabitur astro.
Hoc etiam è cœlo, Chelisq́; micantibus Hœdus — De Hœdo.
Exilit, & molles nascentibus imprimit artes.
His interq́; epulas, & serta madentia uino

S cortaq́;, & incæstos thalamos, unguenta, rosamq́;
V iuitur, & uacuis mulcent proscenia ludis.
D eliciæ inficiunt animos, præcepsq́; cupido.
C onsilium incertum, ac uarians sententia, & ipsa
M ens nunquam secura nouas parit anxia curas.
C oncubitus fuge nocturnos, summasq́; fenestras,
T ectorum ingenteis lapsus, fossæq́; profundum,
P ræcipitesq́; locos, impostaq́; rupibus antra,
N eu te sollicitent funabula ludicra, neu te
I ntortis capiant agitata rudentibus arma,
S i Tartesiaco minitabitur Hœdus ab orbe.

De Ara. Dicamus bona uerba, deos ueneremur, an illa est
Q uæ surgit, quæ conspicuis uenerabilis astris
A ra deûm? date thura, facesq́; adolete Sabæas.
H is genitrix Ariadna locis, hoc sydere lapsa est,
I mpleuitq́; uterum teneræ leue pondus Elisæ.
H inc illi cultusq́; deûm, & reuerentia casti,
E t tantus sacrorum honor, atq; hinc ipsa per aras
R ite precata litat, simul & stata sacra frequentat.
T u matrem puer, & castas arcesse sorores.
T hura adsunt, cœlum spectate, atq; ore fauete.
A ra deûm, unde est relligio mortalibus orta,
V nde pium quodcunq;, & quod uenerabile terris,
S alue Ara, salue innumeris ornata trophæis,
S iue hominum gesta inspicias, seu facta deorum.
I psi te reges templis, & marmore donant
M ygdonio: tibi purpurea sub ueste sacerdos

S acra facit: sedet & Tyrio spectabilis ostro
A ntistes lituo insignis, cultusq; tiara
E xoluens uota, & carmen præfatus, ibi omnem
A ffatur turbam, & diuorum arcana retexens,
I ustitiamq; sequi monet, & non temnere diuos.
T e propter casti uates diuina per orbem
S parserunt præcepta, sacrumq; hausere furorem,
P er te casta placent, per te plebs templa salutat,
A ntistesq; chori princeps, uenerabile nomen
I n populis, dat iura deûm, & noua carmina pandit.
E xoriens hæc ipsa tuum facis Ara per astrum,
S i faueat pater altitonans, si nata tonantis.
A st obiens si Saturnus, si bellicus heros
M aluerit, tu sacrilegos, tu magna profanos
A ffligis pœna merita, & mala crimina purgas,
A dijcis aut templis, aut uoti uincula nectens,
O bstringis sacris, sacros aut sedula ritus
O stendis, prohibet quoties has Iuppiter iras.
M e me igitur dea, me cœli decreta ferentem,
P andentemq; deûm leges, & carmine uatem
A stra recensentem, seu tu dux certa uiarum
P ræcede, aut specula residens sublimis in alta
O stendas reliquum cœli, atq; hæc nomine signa.
V os coniunx, uos defessi tria pignora patris
H æc orate eadem, diuamq; in uota uocate,
D et mentem studiosam æqui, legumq; uerentem,
D etq; animum, & patrios retinentia pectora mores,

Sacraq́;, solenneisq́; deûm seruantia cultus.

De Centauro.

Ecce autem qua parte ingens se Scorpius offert,
Atq; aequa plus parte poli sua brachia iactat,
Centaurus gressu incedens se tollit equino,
Mistus aequo uir, quam natorum pectora formam
Artibus & referunt, & quîs sua munera iungunt.
Hinc currus & frena iuuant, quîs flectere in arctum,
Quîs & equos moderari, & aperto immittere cãpo,
Et ualeant celeri ad metam exagitare citatu,
Instantes uocis clamore, & uerbere dextrae,
Ad pugnam siue instructis radiare sub armis.
Quin etiam si Mars stricto minitabitur ense
Bella ciens, bellum exercent, armisq́; decori
Pugnatoris equi costas, & terga fatigant,
Hostileisq́; acies aut hasta, aut ense lacessunt.
Sin Arcas celer aspiciat, quaesita per artem
Auxilia aegroto pecori, succumq́; medentes
Admiscent: ipsi hoc morbos & uulnera curant.
Infelix alto ruet, ac de culmine labens
Vix diuûm auxilium imploret, praeceps'ue quadriga
Excutitur, lacer ipse ferae aut immanis hiatu,
Siue ferocis equi uiolento uulnere tardus
Lethaeos moerens portus petet, attonitusq́;
Quadrupedes timeat iam iam properare citatos,
Horreat & saeuos minitantia culmina lapsus,
Hesperio quae Centaurus portendit ab orbe
Iratus, quoties saeuo aduersabitur astro

Bellipotens

B ellipotens, aut Saturni falx horrida sæuit.
At postquam oceano Chiron sese extulit, & iam
A ntra memor uidet, & cultos quos seuerat hortos,
A rcturi clarum aspicies super æquora signum,
P laustra bouesq; suas agere, & se tollere in altum,
H uic signo studium fidei, & reuerentia honesti
C erta subest: hinc illa fides nascentibus hæret,
E t ueri non fictus amor, generosaq; cura.
H inc illis & opes regum credentur, & æra,
E t Tyriæ uestes, auri & preciosa supellex.
H inc census patrij à populo custodia, & omnis
P ublica thesauri cura credetur, & æris.
A dstabit foribus custos, & ad ostia regum
I anitor, aut trepidos uocet ad mandata Quirites,
P ercutiant infelicis quum numinis astra.
O ceano se præcipitans Arcturus, ubi ignis
A fflarit Tegeæus, Saturni & noxius ardor,
S upplicio infami afficiet: uinctumq; catenis,
C onfectumq; prius squalore, & carcere tetro.
P roscindit tauro segetem, sua condit aratro
S eminaq;, & toto uictum parat anxius anno
A rcturus mundo exoriens: idem æquora linquens,
E xoriensq; homini, & primis natalibus astans,
I pse fidem rectumq;, & honestas edocet arteis.
C ur, ô cur superi tantum sors læua locorum,
C ur tantum occasus cladis uehit? æquus ab ortu
A rcturus, parat infelici carcere mortem

De Arcturo, & Cycno.

S æuus ab occaſu: ſurgens uagus æquore Cycnus
I nſidias auium generi, & caua retia tendit,
A ucupiumq́; docet, molleisq́; inflectere cantus
I n caueis, noſtras urianti & gutture uoces
R eddere, & humanã referentia murmura linguam.
H inc deploratus longè, atq; ad ſydera paſſer
L uſitat in gremio dominæ, facilemq́; Corinnam
P ſittacus, & blandos uatis teſtatur amores.
H inc mea non ſæuit roſtro, non ungue columba.
A ſt obiens aliena quidem ſpoliare parantem,
E t prædas agitantem, hoſtili carcere damnat,
S iue reum furti, fraudis'ue, doli'ue miniſtrum
P lectit, & auſteras prætoris concitat iras.

De Serpentario.

Si Marſos, domitosq́; angueis, & carmina quæris
C olchidos, & uictum ſomno uerbisq́; draconem,
H æc tibi ſurgenti dat Serpentarius aſtro,
A egoceros quum cœruleo caput æquore tollit.
S i quæras forte Eurydicen per gramina læta
E rrantem, atq; anguis de uulnere multa gementem,
P aulatimq́; udo claudentem lumina ſomno,
L abentemq́; artus, & tempora nube tegentem,
A c circùm anguicomas pauitantem aſtare ſorores,
I ntortum dum crinem auri de uertice tondent,
S erpentarius hanc obitu ſignabit iniquo
O ccumbens, quum triſte ſenis ſeſe obijcit aſtrum.

De Delphino.

Baiano ſi forte procul de littore cernes
D elphinum ludentem, & terga accurua plicantem,

Nunc

N unc undis se attollentem, nunc gurgite toto
M ergentem sese, & cauda maria alta rotantem,
T um dices, referent natorum pectora mores
D elphini exorientis, ubi malus usserit ignis,
F alciferi senis: hunc uitreo sub gurgite nantem,
R eptantemq; cauis scopulis mirere, & ab imo
V ellentem rubros spinosæ cautis echinos,
N unc rapidos scindentem æstus, & pectore nudo
I actantem in summos rorantia brachia fluctus,
T auromenitanam nando & superare charybdim.
S in Arcas cum Threicio duce fauerit, illi
E xercent agili sudantia membra petauro,
E t cursu certant uentis, perq; æquora currunt
N auibus, & curua sulcant uada salsa carina.
A t cui Atlantæo Delphin condetur ab orbe,
S aturniq; malum sydus minitabitur, ille,
I lle mari, uluosóue lacu, seu flumine in alto
M ersus, in æternam condet sua lumina noctem,
V mbraq; nocturno errabit per littora gressu.

De Lyra et Orpheo.

Illa (uides) quæ nate breui Aegocerontis in ortu
A ttollit sese pelago, & procul æquora linquit,
I lla Lyra est: sentis tremulis ut fluctibus udæ
A d numerum saliant Nereides? ut tulit aureo
E thalamo formosa pedem oceanëia coniunx
A d plectrum? ciet ecce nouem cum pectine chordas
E modulans, mulcetq; nouo uaga sydera cantu.
Q uo captæ nascentum animæ, concordia ducunt

P ectora, concordeisq; animos: sunt ciuica curæ
I ura, placent leges, pacto stant, æqua probantur,
T orquentur sontes, & duro crimina nexu
P lectuntur, iustumq; foro dominatur in ipso.
A t si uergentem oceano, atq; Atlanta prementem
F alce Lyram, siue ense minax percusserit astrum,
O ccidet infami leto, ac prætoria iussa
E xpectans, tortusq; diu, tractusq; catenis
C um gemitu uitam effundet, foráue ipsa cruore
F œdabit lacer, aut animam crepitantibus auris
N igrantem fumo, atq; ambustam torribus atris
E fflabit: flammantem illam, fumosq; uomentem
P ortitor horrescet picea traducere cymba.
P aulatim ast illa in scopulo tabescit inani,
A tq; abit in tenuem cinerem, extinctaq; fauilla
N il reliquum, non forma quidẽ, nõ corporis umbra:
T antum decliui præceps Lyra sæuit ab orbe.
Q ua quondam custodem erebi, ac nigrantia Ditis
A tria, crudelem & potuit placare tyrannum
T hreicius uates, superasq; reuertere ad auras
C oniuge cum chara, & Lethen remeare canendo.
I llum & nigrantes manes, turbæq; silentum,
I llum etiam heroësq; erebi, & regina profundi
A ttoniti uenerantur: eum stymphalica monstra,
E t Lernæ manus, & centumgeminus Ophialtes,
I nuersansq; rotam Ixion, Tityusq;, Gigesq;
S ectantur, positoq; assunt ad plectra tumultu.

Felix

F elix ſorte ſua: ſed amor, ſed coniugis ardor
F ruſtrantur cantus, & uota nouiſſima uatis.
At poſtquam ſtetit ad patrij uada fluminis amens,
A c tandem dolor indignata ſilentia rupit,
P rima illi uox, Eurydice, meaq́; optima coniunx
E urydice infelix: quid enim fata aſpera adiui
N eſcius? immanemq́; canem per carmina uici
I mprudens? qui non animi quoq; iuſſa furentis
P eruici? Me me ferro, me abſumite matres
T hreiciæ. Quantum heu fuerat, dum lumina mundi
I ngreſſus, fruerer thalamo complexus amato?
C ur non & retro redij? nigra flumina rurſum
T entaui? rurſum & manes, regemq́; ſuperbum,
Q uem mitem inueni, rurſum placare paraui
I mmemor? ô me me ferro, me abſumite matres
T hreiciæ. Poteram infelix habitare ſub umbris,
E t dici felix: ſaltem, ô ſaltem umbra fuiſſet
S olamen, mihi per tenebras lux ipſa uaganti
F ulſiſſet, læta in uulgus mihi plectra mouenti
P lauſiſſet: noctem heu demens, luctumq́; paraui,
A eternam noctem, & nullo cum fine dolorem.
M e matres, me me ferro, me abſumite matres
T hreiciæ. Canerem ad thyaſos: tum culta canenti
A dſtaret, ſemperq́; nouos hauriret amores,
F auiſſentq́; mihi manes, interq́; canendum,
A pplauſumq́; inter uulgi mihi brachia collo
I unxiſſet, teneroq́; ſinu fouiſſet, & ore

E xcepissem auras animæ indulgentis : ibi ingens
A pplausus : rursum ipse nouos per carmen amores
O rdirer, totoq; erebo mea uerba sonarent,
M ulcerem & ueteres heroum carmine pœnas.
M e me igitur, me me ferro, me absumite matres
T hreiciæ, caput atq; humeris auellite nostris,
E t linguam Eurydicen clamantem, ac uoce petentẽ
E urydicen, uehat Aegæas uagus Hebrus ad undas.

IOAN. IOVIANI PONTANI, Vraniæ, siue De stellis, ad L. Franciscum filium, liber IIII.


A te aram statue heroi, floremq; recentem
S parge super, nec parce Arabo redolentia costo
F undere dona manu, Cypriosq; inferre liquores.
H is heros gaudet donis, lauriq; uagantem
P er nemus, hac solitam in sedem mercede uocabis.
E n strepitant myrteta: Syros age Nate liquores
I nstaura, crepitentq; nouis altaria flammis.
T er circum nate ora tegens (uetat umbra uideri)
T er circum plena manes uenerator acerra.
M ox supplex tumulo aßistens sic uoce precare.
Magne parens, cui Calliope admodulata canenti
I psa chori decus, & princeps noua carmina dictat,

Ipsa

I psa suo ferit ungue lyram, moderataq́; plectrum,
E t raros meditata modos, cui serta Napææ
I ntexunt, Dryadesq́; agitant per prata choreas,
C ui Phœbus lauro densum nemus, æmula myrto
D isposuit Cytherea, suos cui semper odores
D ant uiolæ, & toto spirat rosa fertilis anno,
S alue Pieridum uates decus, ô mihi si quis
C olle sub hoc uariam per rara foramina buxum
D et Corydon, uideat spreto Sebethidos amne
N aiadas, uideat deserto Gauridis antro
R upis Hamadryades choreas celebrare uirenti
P ausilipi in saltu, Antinianæisq́; rosetis,
E t casto flores legere, ac uariare Maroni,
I pse merum, niueoq́; tenens spumantia lacte
C ymbia, placabo manes, umbramq́; silentem,
E t tumulo condam, & tumulo sua munera fundam,
E t mea Pegasides uenient ad sacra uocatæ,
P egasides comptæ sertis, & crinibus aureis,
E t quibus eoæ radiant per cingula gemmæ.
I amq́; lyræ tenuem strepitum, iam pectinis auram
A ccipio: ridet Nymphis uenientibus aër,
A rrident syluæ, & dulci flat odore recessus.
O mine quo felix opus, & noua carmina surgant,
E t cœlo spaciemur, & orsa immensa sequamur.
Iam Sol Hesperidum syluas, Erythræaq́; arua — De Cepheo.
C ondidit, occiduoq́; dies se mersat olympo.
N ox cœlum tenet, & fuscis iuga uersat habenis.

N ate uides primo surgentem Cephea cœlo,
Q uaq́; Aries caput, & Piscis caudam æquore tollit.
R egales illum uestes, rutilantiaq́; auro
S ceptra docent regem, ac genti imperitasse subactæ.
I nde uenit nato frontis sua ruga seueræ,
E t dura imperia, & uultu mens aspera duro.
N ec ficti mores: qualem se Porcius olim
R omanoq́; foro, & rostris popularibus egit.
A ut si quem nec uana iuuant, iuuat horrida uirtus,
C ontemptorq́; animus, munitaq́; pectora recto,
E t Mallij iussa, & Bruti irreuocabile pectus.
N ec uero non & reges scelera improba lege
D etestata notant. Igitur facta impia uoce,
E t tragico exclamant per pulpita nota cothurno,
A uersos Solis currus, & prandia fratrum,
T ereaq́; absumpti reuomentem uiscera nati,
I ncoctumq́; senem flammis, & Phasida nubes
S cindentem cœli, & rutilos per inane dracones,
T extaq́; herculeamq́; pyram, & Priameia regna,
A tq; enses Phœnissa tuos, flammamq́; Crëusæ,
S i quibus eoo nascentibus astitit ortu
C epheus, arridetq́; Venus, Cylleniaq́; astra
A dijciunt radios, & candida lumina præstant.
H inc acer Venusinus amaro sublita felle
V erba iacit, risu intingens: hinc rugat Aquinâs
T riste supercilium, uomit & de pectore bilem,
Q uum uidet archetypos pluteum seruare Cleantas.

Nec

N ecnon & iuuenis mordax ſale tinctus ethruſco,
I nſequiturq; hominum curas, & gaudia uulgi,
A ccuruasq; in terram animas, cœleſtium inanes.
F orſitan & populi mores deſcribet & arteis,
L iberiore ioco ludens, riſumq; mouebit
P er ſcenam, atq; humili figet ueſtigia ſocco
P erſonam ſimulans, teget & ſub melle uenenum,
S piculaq; in ſalibus tinget deriſor amaris.
S ic olim luſit ſenior, quem numine dextro
P ierides fouere, ſacro cui lenis ab antro
C litunnus, certaq; Aon fudiſſe liquores,
Q uem Romana ſuum ueneratur lingua parentem,
R identemq; hominum mores, & crimina, & artes.
H æc Cepheus dabit exoriens: ſed Atlantide ab unda
O ccumbens, fatum in ſcopulis crudele minatur.
A ut primo ſæuus naſcentem extinguit in ortu,
A ut unco incæſtum trahit, atq; euiſcerat artus
D ilanians: miſeranda quidem mors ipſa uidenti.
Hinc ales Iouis, & Phrygiæ timor unicus Idæ, De Aquila
P ræpetibus pennis cœlo ſe credit aperto
V enatrix, prædam & roſtro meditatur adunco
A lituum regina, & acutos exerit ungueis.
I nde feras curſu exagitant, ſyluisq; fatigant
R aptores, gaudent frenis domitare coactas,
E t iuuat hoſtili ferrum aſperſiſſe cruore.
B ella placent, & præda ſubacto ex hoſte petita,
E t ſpolijs uitam, & uiolenta agitare rapina.

N ec dubitent etiam armatos incurrere in hostes
N udi armis, mortemq; uelint pro laude pacisci.
T antum animi feret Idæus nascentibus ales.
C ui si felicis radios Iouis addidit ignis,
H i patriam decorent armis, & ab hoste tuantur
V ictores, & opima Ioui in Capitolia figent,
A uratumq; bouem statuent, actoq; triumpho
O rnabuntq; domum exuuijs, & templa trophæis.
S in Mauors, aut Saturni attestabitur astrum,
A rma quidem, pharetræq; placent, & fortibus ausis
L aus aderit: tamen æratas ad signa Tribuni
S ub duce disponent turmas, aliena sequentes
A uspicia, aut regum imperijs data iussa capessent.
N anq; Ioui sacer accipiter sua tela ministrat.
A t quum se oceano immersat, mersabit & undis
N ascentem, fonteisq; suos, sua flumina uerset
T ros puer, & toto laticem diffundet ab amne.
V sque adeo occumbens sæuit Iouis impiger ales,
A ssuetusq; auræ, pontum indignatur, & undas.

De Casiope

Ecce autem noua lux cœlo se fundit aperto,
Q uum se Aries, quum se Taurus super æquora tollit.
C ollucent auro flammæ, micat aureus æther,
B racteaq; ipsa suo se uentilat aurea gyro
I nstrepitans: lectas eoo in littore conchas
F lorere arboribus uideo, atq; inolescere gemmas
P er ramos, purumq; ex coctis montibus aurum
I n riuos fluere, ac tenui mox forcipe ductum

Mollitumq;

M ollitumq́; manu, & fuso leuiore rotatum,
R egia textilibus percurrere tegmina filis.
Quæ dea nunc radio per serica uellera miscet
I ntexens, nunc pingit acu uariatq́; colores
A lternans: nitet aurato noua purpura textu.
I psa sedens solio insigni, stellisq́; corusco,
S eligit aut gemmas terra Gangetide uectas,
A ut baccas forat in sertis, pingit'ue monile,
M ulta docens: nymphæ instantis præcepta magistræ
D extra obeunt, tacito & studio data fila ministrant.
S alue Casiope: nam te quoq; sydera cœlo
I llustrant, cœliq́; uenis decus ipsa puellis.
O rnatus tu diua nouos, & serica templis
D ona paras, solioq́; deos ueneraris eburno.
T u regum intexis trabeas, tua munera pictæ
P almatæ, sceptrumq́; auro, gemmisq́; decorum,
B accatumq́; monile, sacerq́; in fronte tiaras.
N ec tibi non Hebe, tibi non chorus omnis amantum
A ssurgit, comptusq́; tuos, tua dona requirit,
D istinctas auro uestes, & cingula bullis
A spra suis, cultæq́; comæ crinale decorum,
C hrysolithon digito insignẽ, atq; in frõte smaragdũ.
I n primis matura uiro florente iuuenta
N upta tuos læta expectans deposcit honores,
I llusam baccis chlamydem, illustremq́; coronam
C œruleo fulgore, & purpureis hyacinthis,
A rdet & in medijs quæ pendula gemma papillis.

I psa manu ligat ad frontem studiosa capillos.
E t suspendit acu tenui uelamine uittam.
I lla uolat, uolitansq; leueis exuscitat auras.
O ra nitent, ebur extersis in dentibus albet,
P urpuraq; in roseis effulget grata labellis,
P erq; genas lasciuit amor, qui spicula torquens
I ncensum ferus ex oculis iaculatus & ignem,
V ulnerat incautum insidians, uritq; maritum.
G audia tum tacito uoluit sub pectore uirgo.
Qualis ad Eridani ripas fluuialibus herbis
S tella nouas agitat choreas: ruit excita pubes
E x agris mirata deam: ruit accola Mincij,
H adriaciq; sinus heros, omnisq; iuuentus
A emiliæ, spumant Nymphis properantibus amnes,
N on Satyris sunt arua satis, non prata Napæis:
S pectantum studijs desunt loca: mater amorum
P ræcedit, molles uirgo fert sedula gressus,
D extra amor, à læua Charites comitantur. At illa
R idet læta, dolosq; oculis meditatur, & ignem
H uc illuc iacit: uruntur iuuenesq;, senesq;:
D eficiunt Satyri exanimes: ipso æstuat amne
E ridanus: tremulæ ludunt per cœrula flammæ.
A t uates Nymphæ charus sua pectore uersat
G audia sub tacito, atq; immoto lumine perstat,
D eliciasq; animo repetens memor ipse futuras,
I nuideat nec semideis, & temnat amanteis.
E xoriens hæc Casiope dat munera natis

Ex auro

E x auro,gemmisq́;,intertextisq́; figuris.
A tq; utinam nunquam oceani se tinguat in amne
O ccumbens,nunquam telo,nunquam ense minetur.
A ut è præcipiti fatum crudele ruina,
E sset nec cœlo spectatior altera uirgo,
N ec quæ plura suo peperisset commoda cultu.
At contrà trux Andromede noua funera, & atram
M olitur mortem,ac sæuis cruciatibus instans
S upplicia exquirit: neq; enim aut lamenta parentū,
C ōiugis aut moueāt lachrymæ,aut data munera fle-
M ors illi preciū,& tormēta immania curæ, (ctant.
V inclaq́;, carcerq́;, & nodoso ex ære catenæ.
V indictam dea pro scopulis,quibus ipsa pependit
D eposcens,studia hæc nascētibus improba monstrat,
C arnificesq́; manus,& acutam in colla securim,
D iuellitq́; artus truncos, & uiscera mandit
S æua impasta fame: uel quum minus improba sæuit,
P ræficit effoßis grauida è tellure metallis:
H os mores dabit exoriens,nepheleius ut se
E xerit è pelago quadrupes,properatq́; citatum
T aurus & ipse gradū attollēs. Sed Atlātide ab unda
S æuior,obijcietq́; feris, & corpora truncis
A ffigens,animam extremis cruciatibus aufert.
P erpetuis etiam uinclis, & carcere tetro
D amnabit, si forte minax hinc,inde benignum
S tet sydus,dubio certans utrinq; fauore.
H anc olim scopulo affixam, & crudelia ponti

De Andromede.

H orrentem monſtra, ac ſine ſpe, auxilioq́; parentum
V ndoſo erumpens pelago, atq; è fluctibus imis
S e tollens, laniare immani gutture pergit
B ellua adacta fame, iußisq́; impulſa deorum.
T er monſtrum caput erecta ceruice tetendit
H uc illuc uoluens oculos, ter pandit hiatum
I mmanem, terq́; & rictus, ter gutturis antrum
V ndiuomum, ſpumantq́; rotati è pectore fluctus.
H inc ſinuoſum undis pelagus ſecat: æſtuat æquor
F ulmineo caudæ tractu, ſpumantiaq́; acto
P roſcindens utero impellit rapida agmina aquarũ.
L ittora planguntur fluctu, & uagus intonat aër,
A c nigro circùm horreſcunt maria undiq; nimbo.
I lla ut primum oculis hauſit uenientia monſtra,
T antum non extincta metu: tamen ultima corde
H æc agitans, uix ad uacuas ea protulit auras:
V nde mihi, ſi me duri expoſuere parentes,
A uxilium deſerta petam? mihi terra negatur,
P ræſidiumq́; hominum: ſæuit uis effera ponti,
A rmaturq́; in me pelagi deus, ultimaq́; aſſunt
S upplicia, & iam uiua nouo decreta ſepulchro,
A tq; utinam defleta prius: uos ô precor auræ:
N anq; hominum ſolitæ ad ſuperos deferre querelas:
A ccipite hæc, pœnam miſerate, & uirginis annos,
A c deferte Ioui: ô ſi quæ Iouis inclyta proles
H æc adeat loca, atq; utinam ferus ille Meduſæ
H uc aßit domitor, quem fama eſt Gorgone cæſa

Raptantem

R aptantem ſpolia, & caput oſtentare ſororum
P alladis auxilio fretum, ac tectum ægidos armis.
V ix hæc, quanq̃ plura parat: ruit æquore monſtrũ,
I mpulſuq; graui littus tremit: aſſonat æther,
V icinæq; fremunt ualles: illi inter obortæ
S unt oculis tenebræ, atq; ipſi ſine ſenſibus artus.
F orte oram pelagi obſeruans Danaëius heros,
Q uà quondam fama Inachiam tranaſſe iuuencam,
A duertit ſeſe, ut ponto raptabat ab alto
B ellua, proſpiciensq; actos ad littora fluctus,
T anta mole ruit præceps, & littore curuo
S axa petit, quà ſe curſu trahit illa citato.
V idit ut exeſa pendentem in rupe puellam
E xanimem iam, & ſingultu fera fata trahentem,
O bſtupuit uiſu, & ſua mox conuerſus ad arma,
N õ iã enſem: neq; enim enſe opus: illa ut cãdida uidit
P ectora, ſubriguit faucem, ac fera guttura pandit
S pumeſcens. Aſt Acriſio ſatus intulit actam
F aucibus in medijs pinum, quæ forte iacebat
L ittore trunca, maris quondam iactata procellis,
Q uantam uix paria hirta boum centena tuliſſent.
E iectam rictu antennam curuamine caudæ
S uſtulit, intorſitq; inimicum in Perſea Piſtris.
D eclinat uenientem heros, rurſusq; receptam
I nijcit in monſtri latus. At fera bellua tergum
O buertens, telum effugit, caudaq; rotatum
I nfregit ſcopulo, dura quod caute repulſum

H eroës ſeptem armigeros, ſeptenaq́; equorum
C orpora proſtrauit trunco, galeæq́; ſuperbum
V errit humi conum, & lateri ſæuum abripit enſem.
T um furijs acta in ſcopulum ſe gurgite tollit
D ira lues, roſtro infrendens, & faucibus hiſcens.
Q uadrupedũ tabo, atq; hominũ rabida ora cruẽtat.
A ſtitit attonito iuueni dea, uimq́; miniſtrans
C onſilio iuuat. Hic ſcopulo, qui forte reuulſa
C aute iacet, dextra obiecto, bipatentia condit
O ra feræ: tamen illa diu, multumq́; reluctans
R eijcit ore ſuper, uacuasq́; eructat in auras.
I nde ruens ſcopulo ſcopulus conflixit, ut omne
I ntonet & littus, uicinaq́; ſaxa reſultent,
E xtimeatq́; imo Nereus ſtupefactus in antro.
N il ultra cunctandum heros ratus, aptat habendam
A egida, ſubnectitq́; humero, atq; ita fertur in hoſtẽ.
C olligit in guttur ſeſe fera: mox & in ipſum
A criſioniaden hiſcens ruit. Aduocat ille
P alladis auxilium, clypeoq́; intectus aheno
S tat nitens, & tela ferox horrentia quaſſat,
S i quà forte uiam lateri inuenit: illa repente
O buertit ſeſe in Nymphen. Sed feruidus heros
A nteuenit, ſtetit & medius Nymphæq́; feræq́;,
A egidaq́; obijciens, caput, anguineosq́; Meduſæ
P rætendit crines: ſparſit coma tetra uenenum
P er fauces: tumuere feræ tum guttura. At ille
P ræſtringitq́; oculos umbone, atq; agmine denſo
Serpentum

S erpentum implicitans, pulſat caua tempora adacto
I mpauidus clypeo, ac mox lumine lumina condit.
O briguit monſtrum obtutu, ducitq; repente
H orrentis molem ſcopuli, atq; è corpore tanto
S tat rupes olim æquoreis pulſanda procellis.
S acra Ioui, natæq; Iouis parat orgia Perſeus,
V irginis hinc teneris exoluit uincula plantis,
E xanimem prius effatus: Me candida uirgo,
P one metum, deus hæc tibi demere uincula iuſsit:
uppiter eſt genitor: fert & ſua nomina Perſeus.
lla diu cunctata ſilet. Sed nomine Perſei
A udito, paulatim oculos ad uerba loquentis
uſtulit, & tacitus uigor ad præcordia ſerpit.
Q uale ſub æſtiuum ſolem ſitientibus herbis
angueſcit moriens florum decus, acta repente
t cœlo pluuia, & largi de nubibus imbres
rrorant: redit ille uigor, redit ille colorum
M ollis honos: ſpirant reuocatis floribus arua,
E t lætæ cultis uiolæ renouantur in hortis.
E rgo ut primũ oculis lucẽ hauſit, per freta torquens
umina: perquirit monſtrum: ſed Abantius heros
ro monſtro cautem oſtendit. Tum candida uirgo
orrexit iuueni dextram, calidusq; per ima
ectora reſpirat ſanguis, totosq; per artus
t tepor, & niueos tingit noua purpura uultus.
ubriſit coniunx, fixoq; in lumina ſenſu,
citatur quæ cauſa mali, quóue orta parente.

N ympha subit: Non ulla heros mea causa: dearum
I ra mihi, formæq́; parens sibi conscia damno est,
A usa maris se uirginibus præferre, suumq́;
O stentans decus æquoreas armare sorores:
H inc Nereus furit, hinc sæuarum rector aquarum
O ceanus, monstra ex imo ciet horrida fundo,
Q uæ natam pœnæ exposcant: nec te impie Cepheu
M ouit amor. Silet hic lachrymis miseranda coortis.
C oncipit his flammam iuuenis, mox talibus infit:
A bstineas lachrymis, ô iam mea, nec tibi mater
F lenda, ferus'ue parens, aut ira inimica dearum,
D igna Iouis nurus, & felix iam coniuge Perseo:
I niecitq́; manum collo, ac sua gaudia pandit.
I lli perq́; oculos furtim, perq́; ora cucurrit
A ura recens, quæ sensum animi, quæ gaudia menti,
E xplicet, & toto depellat tristia corde.
Q ualis ubi deprensa dies sub nube maligna
D um squalet cœlum, & nigra Sol conditur umbra
E xurgens lato oceano, aut è montibus altis
A ura mouens, fugat & tenebras, & nubila latè
D iffundit, redit ecce polo lux ipsa sereno.
C oncinuit thalamos felix Hymenæus, & aræ
C orycios oluere crocos: ruit undiq́; ab ipso
N iloq́;, Indoq́; ad tædas festina iuuentus,
P erseaq́;, Andromedenq́; sonāt & littora, & amnes,
E t Caßi iuga, & ipsa Arabum non hospita saxa,
P ulsatumq́; nemus serum, rupesq́; Promethei.

Ergo

E rgo coniugium optatum,dulceisq́; hymenæos,
C oncordemq́; torum, atq; unos coluere penateis,
I mperiumq́; unà ſceptro tenuere ſuperbo.
A tq; hinc tralati ad ſuperos fulgentibus aſtris
I rradiant: memor hæc pœnæ,fera uincula ſemper,
S emper torturas agitat: crudelia Perſeus
F unera: ſunt enſes illi, ſunt uulnera curæ,
G orgonei capitis ſemperq́; inſignia præfert.
Quo ſurgente aliquis ueniens in luminis auras, De Perſeo.
S i Phœbus quoq; Gorgoneo ſeſe extulit ortu,
S i Mauors telo infelix rutilante laceſſat,
Q uo Sol,aut quo Luna loco,dominumq́; locorum,
N ec felix ſtella occurſet,cœlóue cadenti
S eſe agat occaſum uerſus regione ſecunda,
H uic caput auulſum collo uiolenta bipennis
A uferet,ut media truncus ſpectetur arena,
A ut etiam exciſis manibus,pedibus' ue queretur
C rudeleis Geminos,crudelia ſydera Piſces.
V ulnere ſeu crudo illachrymans,& corpore toto
S aucius,incuſet Phœbum, Dictynniaq́; arma,
S i media cœli è ſpecula lunaucrit arcum.
V ſqueadeo Inachides in noſtra pericula ſæuit.
Nec uero monimenta hominum inteſtata reliquit De Pegaſo
I uppiter. At cœlo illuſtrans ueſtigia famæ,
V irtutisq́; aperire uiam ad noua nomina iuſsit.
P egaſus hinc cœlo micat: hic exordia fonti
C lara dedit,de quo ſacros fudere liquores

P ierides, quibus ora pij sitientia uates
A dmorunt, potusq; sacer liquor Hippocrenes
I mpleuit mentes Musis & Apolline dignas.
T um famæ quæsitus honos, sua reddita famæ
P ræmia, Pieridum decus, & Daphneia laurus.
P ost autem emeritos cœlo exposcente labores
P egasus effulget stellis. Tamen ipse laborum
A c famæ memor, assuetas in pectore curas
N ascentũ ingeminat, quibus arma leuesq; sequantur
Q uadrijuges, uersentq; agiles in puluere currus.
N unc hostem insectentur equis, nunc hostica castra
E xplorent, dubijsq; locum speculentur in agris.
N ec uero pedibus tantum, sed & acribus alis
P egasus insilijt campo, & sese intuli tauris.
H inc his ingenium uelox, & rebus agendis
D exteritas, ac cura uigil: tum notior usus
H erbarum, medicæq; artis, quîs ægra ferarum
C orpora, quîs hominum morbos, & uulnera curent:
Q uandoquidem assuetus pratis, assuetus & herbis,
I llarum studia ingenerat, nec inutile succi
P ræsidium meditans, & opem mortalibus ægris,
Q uorum opera illatus cœlo inter sydera fulget,
E xoriens quum Piscis aquis ruit, aureaq; udo
V ellere per summos effert se bellua fluctus.
A t contrà oceani præceps delapsus in undam,
O ceani senis undam, atq; antra liquentia Nerei,
E xcutit aut curru lacerum, aut è calce cruentum,

Aut

Aut dorso eiectum stygias deturbat ad undas
Pallentem, & uanos fundentem è pectore questus.
Hunc post exoritur iuuenis, quem fessa trahentem — De Engonasi.
Genua uides: ne, ne Alciden hunc rere: fugacis
Ista uiri species, fraudumq; instructa, doliq;,
Præcepsq; in facinus, non ut tela aspera contra
Luce palam nisa hamento iaculetur adacto,
Nocte quidem, tenebrisq; atra grassatur in umbra
Insidians, sæuisq; inhiat simulata rapinis.
Hos animos curua effigies nascentibus indit,
Corporaq; extento iactent pendentia fune,
In gyrum cogant artus, & cerea membra,
Perq; enses moueant nudis uestigia plantis,
Si Mars & Dictynna suis speculentur ab astris.
Sæuus ab occasu ferrum, insidiasq; minatur.
Sin Mauors quoq; fulmineam contorserit hastam,
Illos flamma furens, uentoq; agitata fauilla
Vstulet, & picei tosto de uiscere fumi
Agglomerent: serpat succensis ossibus ignis
Feruidus, atq; imis crepitent incendia uenis.
Ast ubi cœruleo tingit sese æquore Pristis — De Pristice
Occumbens, si tunc hastam quoq; Sithonius dux
Torserit, externi fugiant uaga flumina Nili,
Tyrrheniq; maris fluctus, & littora Calpes,
Ne turpeis pascant phocas, armentaq; Protei
Viscere pasta suo saturent, & hiantia condant
Guttura, sed rursum Ionijs in fluctibus ipsi,

A egæoq; sinu, magnoq; in gurgite ponti
V enentur uastos fœtus maris, undiq; clausos
A ggeribus, quoties eoo è littore surgens
C etus, & ipse suo faueat nascentibus ortu.
C ernere erit latè pelago uolitantia lina,
E t circum triplici cinctos indagine saltus
A equoreos, monstra inductis trepidantia septis,
N ec posse aut reperire uiā, aut prorūpere claustris.
I psi de rate turrigera, aut è puppibus altis,
F erratis instant hastis, iaciuntq; tridentes
P innigeros, imo referunt sese icta profundo,
I nfixosq; trahunt squamosa ad tergora contos:
V iribus hinc defecta suis, & uicta dolore
V ulneris, albentes rursum tolluntur in undas,
S emineces q; trahunt artus. At nautica pubes
R etibus inuigilans, funes agit, aut fera contis
A gmina perturbat, uideasq; indagine in una
V rgeri armentum uasti æquoris. Ille trucidat
E nse ferox, hic sublata secat ossa securi,
H ic unco trahit ad littus, prædaq; superbus
I ngenteis media tauros resupinat arena.
P ars laniat cultro insultans, & uiscera nudat,
I n prædamq; uocat socium: pars agmine longo
P er remos, per transtra leui uolat incita saltu,
R etiaq;, inclusasq; feras ad littora raptat,
I psa suis diffisa humeris. Sed lecta iuuentus
A uxilio uenit, ac uicino è margine tortis

Restibus

R estibus innitens, & uectibus æmula ductis
O ceanum secum, oceani & uiuaria tractat,
E t uersa pelagi exuuiæ exponuntur in alga.
N ec mora, quum rapidis in equis uectantur ad urbes
F initimas rostro & caudis minitantia monstra:
H ic latis strata in tabulis, suffixá ue ad uncos
F erratos, duplici horrescunt pendentia dorso,
E t squamosa rigent duris ad tergora pinnis.
V rbs ipsa armentũ ad Nerei, & spolia effera currit,
A c montana ruit longè ad spectacula pubes.
S æpe etiam solem ad rapidum, fumos'ue uolucres
S uspendunt, sale sicca prius, perq; oppida latè
E xportant. It salsa maris fora per uaga merces
I n frustis concisa, & lancibus acta repandis.
F orsitan & salis arentes durare lacunas
C ura sit, & laticum sensus conuertere amaros
I n salsum: medio purgantur littore campi,
S trataq; arenosis includitur area septis.
H uc sapor ille grauis, tristis q; inducitur humor
I nclusus lata cauea, & circum aggere septus,
P aulatim sub sole liquens exudat, humiq;
L entescit, donec sitiens, rapidoq; coactus
I gne, salem, uariosq; hominum concreuit in usus.
Hæc Pistris. Sed quo cœli sub sydere natum, De Cola pisce.
Quá ue poli sub parte Colan rear? alta Pelori
S axa uirum genuere, aluit quoq; Sicilis Aetna,
E t puer humanos hausit de matre liquores,

I nstructusq; hominum curis, & ab arte magistra.
S ed tamen ut paulatim ætas tulit, auia montis
N ulla petit, nulla ipse feris uenabula torquet.
L ittoribus tantum aßistit, neptunniaq; antra
S ola placent, solis gaudet piscator arenis.
S æpe pater sinuantem hamos, plumboq; onerantem
R etia, nexilibus mater persæpe sagenis
I ntentum increpuit, dictisq; exarsit amaris.
I lle autem irato sese committere ponto
A udet, Nereidum & thalamos intrare repostos,
T ritonum penetrare domos, Glauciq; recessus,
E t tentare imi pulsans clausa ostia Nerei.
S æpe illum Galatea, cauo dum prodit ab antro,
M irata est, stupuitq; uiri per cœrula gressum,
S æpe suas Arethusa comas dum siccat, euntem
O bstupuit, simul & uitreo caput abdidit amne.
N ec uero maris occultos inuadere saltus
A ddubitat, ferro aut latebras uiolare ferarum,
E nse canes, ense & tauros, ense horrida cete,
E t totus sese ante acies agit unus, & antris
I ncludit: natat elato per Nerea telo,
R heginoq; mari, Sicula & regnator in unda.
N anq; etiam quo Scylla cauo fremit abdita in antro,
C ui latrant centum ora canum, centum ora luporum
E xululant, ferro irrupit: siluere remisso
O re canes, siluit rabidorum turba luporum
V icta metu, Scylla immanis dum pandit hiatus,
Perforat

P erforat hic gladio aſſurgens caua guttura: ibi illa
I n latebras fugit, & ponti procul abdita quærit.
I ngreſſusq; antrum iuuenis Catinenſis, adeſa
O ſſa hominum, attritosq; artus, & pabula cernit
D ira canum, truncasq; manus, & pectora, & armos:
T um puppes uidet effractas, diuulſaq; tranſtra
S axa ſuper, roſtra æratis ſqualentia truncis.
E tiam tertia lux roſeo ſurgebat ab ortu,
Q uum iuuenis lætus ſpolijs, tantoq; labore,
S umma petit, ſummæ nanti famulantur & undæ,
E t pelagus poſito præſtat ſe ad iuſſa tumultu.
O ccurrit læta ad littus Meſſenia turba:
G ratantur matres reduci, innuptæq; puellæ
M irantur: ſtupet effuſum per littora uulgus.
I lle ſuos peragit curſus, æſtuq; ſecundo
E t portum petit, & curſu portum intrat amico.
V ictorem pelagi è muris urbs læta ſalutat,
P rædaq; per ſcopulos, ſtrataq; exponitur alga,
A lga Colan, littusq; Colan, Colan antra ſonabant.
H inc omnem pelago uitam, atq; in fluctibus egit
N ereidum choreis miſtus, quem cœrula Protei
I am norant armenta, uagiq; per æquora circùm
A dnabant delphines, & Ionio in toto
M ulcebat uario Tritonum buccina cantu.
S æpe etiam medijs ſub fluctibus alta ſecantem
O bſtupuere uirum nautæ, quibus ipſe repoſto
M ox ſcopulo, madidum exiccans ſub ſole capillum,

Horrentem cæco signat sub marmore cautem,
Declinent qua arte & cumulos uariantis arenæ.
Quinetiam maris occultos instare tumultus,
Incumbant quibus aut cœli de partibus euri,
Quaq́; die cogant atro se turbine nubes,
Immineātq́; hyemes pelago, et nox horreat umbra,
Neptunniq́; minas, inceptaq́; tristia monstrat.
Hinc illi uela in portum, expediuntq́; rudenteis,
Ac iuueni ingentem Baccho cratera coronant.
Ille autem gratam ut cepit per membra quietem
Stratus humi, pelagoq́; atrox desæuit & Auster,
Non mora, spumantem in laticem se deijcit alto
E saxo, relegens pontum, uadaq́; inuia tentat,
Sola illi intacta, & fatum exitiale Charybdis,
Hanc timet, huic ausus nunquã contendere monstro.
Forte diem solennem urbi Federicus agebat,
Et promissa aderant celeris spectacula cymbæ,
Victori meritum chlamys, ac super aurea torquis.
Hinc certant quibus est & uis, & gloria nandi.
Præmia cælatus crater, atq; insuper ensis.
Ingentem tum rex pateram capit, atq; ita fatur:
Victorem maris ista Colan manet: & iacit illam
In pontum, quà sæpe ferox latrare Charybdis
Assueuit, quum cœruleo sese extulit antro.
Insonuere undæ iactu, ac lux candida fulsit,
Sole repercussa, & flammis radiantis aheni.
Cunctatur iuuenis, fatoq́; exterritus hæret.

At

A t rex, ni pateram ex imo ferat ille profundo,
V inciri iubet actutum: expediuntq; catenas.
V incant fata, inquit, fato & rex durior, haud me
D egenerem aspiciet tellus mea: seq; sub undas
D emisit: quantumq; acer per inane columbam
D elapsus cœlo accipiter sequiturq;, feritq;,
I amq; alis, iamq; ungue petens: tantum ille rotatã
P er fluctus, per saxa secans, imum usq; profundum,
S ectatur pateram, atq; illam tenet impiger, ecce
D e latebris fera proripiens, latrantia contrà
O biecit rabida ora canum: quibus ille nitentem
P ro clypeo obiecit pateram, seq; ense tuetur.
D umq; aciem huc illuc ferri iacit, & micat acer
P erq; lupos, perq; ora canum uersatus, & agmen,
D atq; locum, rursusq; locum tenet, ilia monstri
I ncumbens telo strinxit: dedit icta fragorem
A lta cutis, squama horrisonas natat acta per undas.
S tridorem hic illa ingentem de faucibus imis
S ustulit: infremuit quo æquor: caua rupibus Aetna
A ssultat: tremit æratis sub postibus antrum
V ulcani: Siculæ nutant cum mœnibus urbes,
H orrescitq; nouos procul Ausonis ora tumultus.
T um caudam explicitans, totoq; illata Charybdis
C orpore, ter pauidum assultu, ter uerbere torto
E xcußitq; solo, caudæq; uolumine cinctum
I llisit tandem scopulo, traxitq; sub antrum,
I mpastosq; canes, & hiantia guttura pauit.

Ille igitur cœlo impulsus tellure relicta
In ponto degit uitam, & fatum æquore clausit.

De Arcto.

Hactenus hæc: nunc illa puer mihi suspice plaustra,
Quæ nunquam oceano tingunt, sed cardine summo
Voluuntur, paruoq; ferunt sese incita gyro,
Vt nunquam occasu, nunquam rapiantur ab ortu.
Atq; illam metire oculis, quæ uertice in ipso
Tanquam fixa micat noctu, tamen usq; uagatur,
Obseruatq; polum, atq; axi uix mobilis hæret,
Stella, Lycaoniæ referens monimenta puellæ.
Vrsa etenim quondam in syluis errauit, & antris
Delituit. Sed uicta fame memor ipsa parentum
Sæpe domos ac rura petit, commistaq; uaccis
Decubuit stabulo, & stetit ad fœnilia uincta.
Illam pastores, dum pabula nota frequentant,
Sæpe greges inter duxere ad pascua, & inter
Errauit pastos fera Nonacrina iuuencos,
Sensisset uacua modulantem carmen in umbra
Damonem, uacuam saltu properabat ad umbram,
Et cantum immota suspendit arundinis aure,
Blanditurq; oculis, ac singula uerba canentis
Obseruans, lambitq; manus, sequiturq; uocantem,
Gaudet & ipsa sui laudari uoce magistri.
Hinc quibus affulsit nascentibus Arcadis Vrsæ
Sydus, & è summo prospexit cardine Virgo,
His captos domitare ursos, immania corda,
His sæuum genus indomitos frenare leones

Cura

C ura sit, & socios canibus coniungere pardos
P er nemus, infrenemq́; manu tractare elephantum,
T um uerbis formare, acrem ut tolerare magistrum
A ssuescat, socium armato dignoscere ab hoste.
H ic illis amor, hoc studium: sic imperat astrum
E xoriens. At si occasum declinet ad ipsum,
I mpastus leo, seu uiolentis unguibus ursus
D ilaniet, seu uicta fame fera dente cruentet,
S i graue Threicij minitetur stella tyranni.
Quid qui per geminas anguis conuertitur Arctos, De Angue
E t trahit ingenti sinuosa uolumina cauda?
H ic Marsos dabit exoriens, qui uulnera cantu,
Qui sanet morsus, nigro qui sorte ueneno,
V nguine pæonio, & succis medicentur, & herbis,
Qui ferro atq; igni referantq́; Machaona dextra.
A st ubi ad occasum flexu leuiore rotatus
I n spiram, petit hesperij uada lubrica ponti,
L etaleis paßim morbos, & uulnera dente
T abifico meditatur, & atro felle sagittas
I ntingens, miscetq́; malum per pocula uirus,
R egaleisq́; epulas tabo inficit, aut boleto
P romittit certam dubio sub funere mortem.
H æc coluber fata occumbens mortalibus addit.
Talibus, atq; alijs, seu declinantia in Austrum, Alternari
S iue ad Hyperboreum surgunt quæ sydera tractum, fata ui fir-
E xercent hominem fatis, mentesq́; orientum ma animi.
S ensibus afficiunt uarijs, uariosq́; agitatus

D ant animis, unde & uarios formantur ad usus,
E stq; suum cunctis studium, & sua cuiq; uoluptas.
S æpe tamen uis firma animi, resq; extera, lex'ue
A lternant fata, aut genio aduersatur egestas.
S tat fatum tamen, & fato uis insita perstat.
N ec natura suas unquam inficiabitur artes,
I n rectum, prauum'ue uocet, uestigia seruat
V sque sua, & facilis per munera nota recursat,
S i qua forte locum dedit aduersata potestas.

Stellarũ fixarũ uires maximas esse.

Multum opis obliquo septem quæ lumina cursu
L abuntur, dant syderibus coniuncta repostis.
D iuitias tamen ingenteis, inopinaq; regna
D ant ipsa, imperiumq; ima de plebe togatis,
E t seruos solio statuunt, sceptrisq; decorant.
S ed nec fida manent, certo nec fœdere perstant.
N am quantum cœlo tolluntur & ipsa reposto,
Q uoq; loco maiore aliquem statuêre, magisq;
E uexere, atq; ex imo ad conuexa tulere,
H oc magis affliguntq; solo, calcantq; iacentem,
E t miseris statuunt hominum spectacula rebus,

De stellis regijs Leonis, Aquarij, Scorpij, Tauri.

Nunc iterum Iouis ad zonam, bissenaq; monstra
N ate redi, patrisq; memor præcepta capesse.
R egianamq; etiam regalibus ignibus astra
Q uattuor è cœli signis, regalia iura
E xercent: ardet Libyci ad præcordia monstri
S tella ingens, stella auratis circùm ignea flammis,
S tella Iouis decus egregium, & mauortia cura,

Cuius

C uius in exortu, seu quum tenet ardua mundi
S ydera, curuato sese illi iunxerit arcu
S yluipotens dea, syluicolis dea cognita Nymphis,
D iuitias illi immensas, fascesq; superbos
F ata parant: ille è castris peditemq;, equitemq;
E ducens, bello domitas quassabit & urbes,
E t populos latè uictor ditione tenebit.
I llum etiam ingentemq; animis, ingentibus orsis
O rnabunt regē sceptra, & trabea aurea quondam
I nsignem dabit, & solio illustrabit eburno.
S i cui ab hoc ipso nascenti arriserit astro
D elia, & auricomæ turgescant cornua fronti,
B ella tamen, belliq; æstum, durosq; labores,
I rarumq; graueis causas portendet iniqui
S tella senis, rutiloq; furens Mars sæuiet igni,
Q uum uastum Nemees olim properantibus annis
D iuertent antrum, & spelæa horrenda reuisent.
T unc etenim fraudemq; senis, uiolentaq; tela
T hreicij iuuenis, suspectaq; comminus arma
I ndignans fera, sese in ceruicemq;, iubasq;
C olligit, obscuroq; fremens se proripit antro,
M ugituq; auras, & cœlum territat ore
H orrificans: pauet ipse senex: at ferrea Mauors
O biectat scuta, & tortam ferus excutit hastam,
S eq; caua condit galea, & sæuum exerit ensem
F ulmineus: quatit horrisonis Leo dentibus ora,
E t parat assuitu iam iam se inferre citato

Quadrupedans: ruit excitum ad spectacula cœlum,
Assensuq; deûm uario fremit assonus æther.
Hæc eadem aduersa è parte, atq; fluentibus undis,
Sydereis undis, & fonte liquentis Aquarij,
Quà regale nitet uillis radiantibus ostrum,
Nascenti euenient, ubi Delia culmine summo,
Aut cœlo exoriente suo adstipulabitur ore.
Si quæras Siculi mores, geniumq; tyranni,
Et regnum crudele, aulamq; cruore madentem,
Sparsaq; per duros hominum præcordia senteis,
Martius horrenti feret hæc tibi Scorpius astro
Exoriens, seu quum medio dominatur olympo,
Et uicina micat crescenti lumine Phœbe,
Non toto quisquam cœlo crudelior ignis
Vel sæuit face, uel flamma uiolentius astrum.
Hinc & opes summæ, summo & cum iure potestas
Insidijs armata, & cædibus usa nefandis,
Grassatorq; animus, & sparsa cruore libido.
Hinc Acragas tremit, & clausus boue mugit aheno
Infelix faber, & populis gemit Aetna subactis.
At contrà oppositis Tauri de sedibus ardent
Felices stellæ, non una in parte locatæ.
De quarum radijs quum se, & sua cornua Phœbe
Illustrans medio incedit pulcherrima cœlo,
Aut thalamos Aurora tuos somno excita linquit,
Hinc auri uenas fluitare, Hermumq;, Tagumq;
Vndantem, cumulos & opum, perq; atria uerri,
Perq;

Perq́; aulas fulgere suis aulæa Britannis,
Luxuriare dapes mensis, fuluoq́; metallo
Tecta super radiare, ipsis penetralibus hortos,
Frondenteisq; umbras æstiuum excludere solem,
Et uideas tabulata nouis fulgentia signis.
Hinc populi fauor, hinc indulgentißima cura
In populum, & data per plebem sua dona uiritim.
Hinc etiam templa idæis innisa columnis
Conduntur, splendentq́; ebore, ac testudine postes
Aurati, radiantq́; adytis donaria sacris
Ex auro, argentoq́;, & phidiaco cælatu,
Ac fama externas circum uaga labitur oras,
Si cui felicis ortus Latonia dextro
De cornu bouis, atq; è sydere fecerit aureo,
Aut regale decus medio ostentarit olympo
Iuppiter, & læto placidus respexerit ore,
Illum urbes moderantẽ, illũ maria alta trahentemq́;
Armatas in bella rates, illum arma, uiriq́;
Horrebunt, & equis uolitantem, & signa ferentem,
Italaq́; imperium tremet hoc sub uindice tellus.
Nec uero reliquis obliqui in partibus orbis
Sydera non multa fulgent radiantia luce,
Et claro illustrant tenebrosam lumine noctem,
Illustreisq; uiros, & facta illustria reddunt.
Nam cui nascenti generoso effulserit astro
Hellæus quadrupes, primo dum cardine surgit,
Ille potens opibus regum notescet in aula,

De stellis claris, ac limpidis, Arietis, Scorpij, Sagittarij, Capricorni, Piscium.

Et multo terram diues proſcindet aratro.
Ille reget populos, & magna potentibus armis
Dux geret, & factis famam ſibi quæret ab ipſis.
Decumbens fato placido, inſignisq́; feretro
Effertur, lachrymas interq́;, atq; ultima dona,
Si facilis placido annuerit quoq; Iuppiter ore.
Nec non horrentis Scorpij de tergore fulgens
Stella micat, latè ardenti ſpectabilis igne,
E cuius radijs & opes, & larga ſupellex
Funditur, & multo comitata potentia faſtu.
Quòd ſi felicis radios Iouis aureus ardor
Adijciat, longè ſummi cumulentur honores,
Et longè primis ornentur faſcibus ædes.
Primi etiam longè procerum extollentur in aula,
Et primi regum ſolijs loca iuncta tenebunt.
Sed mors ſæua manet, offenſi principis ira.
Semiferi quoq; tecta ſenis fulgentibus aſtris
Clara micant, nitet & facibus radiantibus aula.
Hinc illuſtre uirûm genus, hinc generoſa propago
Exurgit, magisq́; potens ſeſe aſſerit actis.
Imperio ſubiget populos, noua mœnia condet,
Diruet hoſtileis urbes, & claſſe profundum
Inſtructa leget, & fœdabit ſanguine pontum,
Strage uirûm inſultans, & multa cæde ſuperbus,
Victricesq́; manus terraq́;, mariq́; potenti
Imperio reget, & domito tandem hoſte cruentus
Occumbet leto inſigni, atq; ante agmina uictor,
Tarpeius

T arpeius cui ſorte pater Chironio ab antro
F ulſerit, ac nitidis ſeſe coniunxerit aſtris
E xoriens, placido & moueat ſua tempora nutu.
Aegoceros quoq; nigranti ſub nocte per umbram
I lluſtreis effert radios, queis pectora nati
I gneſcunt, mentisq́; ſuum tenuatur acumen.
E t fortuna domus multa clareſcet opum ui,
C uius in exortu ſi ſe Latonia, ſi ſe
A ddiderit ſocium belli deus enſifer Heros,
N áſcentur qui cæde hominum, qui ſanguine fuſo
L ætentur, queis bella animo, & crudelia curæ
P rælia, ſub quorũ imperio peditumq́;, equitumq́;
I ncedit legio, & campis gradietur apertis,
E t quos fata manent ipſi quoq; debita bello.
I rradiat poſt ſub Phrygij momenta miniſtri
S tella nitens, quæ iuſtũ animis, rectumq́;, probumq́;
S uadeat, & magnos olim promittat honores,
Quæ populos late ſubdat, quæ regna merenti
D ecernat, ſolijq́; decus ſublime ſuperbi.
S i Saturnius hanc radijs pater aſpicit æquis,
S i nato adiungat uires Saturnus amicas,
E t patri proprios, & auo latois honores
C oniungens læto oſtentat ſeſe aurea uultu
C ulta comam, uarijsq́; caput circundata gemmis,
Quæq; ſoror Phœbi, & poſſit Ioue nata uideri.
N ec uero non & Veneri ſua cura, ducumq́;,
B ellorumq́; nec arma timet generoſa uirago,

Quæ Martem clypeo, galeaq́; , adamantideq́; harpe
Instruxit, dum prima Gyges in claustra tonantis
Intorsit saxa, & ferratum in limina uectem.
Quæ face ter iaculo immanem gladioq́; Ophialten
Ambußit, dum mento illi riget horrida barba
Illuuie fœda, & squalenti emarcida cœno,
Quanta nec hirsutis tercentum pendeat hircis
Nidorem incensa, & sæuam dedit usta mephitim,
Qua somno superi exciti, rapido arma tumultu
Expediunt, ciet ardenti Venus agmina torre.
Forte etenim Cytherea toro surrexerat, & se
Martis ab amplexu nocturnis usa tenebris
Surpuerat, roseoq́; diem properabat ab ortu,
Quo furta, & longæ cælaret gaudia noctis.
Prima igitur uenientem hostem dea sensit, opemq́;
Prima tulit, sed longè illi laus maxima, quòd iam
Terribilem galeam tractare, atq; ære rigentem
Coniferam ingentẽ, atq; igneis, flammasq́; uomentẽ
Ausa, quòd iratũ comitata ad mœnia Martem
Ante illum iaculata facem, atq; è turribus ignes,
Nobilis & facie, & generosis nobilis ausis.
Ergo ubi candenti sese dea iunxerit astro
Exoriens, fulget notus quo sydere Piscis,
Et Phœbe nitido felix decurrat olympo,
Nascentur, quos relligio, quos æqua, piumq́;
Oblectent, cultusq́; deûm, & reuerentia casti.
Nascentur, qui classe maris uada cœrula uerrant,
Qui

Qui terrarum obeant uarios, uario ordine tractus.
Illi etiam ingenteis animos ingentibus actis
Adiungunt, & bella animis ingentibus audent
Et pelago, & terris gerere, ac fera prælia miscent
Victores, sed amor media inter tela recursat,
Victoremq; hominum subigit dea uirginis armis.
Atq; utinam non regum odijs, non sæua per iram
Contingat mors, & fato rapiantur iniquo.
Talem olim rapidas Phrygij Simoëntis ad undas De Aenea
Aeneam dea progenuit, quem fortibus armis,
Insignemq; animi iuuenem tot adire labores
Impulerint, & fata nouas exquirere sedes.
Hinc humeris patrem, inde deos, & sacra ferentem,
Iactatumq; mari magno, Libycosq; per æstus,
Accepit uirgo hospitio, iunxitq; hymenæos.
Mox fineis quærentē Atauûm, Tybridisq; recessus
Intrantem, regna excipiunt, dotaliaq; arua.
Hinc atrox bellum exoritur, pro coniuge certat
Hinc Rutulū manus, hinc fulgētibus Arcades armis.
Ac tandem uictor potitur regnoq;, toroq;,
Sed fato cadit infelixc aua ad antra Numici.
Hunc Libyæ quondam errantem per deuia mater
Tutata est, hunc turbatis Aquilonibus actum
Eripuit medijs è fluctibus, hunc & in arcto
Bellorum casu, Simois quum & Xanthus, & Ilij
Sanguine manarēt campi, & mare cædibus horrēs,
Scuta uirûm, galeasq;, & fortia corpora uersat,

I psa enses, ac tela inter, flexusq́; rotarum
A stitit, & graue pro nato fert saucia uulnus,
N on potuit tamen immitis placare fluenti
C rudeleis latices, præfixaq́; saxa sub undis,
V sque adeò nec fata deûm mutare potest uis.

De motu coeli.

Digrediens hæc antè puer non dicta docebo,
T u memori mea uerba animo, ac sub pectore conde,
O mnia clauduntur cœlo, cœlum omnia secum
M ole sua rapit, & celeri uertigine torquet.
I mmotumq́; nihil patitur, tamen intima tellus
S tat semper, medium quoniam concessit in orbem.
S tant axes, quibus ipse super uersatur olympus.
I psa quidem oceani circumq́;, intraq́; sonanti
A lluitur tellus fluctu, ac uelut insula toto
I nsurgit ponto, & medijs stans prominet undis,
Quas cursu uaga, & alterna sub luce refulgens
L una ciet, luna æstiferos motura tumultus.
I am terras, pontumq́; unà complectitur aër
H uc illuc uentis agitatus, & æquore aperto
R aptans imbriferos piceo cum turbine nimbos.
Quicquid enim tellure ima, ac rorantibus undis
E xhalat, paßim huc sublato corpore fertur
E uectum Solisq́; rotis, Lunæq́; quadriga.
D ensatum mox in nubes, pluuiamq́;, liquescit.
I psa autem Luna in primis fluitantibus auris
I mperat, & cœlo citimos cum torqueat axes,
A c spatio breuiore rotas agat, u q; deorum

Consilia

C onsilia explorans, & opes, & castra, serenos
N unc præfert uultus, rutilo nunc uelat amictu,
A ut Ferruginea procedit nubila palla.
M ultum etiam quibus in signis digressa feratur,
A diuuat, & peragret signi qua parte Tyrannus.
Ignea uis pecori phryxeo, & cornibus aureis, — De signorum qualitatibus.
gneus & Libyco uigor est, rabiesq; Leoni,
andentiq; senex iaculatur ab igne sagittas
hillyrides. nam terrestris uis insita Tauro,
nsita Virgineæ Spicæ, Aegocerontis & astris.
am Geminis placet aër, aëriiq; recessus,
os puer Idæus probat, hos Pometia uirgo.
t Cancro fluuiorũ amor, æquoreæq; lacunæ
ermansit, iuuat unda, iuuant stagnantia claustra,
iscibus idem amor est, eadem quoq; cura Nepai.
inc uariant Lunæ uires, pugnantq; uicissim
igna simul, nec certa fides uariantibus auris,
inc tempestates, atq; inconstantia cœli,
ucceditq; Auster Boreæ, pluuiumq; sereno.
c mediis persæpe caloribus horruit aër,
um grando in solidis percrebruit horrida tectis.
Quin etiam uariant Solis uiresq;, uicesq;, — De inæqualitate dierũ ac noctium
uod cœli situs & signorum præstitit ordo
bliquans, unde alternant noctesq;, diesq;,
c tempus circum spatiis se uersat iniquis.
uattuor in parteis quanquam diducitur annus,
equa sed à mediis ducuntur tempora signis,

Queis medium luci, atq; umbris Sol diuidit orbem,
P rœcipiti loca celsa gradu, quæq; ima dehiscunt,
D um certant inter sese, fugiuntq;, fugantq;,
N unc nocti cedunt luces, nunc solibus umbræ,
A duersisq; uagantur equis & frigus, & æstas.

De signis mobilibus, fixis, & cõmunibus

Omnia principio properant, medioq; morantur,
A t finis neutrum retinens moderatur utrunq;,
T emporis hinc uerni quadrupes Nepheleius autor
I t properans, semperq; suas festinat ad herbas,
N ec mora, nec requies: manet ad præsepia Taurus,
V er manet, insistit Bos indefessus aratro
I ncumbens operi, incumbit quoq; purpureum uer
P er syluas, per prata, & cœpto perstat in ipso.
A t Geminis modus est, dum uer declinat, & ardens
P rocedit cœlo indomitis feruoribus æstas.
H inc pecori aurato uis mobilis, at sua Tauro
V is constans, solidũ robur, stabilisq; potestas.
V is media est Geminis utroq; à sydere ducta,
C ommunisq; uigor, quæ cætera signa sequuntur
O rdine nexa suo seruant hunc certa tenorem.

De signis tardis, & uelocibus.

Nec uero quæ signa Austro digressa ferũtur
I n Boream, non ipsa obliquis curribus ortum
A ccelerant, raptantq; habiles ad frena iugaleis.
H inc ortus breuius spatium obliquantibus astris,
H inc properans Aurora rubentibus aduolat alis,
I ngeminat lux, ingeminant opera, atq; labores.

At contrà

At contrà quæ de Boreæ regione recursant
In Libyen, ea decliui properantia cursu
Oceano immersant sese, obliquantq; sub æquor
Aethiopum, inde ubi gangeos referuntur ad ortus,
Insudant cliuo, ac sursum recto axe supinis
Vix referuntur equis, subit hinc mora longior æquo,
Augenturq; ortus spatia, & nox crescit in umbra.
Decrescit labor, accrescit requiesq; soporq;.
Ventorum quoq; uis uariat uariantibus astris. Quæ signa quos uẽtos excitent.
Ignea præcipitem Boream, & minitantia claustris
Arctois signa emittunt glaciemq;, niuemq;.
Sæpe tamen uicino Aries de tramite Cauros,
Immistum Zephyro ac Boreæ genus, euocat antris.
Quis credat, gelidos flatus Iouis excitet astrum?
Excitet humenteis Mars, atq; Atlantis ab undis?
Signa etenim maris humectos referentia fluctus,
Oceani occiduos æstus, auramq; Fauonij
Sollicitant, tamen & libycis procul excita arenis
Flabra ciẽt, Zephyro cognata frequẽter, & Austro,
Hunc prono è cœli tractu, atq; hyemalibus oris
Educit Dea, cœrulo quondam edita ponto,
Educunt astra auripedi consortia tauro.
Quin Eurumq; Notumq; unà Capricornus utrinq;
Commistum genus, excibit bicoloribus alis.
Ast Eurumq; Euriq; domos, Nabatæáq; claustra
Saturnus tenet, & gangetide regnat in aula.
Nonnunquam Solis radijs calefactus, & igni,

S uſcitat horriſonas ſtridenti Aquilone procellas.
T u uero terræq; ſitus, & flumina, & ipſos
A ſpice arenoſi tractus maris, aſpice monteis
M ontibus impoſitos, & declinantia in imas
C onualleis loca, & aërijs ſuper indita ſaxis
O ppida: non idem obtutus, poſituráq; mundi
O mnibus eſt eadem, nec Sol uagus omnibus idem,
N on ſimilis natura ſoli, non aëris aura.
H inc uariat cœli uis, & natura locorum,
D iuerſæq; uices rerum, atq; euenta per orbem.
A ſtrorum quoq; diſsimiles uireſq; uiceſq;,
T emporáq; inconſtanſq; dies uariantibus umbris.

Qui planetæ diurni ſint, & qui nocturni.

S ydereis nocturna umbris Latonia gaudet,
G audet nocturnis tenebris Erycina, ſuumq;
I llecebris trahit hæc nocturna ad gaudia amantem,
I lle dolo lætus, furtiſq; accommoda captans
O cia, per tenebras graditur ſpeculator opacas.
L ucem odit, memor & uulcania uincula, & artes
P hœbeas cauet, & cæca inſidiatur in umbra.
A t lucem curruſq; auroræ, & lampada ſolis
M iratus pater altitonans, miratus & ipſe
F alcitenens Deus, occultas odere tenebras,
E xultantq; die, gaudentq; patentibus auris.

Cur alij albi, alij nigri ſint homines.

Miretur nigrum Aethiopem criſpante capillo
A lbis, & algenti Germania ſubdita cœlo.
M iretur longamq; comam, candentiáq; ora
G ermani Nomas, & lati niger accola Nili.

Illum sicca siti, sæuóq; exusta calore,
Torridáq; aßiduo uicinia solis ab æstu
Vrit, & incocto tingit nigra corpora fumo,
Contrahit & teretem per adusta foramina crinem.
Huic concreta gelu, niuibusq; oppressa malignis
Quæ regio riget arctois subiecta pruinis,
Vicinum è glacie candorem aspergine cana
Illinit, & niueum diffundit in ora colorem,
Ac multa irrorat madefactum sanguine corpus.
Inde fluit coma longa, & opacant ora capilli.
Hinc uariat gens ipsa inter flammamq́;, niuesq́;,
Atq; alios referunt alia in regione colores,
Quos cœli miscent ignes, errantiaq́; astra.
Hinc Phœben niueæ lætari uellere lanæ,
Saturnumq́; atro rursum squalescere amictu
Dixere, ac rutilo Martem exultare capillo.

Nec tantum color, ora etiam, effigiesq́; uirorum — De oris uarietate.
Dißimiles inter sese prolisq́; patrumq́;.
Nec matri sua nata, nec uno è germine creti
Aßimiles, nec neptis auo, aut soror ipsa sorori:
Vsque adeò cœliq́; situs, & sydera, & ipsi
Dij uariant, ac signa quibus sua plaustra reuoluunt.

Quin uariant etiam mores, & pectora sensus — De uarietate morum.
Diuersos agitant, studia & non una sequũtur.
Hinc animi secreta alto sub pectore condit
Consilio grauis, & casus timet usq; futuros.
Et parcit parto, & prouisa negocia differt

C unctator, quoniam Saturni hoc imperat astrum.
Ille fidem, testeisq; deos, conceptáq; uerba
P osthabet, & rabidos irarum concitat æstus
I mmitis, promptusq; manu, uiolentus, & exlex,
H os mores quoniam Martis ferus indidit ardor.
Ast alium, insignemq; animi, & præstantibus ausis
N obilitat Sol, & generoso corde superbum
I nuitat studio imperij, atq; extollit in altum,
P lacantemq; aras diuûm, & pia uota ferentem.
Sunt quos et splendor iuuet, atq; exculta supellex,
O rnatusq; domi fulgens, laqueariáq; aurea,
E t tyriæ uestes, uilloso & purpura limbo,
H os populis longè acceptos Latonia Luna
C ommendat, fauor hinc, & amicæ gratia plebis,
I ngeniumq; habile, & rebus uis apta gerundis.
E st illis mite ingenium, & sibi pectora recti
C onscia: sunt animi præclara ad munera nati.
I ustitiamq; colunt, & inest reuerentia ueri,
E t syncerus amor, pensi quoq; sedula cura,
N il præceps, etenim Iouis hos sic temperat astrum.
Temperat ast alium Veneris nitor: hinc nitet illi
C ultus, & aurato fulgens noua purpura textu.
L uxuriat domus, ac lucos flant tecta Sabæos,
E t paßim nitida Charites dominantur in aula.
Scitatur rerum causas, & suscitat arteis
I gnotas solers, facundáq; pectora uersat
M ercurius, ueterum repetens monimenta uirorum,

Dum

Dum linguæ precium, dum famæ affectat honorem,
Ignotum & patitur nihil, & contemnit inerteis.
Hos mores nascentum animis errantia septem
Sydera dant, sed longè alios immista uicißim.
Ingentes hinc uirtutes, ingentia rursum
Ducuntur uitia, & nusquam mortalibus unum est,
Ipse idem sibi dißimilis, iuuenisq́;, senexq́;.

Signa quoq; aduerso sibi dissidentia nisu
Dant uarias animorum arteis: nam prædita motu
Signa cito, celeres sensus, agitataq́; longè
Ingenerant studia, & penetrabile mentis acumen,
Atq; habileis ad laudem animos, ciuiliaq́; acta
Accendunt: hos cura deûm, & solertia cœli
Rimanteis rerum causas iuuat: his furor ille
Faticinus mentes agitat, panditq́; futura.
At curas animi tacitas, frontemq́; seueram,
Et pectus graue consilijs, rigidumq́;, tenaxq́;,
Iudiciumq́; immotum, & uerba sonantia uerum
Fixa dabunt, eadē argentiq́;, eadem æmula honorum
Fomenta adijciunt animis: hinc densa clientū
Agmina delectant: hinc & certamine in omni
Peruicisse uolunt, commentaq́; pectoris acri
Contendunt studio, atq; opera peragenda tenaci.
Signa bicorporeis rursum uariata figuris
Instabileis reddunt animos, sensusq́; uaganteis
Alternant: nil certum unquam uariantia corda
Insequitur nō firma quidem sententia: uerum

Quæ signa quales sensus excitēt.

Mens habilis resq; ad uarias uersatile pectus.
Hos amor, imbellesq; lyræ, somnusq;, Venusq;,
Ociáq; ignauos reddunt & Salmacis, & fons,
Quæq; tegunt nitidum frondosa umbracula fontem.

Qui Planetæ quibus signorũ dominentur triangulis.

Quinetiam Leo getulus, nepheleiáq; astra
Hæmonio cum heroë, sagittiferisq; pharetris,
Exercentq; maris animos, & mascula iura
Tutantur, gaudentq; die, ducibusq; diurnis.
Hinc lucis pater, horarũ pater, ætherius Sol,
Tarpeiæq; arcis custos, qui nubila uersat,
Ductores aciem hanc uiolenta in prælia raptant.
Illi ductorumq; animos, & prælia, & artes
Imperio assueti referunt gentemq;, uirosq;
His animis, his & studijs, his pectora curis
Instituunt. At fœmineæ Cytherea cohorti,
Quæq; soporiferis uehitur dea Cynthia bigis
Dant signum: sed nox tacitas iuuat, imperióq;
Vtuntur leuiore duces, segnisq; capeßit
Iussa phalanx, ferturq; animis muliebribus hærens.
Inde suos populis mores, animosq;, ducumq;
Præscribit leges, decretáq; munera sancit,
Hinc legio geminorũ, argiuáq; robora fratres
Ingenteis tollunt animos, ingentiáq; audent
Luce palàm: tenebras odere, atq; abdita facta.
Hos animis, hos consilijs, hos pectore, & armis
Hortantur Latij deus, atq; Atlantide cretus,
Communemq; aciem concordi fœdere curant,

Et scri-

Et scribunt sua iura urbi, plebiq;, patriq;,
Agmen agit quartũ belli deus: arma, tubæq;
Circunstant: Cytherea illi comes hæret, & alto
Quæ Cyntho dea fert rigidos uenabula in ursos.
Hæ Martem comitatæ, his agminis altera cura,
Nocturnisq; dolis in castra inimica feruntur.
Quæ nam, quæ rogo causa deos, mortalia ubi arma
Obuersans inter rapidas agis ense cateruas
Impellens, cuneosq; uirûm, ferasq; agmina equorũ,
Immanem nunc te tigrim dente, ungue cruentum
Cernere erit, rutilos fœdantem sanguine campos?
Nunc latos referentem armos, cauaq; ora leonum,
Ipsam aciem? densosq; globos, ipsa agmina ferro
Sternentem, simul ense equites, peditesq; metentem?
At cœlo diuûm ante oculos, muliebria sectans
Consilia illarum obsequijs tua munera, & arteis
Bellorum, bellorum arteis, crepitantiaq; arma
Ascribis: quantum illecebræ, quantum aurea possunt
Cypridis ora tuæ? quantum nox? illaq; noctis
Gaudia? quinetiam in tenebris, in nube maligna
Aspirans Phœbes thalamis, furtiua per umbras
Oscula, & attactus tentasti ad pectora molleis.
Hinc frater, quem nulla hominum res, nulla deorum
Prudentem latet, hæc stolido maledicta tyranno
Obiectare ausus, dictisq; adiungere pondus.
Furtis te natum, illecebrisq;, dolisq; dearum
Castra iuuent nocturna, & fœminei comitatus.

Cede die: iactantem te, & tua facta sonantem
Cristato capite, in tenebris, tibi nocte, tibi umbris
Plaudentem, spolia è thalamis sine cæde parantem
Miretur Charitum chorus, & Vulcania coniunx.
Cede polo, fucosq; genarum, ungentaq; amantis
I sequere, atq; alium syluis meditator Adonim.

IOAN. IOVIANI PONTANI,
Vraniæ, siue De stellis, ad L. Franciscum filium, liber V.


Nunc mihi quæ uirideis colles, rorantiaq; arua,
Quæ iuga gratorum nemorum, ac uiridantia ripis
Flumina, quæq; uagos colitis per deuia fonteis,
Aëriæ aspirate auræ, atq; fauete uocanti,
Tethyos æternæ clarum genus, inclyta Solis
Progenies, quas Oceani bipatentibus antris
Enisa est, decepta dolis, & Apollinis arte,
Dum Tethys miserum toties excludit amantem:
Nanq; quiescebat clauso dea nuda sub antro,
Quum deus ad posteis tacitus rimatur, & omnem
Exploratq; aditum, fraudemq; in pectore uersat
Igne calens: spectat, simul & timet ipse uideri.
Mox abit in tenueis radios, rimamq; per arctam
Ingressus, fruitur thalamo, & noua gaudia carpit.

Intumuit

Intumuit dea compressu, atq; absente marito
Cælat onus, decimo Oceanus dum sydere Calpen
Diffringit, pontum & terris immittit apertis
Victor, & extremam pergit tentare Mœotim,
Commotus fama, & generosæ uirginis annis.
Prodistisq́; utero tacitæ, & latuistis in umbra
Oceano redeunte: etenim pater ipse uideri
Vos uetuit, tenueis animas uix sensibus auctas.
Nocte quidem latitare antris, at luce uagari
Et pelago, & terris, atq; aëra currere apertum,
Solariq́; æstus hominum & mulcere laborẽ,
Longarum & uoluit curas lenire uiarum.
Ergo agite, ô mihi cultæ auræ, oceanitides auræ,
Et Tethy proles, & Apolline digna parente,
Este mihi comites, terris, pelagoq́; uaganti,
Mecum iter inceptum terite, & spirate canenti.
Vos ego Benaci ad ripam, atq; ad flumina Mantûs
Sistam audax. Hic Andiadum selecta sororum
Carmina, & aonios lætæ excipietis honores,
Quos olim memores diuûm referetis ad aures.
Ipse meleteum ad fluuium, smyrnetidaq́; undam
Populeo statuam thalamo, atq; umbrante salicto,
Hic Dryadum teneris iuuet indulgere susurris,
Cernere & erranteis per mollia prata Napæas.
Hic plectro resonantem aureo, testudine & aurea
Calliopen, caput ad uitrei, & caua cornua fontis,
Atq; amnis ueteres referentẽ carmine curas,

E t uacet audisse, & uacua repetisse sub umbra.
N anq; suo & gelidus arsit quondam igne Meletes,
P ierius dum sæpe chorus sese abluit amni,
E t mersat liquidis argentea corpora lymphis.
C oncipit hic deus ardenteis sub pectore flammas,
M œret, amat, soloq́; amens tabescit in antro.
V irginibus facies eadem atq; eadem omnibus ætas,
I dem habitus, par & uox, & uariantia cantus,
P ar amor in cunctis: unam sequiturq́;, cupitq́;.
V na tamen quæ sit, dubium, & sententia differt.
Quæ Clio fuit, est Eratò, quæq́; ante Thalia,
M elpomene est: errant flammæ, furit ardor in una.
I lla quidem incerta est, urit uagus ignis amantem.
E latebris parat insidias, ut nulla dearum
N on fuerit tentata: huic oscula rapta per amnem
A bstulit: hanc syluis fugientem aggressus in altis,
I mplicitatq́; manu ceruicem, oneratq́; lacertis,
I am iam sed duræ remorantur brachia sentes.
I llam spelunca in media, aut uiridante sub umbra,
V itantemq́; æstus, & curas uoce leuantem,
N i pastor ruat auxilio clamoribus actus,
C omprimat, & primæ potiatur flore iuuētæ.
T andem siue ea Caliope (sic fama putauit)
S iue Eratò, aut longo decepta Polymnia somno
V im passa est, tumuere uteri: ast ubi prodijt infans,
Quo factum cõmune chorus cælaret, in altum
I t properãs Helicona, Chion mox, hinc Colophonẽ,
Inde

I nde Rhodon, repetitq́; tuos pòst Smyrna recessus.
H inc ad centiforem Nili subit ostia Theben.
I ndicat Aegyptus partum. At memor ipse sororū,
E t famæ memor, & quoduis in crimine tantum est,
M usarum ne quis prolem putet, autor Apollo
E ripuit puero lucem, & caua lumina condit,
V nde oculis capto nomen permansit Homero,
E t patria incerta est, dubioq́; autore parentes.
H unc uos, ô mihi cultæ auræ, oceanitides auræ,
I mplentemq́; tubas, cuneosq́; in bella uocantem
M iratæ, Xanthū ad rapidū, aut Simoëntida ad undā,
E t sistetis iter, gelido & refouebitis amne.
I pse sedens uiridi in ripa, ac uariante sub alno,
N unc diuos, nunc heroas uocet acer in arma:
N unc deses uina & choreas, & pocula cantet,
A ut Venerem, & blandos recinat lasciuus amores,
V ulcaniq́; dolos, & cœlo cognita furta,
Q uæq́; olim longo memores repetatis in æuo,
D um placido sermone uiam, ingratosq́; labores,
E t iuuat hausisse, & gressus mollisse canendo:
F ando etenim leuat, & labor, & uia fallit euntes.
H oc nos, hoc Nate auspicium, dataq́; orsa sequamur.
C antantes iter ingredimur, comitantur & auræ.
T e uero mihi certa uiæ dux inclyta cantu
V ranie, dum longum iter, & spacia ardua circúm,
D um tantum maris, & uastæ telluris obimus,
P erq́; locos cultu uacuos, squalentiaq́; arua

E rramus(ſuperanda etenim iuga frigida Tauri,
T ranandæq; alpes, promotaq́; culmina cœlo
C aucaſia, & ſuperis iam iam calcandus Imaus,
Quà Gangem large undantem, gangeticaq́; antra
E mittens hinc, inde per horrida ſaxa rotatum
D euoluitq; Indum, collectisq́; amnibus auctum,
I n mare Patalium ſeptena per oſtia fundit)
I nterea canere inſuetum iuuet, & iuuet ipſis
D igredientem orſis, & carmina culta ſequentem,
T errasq́;, æquoraq́; mulcere, atq; aëra cantu,
E t fandi decus extremis adiungere rebus,
S ic tibi Sebethi creſcit quæ ad flumina laurus,
N on Auſtrum urentem, non ſæuos ſentiat imbres,
S ed gelidi foueant rores, ſed mitior aura,
E t paßim riguis inoleſcant lilia pratis.
I pſe quoq; ignotos referam per carmina luſus
D igrediens ſæpe, & cœptis dilabar ab ipſis,
Q uo labor, inſudatum iter, & uia iniqua leuetur.

De terris Arieti ac Marti ſubiectis.

Nam tibi terrarumq; ſitum, & cui ſubdita monſtro
Quæ regio, & ſibi quemq́; locũ quod uendicet aſtrũ,
E xpediam. Iacet extremis in partibus orbis
O ceano cincta, & pelagi reſonantibus undis,
G ens Orco ſata, gens Ditem commenta parentem
C œruleis quondam tellus habitata Britannis.
H anc contra iacet algenti Germania campo,
D iues aquis, diues nemorum uiridantibus umbris,
S æuarumq́; parens fœcunda, altrixq́; ferarum.

Martius

M artius hāc quadrupes gentē, atq; hæc littora seruat.
B ellator quadrupes, fuluis qui cornibus horrens
A d pugnam uocat, & torua ciet agmina fronte,
I nsignis uillo, sed longè insignior ausis
P ugnarum: ipse è cœlo, ipse & de limine olympi
I am quassans caput, & tereti ceruice coruscans,
I am frontem ferus excutiens, iam cornua iactans,
S ydereosq; deûm campos, rutilantiaq; arua
P rosubigens pede, & aurato sub uellere crispans.
H inc Gallos, sæuum genus, atq; immania corda,
Q uos Rhodanus secat, atq; Liger refluentibus undis.
H inc gentem indomitā, & gaudentia pectora cæde
B astarnas ciet ad pugnam, & fera suscitat arma,
A rmaq;, pilaq;, hamentataq; tela Cateias.
T um deus armipotens secum noua gaudia uersans,
I nspectatq; ferum, & pugnantia cornua laudat.
M ox hastam dextra excutiens, & uertice conum
F lammantem, ac longè iaculantem incendia cristam.
E rigit in pedibus seseq;, & concutit arma
H orrisonans. Ecce hic geminæ de uertice flammæ
S cintillant: hæ agitatæ euris per inane feruntur
I ncensæ, facibusq; auras, atq; aëra signant,
T eutonicosq; petunt saltus, uadaq; inuia Rheni,
A t circùm populi longè lateq; colentes
I gnescunt calido afflatu, & fax Martia sæuit.
S cintillis etenim alterius temerarius ardor
I ncensus furit, & truculentia fortibus ausis

E ffera: at alterius effert calefacta fauillis
I ndomitum caput, ac uiolenta ſuperbia uoce
I ntonat, & nigro rabies armata ueneno,
F œda ungues, impexa comas, & dente cruento.
Q uà greſſum mouet, & ſaltu ſe tollit Erinnys,
C rine minax, hàc erranti diſcordia paſſu,
I raq́;, ueſanusq́; furor comes additur, & lis:
I pſa quidem ardenti ſpargens incendia dextra
E uocat è latebris bellum, ac ſeſe inſtruit armis.
S ic ubi ſpinoſis in ſæpibus horridus ignem
I nijcit agricola. & flammas agit Eurus eunteis,
O mnia candenſcunt circùm loca, candet & aër
I gnibus, inſolita feruent ſola ſubdita flamma.
H ic antro excitus coluber, minitantiaq́; ora
A ttollens, oculis ignem uomit, & ruit alto
P ectore cœruleus, ſquamoſaq́; tegmina uerrens,
P uluereum ſulcat ſpiris iter: æſtuat ira,
I ngeminat calor, & rabies nigreſcit eundo.
A tq; illi collo, atq; elato pectore liuet
V irus, & erranti maculantur terga ueneno.
N unc caudam explicitans, ſinuoſaq́; tergora uertens
L abitur, & toto capite exilit, ac uolat acer
P er frondes, per ſaxa ruens: nunc pectore toto
E minet, ac tergo ſeſe exerit, & micat ore
T orua tuens, linguisq́; ferus iacit atra triſulcis
V ulnera: liueſcunt ſparſo nigra pabula felle.
E rgo incompoſito confeſtim in bella tumultu

C urrit ab arctois scopulis furialis Iberne,
E xerit è ripis Tamesis caput, exerit ingens
A lbis, & incertas uoluens Garienus arenas,
V istulaq́; & summo decurrens monte Sueuus.
E cce uident Senonum populos, lateq́; uaganteis
V angiones trahere armatas in prælia turmas,
L ugosq́; , Creonasq́;, & certo Elueonas arcu,
E t Cimbros gladio insignes, & Saxones hasta,
A c falcata truces qui raptant esseda Congi.
T um Cattas, Tagratosq́;, habileq́; ad tela Sicambrū,
Q uiq́; fremunt Cauchi præter uada nota Visurgi.
I amq́; alpes metire oculis, iugaq́; edita cœlo,
S ubiectosq́; iugis campos, glacialiaq́; arua.
A c primum nemora illa ingentibus obsita syluis.
H is Belgas ense inuictos, Morimosq́;, Batauosq́;,
A ruernosq́;, ferum genus : his Venetosq́;, Remosq́;
S ustulit in campis Cæsar belli deus, atro
S anguine quum rubuit Liger, intepuitq́; cruore
M ossa uirûm, & capiunt uix ipsa cadauera ripæ
O ceano indignante, comam & mersante sub amnem.
A st illis (manet æternum decus) interijt gens,
E t syluis prognata, & Rheno educta parente,
G ens ferro, atq; hosti primis assueta sub annis
H eluetij, Vsipetesq́;, atq; effera corda Sueui.
Q uis unum prædæ studium, ac durare sub ipsis
C orpora fluminibus, teloq́; assuescere dextram.
N on urbis, non cura domus, agri'ue colendi.

V enatu ducunt uitam, atq; è lacte liquenti,
E t quod Marte sibi spoliato ex hoste pararint.
B ella placent, fususq; hostili è corpore sanguis.
H os motus animosq;, atq; hæc certamina summo
G radiuus cœlo inspectans, crepitantiaq; arma
C onflictu pugnantum, & equis decora alta parantũ,
H astaq;, & gladio, & sparso super arua cruore,
M iratur simul ipse equites, peditesq;, ducesq;,
T antarum & molem rerum, ac conamina tanta.
M ox flammantem hastam, & calui tela horrida Iuli:
C edo, inquit, simul arma, simul mea signa nepoti:
D elapsusq; polo pugnanti, atq; ense furenti
A stat: adesse deum sentit deus: illicet hostes
V ertuntur: uolat acer equoq; insignis & ostro,
P er mediasq; acies exultat uictor Iulus
C æde madens: natat in medio Mars antè cruore.
Hos lusus tibi Nate uiæ, cœptiq; laboris
E sse uides comites, quibus & uada summa Lemanni,
N imbiferasq; alpes, quibus & fera regna Brigantũ,
R hetorum & celsas hilares penetrauimus arces.
E n Drusi monimenta, tuiq; Auguste labores,
E n fontes auro grauidi: fluit aggere ab alto
L abens, Vindelicos qui diuidit Aënus agros.
H oc effert antro Rhenus caput: euomit illo
V ndarum rapidos insano murmure fluctus
D anubius: spumosa Padum specus altera uersat:
M ons partu felix tanto, totq; amnibus auctus.

His

H is socijs dum auræ spirant, dum ridet & aër,
N ec feßis placidos negat Aonis unda liquores,
C œptum iter, ignotasq; citi pergamus ad oras.
N anq; etiam Solymorum arces, lateq; fluentem
I ordanem (loca nota deo) Syriæq; recessus
F initimos, palmæq; feracem germine Idumen,
C armeliq; apices, quin & Libanitida cedrum,
Q uæq; fluentisono cursu ferit æquora Corseus,
E t quam Chrysoroas lento subit amne paludem,
C ornu petens Aries rutilanti uellere seruat,
E t Mars ipse suo gaudens prospectat ab astro.

At Nemeæ fera tutatur Samnitida terram,
E t Latium, tetricæq; domos, atq; Itala regna,
E t diteis Vmbrorum agros, opulentaq; tecta
A emiliæ, quæq; arua secat, quasq; irrigat urbes
M incius: huic Nymphæ Andiades, lectæq; sorores
B enaci, miscent uiolas, mœstumq; hyacinthum
I ntexunt: ille incedit per prata superbus,
I nuitans faciles tatebrosa ad furta Napæas.
Q uem uel Mæonij cantus, Ascræaq; plectra,
V el Sibaritis auena, Peloriadesq; cicutæ
I nflarint, notum & choreis, & amore Melissæ.
T utatur quoq; quos labens de montibus altis
D iuidit Eridanus populos, & territat urbes
A bruptis ferus aggeribus, digressus & alueo,
S ecum agros, secum agricolas, secum obuia raptat
A rmenta: ipsarum fastigia celsa domorum,

De terris Leoni & Soli subiectis.

E uertitq; imo fundo, excussatq; sub undis
V asta fremens: uidet infelix sua pignora mater
I mmersantem amnem: uidet & deserta parentem
N ata senem inuolui rapidarum gurgite aquarum.
P ignoribus dum fera parens, dum nata parenti
A uxilium parat, hic ambas circumacta uorago
A bsorbet, cumuloq; ingenti uallat arenæ.
P arte alia spumens albenti aspergine pastor
D um pecudem pelago auertit, dumq; arcet ab amne
I nclamans, fidusq; illi comes astat aluta,
O bliquo rapitur torrente, & hiantibus undis,
S ublatus mox aëria suffigitur alno.
G rex iuxtà natat: hic fessus socia agmina aluta
C ircuit: ast illum abrumpēs magno agmine uortex
C œruleus, truncumq; trahens uorat, & uorat unà
L anigerum armentum, truncoq; inuoluit alutam,
L atrantemq; etiam, ac domino pecoriq; timentem.
T um miseræ è summis luctum Phaëthontides alnis
I ngeminant, miseræ phaëthontia turba sorores
A brumpunt lamenta: uident electra suarum
R elliquias lachrymarum, acris monimenta doloris,
A mne rapi, rapi & auulsis sua munera ripis,
A c noua dum ueteres reuocant dispendia luctus,
I psæ iterũ Phaëthonta, iterũ Phaëthonta requirũt.
F initimæ trepidant urbes, foraq; omnia circùm
D iffugiunt, errantq; greges custode relicti.
A t lachrymans, at fusa comas, ac pectora plangens,

Desperans

D esperans hominumq́; & opem Ferrariæ, & ipsos
V rgenti uix posse deos obstare tumultu,
P rædiaq́;, oppidaq́;, urbesq́; euertentibus undis,
I ndomitis undis, summum haud satis esse tonantẽ,
E xcidium pauet attonita, atq; immania fata
D iluuiem expectat: ceu quum miserabilis ales
V incta pedem laqueo, pennasq́; interlita uisco,
A ccipitrisq́; famem, truculentiq́; aucupis iram
H orrescit trepidans: tum candida turribus altis,
P urpureosq́; sinus, niueasq́; intecta papillas
A lbenti strophio, formæ sibi conscia, amorumq́;
E ridani, sese ostentat, sua lumina in amnem
D efigit stella arridens, ac flumina molli
O btutu irradiat: sentit sua gaudia, & antro
P roripiens, cinctumq́; alno caput exerit undis
E ridanus: tunc Nympha oculis iacit aurea in illum
T reis Veneres, treis illecebras, quibus excitet ignem,
E xcitumq́; sua succendens uentilet aura.
H ic uideas flammantem amnem, longeq́; agitantem
S cintillas, uomere & rapidos incendia fluctus.
I lla iterum illecebras, iterum Veneresq́;, liquoremq́;
A fflat Acidalium, quîs sæuos temperat igneis,
M ox risum spirantem auram, ambrosiæq; fluorem
L æta mouet: leni flammæ incenduntur ab aura,
P ôst liquido ambrosiæ sparsæ de rore madescunt.
H inc iuueni in medijs liquuntur pectora flammis.
V t magnes ferrum in sese uersatq́;, trahitq́;,

S ic uirgo trahit Eridanum, uersatq; tuendo.
D eq; sinu iaculata faces succendit amantem.
C orripit ipse nouam flammã, atq; ignescit in amne.
E cce ingens post terga fragor sonat, intonat aër,
D issultant ripae, & fluctus se tollit ab imo.
A gnoscit deus instantem à ceruice ruinam,
A ttonitaeq; timens dominae, atq; incensus amore
C essantem fluitare amnem iubet ocyus: ipse
A ttollit dextra elatum triplici aere tridentem,
C oncutiensq; caput properanti elabitur unda,
I nsignis curru, & terno caua tempora cornu,
P rospiciensq; undantem altè descendere nimbum,
V ellentem arbusta, & secum uacua arua trahentem,
A rmatam attollit dextram, & ferus imperat ore,
N il ultra tentandum undae, atq; absistite ripis,
P arcite agris, uimq; aggeribus cohibete sub ipsis.
H aec ait: illae spumanteis tumido aequore fluctus
I ncludunt alto alueo, & placido agmine cursum
M aturant: pontum & tacitae ingrediuntur apertum.
I pse locum celer, optatosq; reuisit amores,
E t celsa dominam laetus de rupe salutat.
L ibera sydereae plaudit Ferraria Nymphae
D ona ferens, mox & placido gratatur amanti,
H aec uos haud ingrata uiae solatia Nymphae
A ëriae, dum Flaminiae tranamus & amnes,
E t colles Piceni, & non uada tuta Truenti,
D um Praecutinas cauteis, cauaq; ostia Aterni,

Pelignumq;

P elignumq́; solum, celebrataq́; flumina Musis,
D um Marrucinos colleis, sitientiaq́; arua
G argani peragramus, & arenti Aufidon ora,
E t mecum cecinisse, & iter lenisse canendo,
A c durum iuuet accentu mollisse laborem.
S ic uobis Nymphæ æternum sit ludere, sic uos
E t gelidæ accipiant ualles, & flumina fessas.
Ipsa etiam ardenti gaudet defensa Leone
V sta siti, & latis fundens se Daunia campis,
Q uæq́; nitet pigro tellus madefacta Galeso,
E t tellus latè ingenti circundata Sile,
D iues agri, diues pecoris, longè optima nutrix
L enææ uitis, ditiq́; argentea gleba,
C larorum inuentrix studiorum, atq; æmula diuis,
M agna uiris, magna ingenijs, atq; urbibus ingens,
A c paruo distincta freto, oblatrante Charybdi
I nsula terrificis Aetnæ celebrata caminis
C yclopum domus, & cupido loca peruia Diti,
D um ferrugineo rapitur Proserpina curru,
A d manesq́; iter ingrediens noua subruit antra,
A tq; ea, quæsitam post natam ereboq́; repertam,
M onstratam & segetem mortalibus, horrea genti
C onstituit dea, quæ siculis dominatur in aruis,
D eq́; fame quoties hominum genus omne laborat,
A ntraq́;, horreaq́;, & cerealia claustra relaxat,
A c saturat lætas renouatis frugibus urbes.
H as genteis Leo syderea dum spectat ab arce,

F lorenteisq́; manus uidet, exultatq́; uidendo,
I ngentes illis animos, ingentia ad acta
S uscitat, imperijq́; animos accendit ad arma
H orrificus. Sentit tacito noua gaudia corde
D elius, admiransq́; armos, & pectora sæui
Q uadrupedis, læto fulgentia lumina uultu
F igit in Italiam, & genti gratatur, & urbi,
Q uæ quondã Euro præscripsit, Zephyroq́;, Notoq́;,
E t Boreæ imposuit leges, suaq́; intulit arma
O ceano, nunc templa deûm, & solennia curat
S acra colens, magno & ritus iam præficit orbi.
M ox terram, altricemq́; uirûm, imperijq́; parentem,
E t leges condentem, & dijs pia sacra ferentem,
C ommẽdatq́; Ioui, atq; Italûm fouet autor honores.
A nnuit his precibus diuûm pater: inde fluit sors
I mperij, magnarũ & opum, & reuerentia legum.

De terris, Sagittario & Ioui subiectis.

Phœnissas etiam gentes, Chaldæaq́; regna,
A ntiquum genus, irradiant fulgentia monstri
V ellera Phœbei. Nam quos de rupibus altis
P yrene spectat populos, quæq́; aurea findit
V nda Tagi, quæq; arua secat Sicorisq́;, uagiq́;
F ontis Anas, multoq́; trahens se gurgite Hiberus,
Q uà uasto circum pugnax Hispania ponto
A lluitur, quaq́; ora maris se Celtica Tuscæ
P orrigit in portum Lunæ, ac Tyrrhenia cultos
O stentat colleis, atq; in mare soluitur Arnus,
C larus opum, felixq́; operum, atq; insignis honorũ,

Aurea

A urea quem gemino iungit Florentia ponte.
P arte alia solem ad rapidum, Clymeneiáq; astra
L audatos Arabum campos, pinguemq; Sabæum,
E udæmon quà felicitet inclyta gleba,
(Betius hanc Zamete fluens lauit herbiger amnis,
E t qui thura Laris fœcundis miscet arenis,
S tillantem euoluens in Persica littora myrrham,
H anc ripa frondente uagus sinuantibus undis
H ormanus fœcundat, & in uada cæca Priones
S ese agitans, dum cœruleo prouectus ab alueo
I ntrat Erythræum per pascua læta profundum)
H æmonius sibi iura senex hæc uendicat: inde
I uppiter hos populos placido fouet anxius astro,
A c terram Myrrhæ matrem, stirpisq; parentem
T huriferæ, miratur opimo germine lætam,
B is ferat ut segetes anno, bis poma ministret.
At Parthos genus acre, propinquaq; Persidos arua,
E t latos Medorum agros taurina tuentur
C ornua, quáq; Asiæ littus se porrigit, & quà
C yclades insanum tundunt mare, notáq; Cypros
O stentat Paphias candenti marmore turres,
A c sedes Erycina tuas, quibus aurea quondam
F ulgebas: hinc ipsa urbes, hinc oppida, gentemq;
I nuisens, & blanda foues & amica tueris,
E t fontis memor, & nemorum, quîs sedula natum
F ormabas, docilem hamatæ se aptare pharetræ,
T endere mox arcum, & celeres tentare sagittas

De terris Tauro & Veneri subiectis.

I n uolucres prima expertum: illæ ut amabile telum
S enserunt, placida Idalium impleuere querela,
M urmuraq́; ingemuere leues. Strepit incitus ales
I n Venerem: certos iterat puer impiger ictus,
I nde feras, pecudesq́; petens grauiore sagitta.
I psa faces iaculata, nouum post uulnera uulnus
I nfligis: caluere feræ, grexq́; omnis in ignem
I ncensus furit: hic audax puer aptat in ipsos
P astores ramum, quem stirpe Athamantide uulsum
M ater Acidalio continxerat amne: ibi uulgus
P astorum, pecudesq́;, interq́; armenta, ferasq́;
I ngemuit: syluæ insolita sonuere querela.
T um Charites fudere nouos è fonte liquores,
V ulnera queis, gemitusq́;, & acuti in corde dolores
S edantur. Tunc ipsa sinum nudata, papillas
E xeris: effulsit iubar, ac de pectore eburno
A fflarunt gelidæ Zephyris felicibus auræ,
Q ueis æstus recreas iuuenum, lenisq́; dolorem.
H ic uideas amnes ad rapidum uiridante sub alno
P astores miscere nouas per prata choreas.
H ic primum cecinit teneros noua fistula amores,
I nsuetumq́; suæ carmen modulatur amicæ
V pilio: assueuere choris Dryadesq́;, Napææq́;,
E t Panes socij, & nemorum montana propago.
T um primum Nymphæ heroëm, heros heroinen
A rsit, amant heroës, amat pastoria turba.
I psa inter medios iuuenes, mediasq́; puellas
Compta

Compta canis, syluasq́; moues, & flumina sistis,
Et circùm pictæ uariant sua rostra uolucres.
Has arteis Cypros, atq; hæc incunabula nato
Prima dedit, primosq́; tibi monstrauit amores:
Nanq; in Acidalij frondoso margine fontis
Ducebas nitidum properanti pollice plectrum.
Conueniunt Nymphæ ad cantũ, properatq́; iuuentus
Pastorum, simul heroës, simul heroinæ,
Et Panes montanicolæ, quosq́; acer in ignem
Egit amor: cœptæ choreæ: uox omnis amantum
Vna fuit: mihi parce puer, mihi parce puella,
O niueo candore puer, roseo ore puella.
Ecce autem Phario ueniens de littore pastor
Commotus fama chorearum, & honore canendi,
Astitit obstupuitq́; unà: obstupuere puellæ,
Miratæ pastorem: etenim coma mollis, & illi
Qui cœlo possent superos deducere ocelli,
Queis ignem dea, queis sensus instinguis amandi
Fixa tuens: arsit Dryas, hinc arsere Napææ
Indignantem animis, & tristi corde rigentem.
Hic amor ipse duas gutta ex Amathuside tinctas
Selegitq́; arcu innitens, strinxitq́; sagittas,
Quo uictor duplici geminaret uulnera telo,
Hæ ualidis agitatæ euris, & uiribus actæ,
Confligunt simul, & celeres strinxere fauillas
Incensæ illisu rapido, & fax ignea fulsit
Aucta Noto. At tacitus intus calor urit amantes.

A ltera niligenam puerum ad præcordia fixit.
O briguere gelu uenæ: ſed flamma medullas
V rit agens: correptum adolent incendia pectus.
I gnorat tamen unde faces, unde acta ſagitta.
N unc pallor, nunc purpureus color ore recurſat,
A c multa è uario uolitant ſuſpiria corde.
A ltera detorſitq; iter, ac ueſtigia ab ictu
L æua petit, læua ſenſiſti è parte ſagittam
E rrantis mater pueri: longè ingemis: ille
R idet, & implicitus collo blanditur amanti,
A dmotusq; ſinu nudato, atq; oſcula figens,
I gnotum matri diffudit in oſſa uenenum.
C uius ubi tibi uis eſt cognita, tingis & illo
D octa faces, quîs corda afflas, menteſq; deorum,
C ogis & humanis ſuperos palleſcere curis,
I nq; bouem mugire patrem, & freta longa ſecare.
T e nati telum patria tellure relicta,
P aſtoremq; ſequi iubet, & paſtoria iuſſa,
T e Memphis dolet errantem prope flumina Nili,
T e Nilus miſeratur ad herbida prata gementem,
Q uũ tenerũ exanimata fouẽs lachrymaris Adonim,
E t Marti præfers paſtorem, & flumina cœlo.
Hos numeros celebrate auræ, oceanitides auræ,
E t Cypron cantate, & fontem Amathuſidis undæ,
V nde meos & foui æſtus, & uulnera laui,
Q uum ualles Ariadna, nemuſq; Ariadna referrent,
E t miſerata graueis iterarent littora queſtus.

Non Babylon, nõ quæ ora inter Tigrimq́; uagũq́;
Euphraten, non quæ assyrio riget ora calore,
Non Crete quondam Iouis incunabula magni,
Nec ueteres Graiorum urbes, nec achaica regna
Virginis ingenteis alas, & brachia uultu
Non læto aspiciunt, non uirginis inclyta dextra
Protegit has, non Mercurij uariabile sydus,
Ingenijq́; bonis, & linguæ laudibus ornat.
Scilicet hic patriam antiquam, dulceisq́; recessus
Cyllenen meminit, lususq́; in montibus actos,
Dum pueris puer immistus per gramen ad umbram,
Et choreas agit, & dulcem modulatur auenam,
Et primus nudæ meditatur dona palæstræ.
Sæpe illum genitrix sylua dum quærit in alta,
Hirsuta committentem agnum in prælia fronte
Inuenit, & cauta reuocantem in uerbera dextra.
Sæpe suas leui curas in cortice fagi
Testantem, & scripto signantem carmina trunco.
Quid fugis, ô formosa Dryas, qui te puer optat,
Lilia cana nouem dono dat, datq́; hyacinthos
Florenti intextos amarantho, & cypride fronde.
Hæc puer: ast olim cupidas quoq; pectoris auras,
Osculaq́; intactis seruat tibi roscida labris.
Finitimos uero Thraces, Rhodopeiaq́; arua,
Hæmũq́;, Hebrũq́; et Macedũ quõdã inclyta regna,
Illyricos etiam tractus, uagaq́; ora Timaui,
Et Gangem late undantem, & gangetida terram,

De terris Virgini & Mercurio subiectis.

De terris Capricorno, & Saturno subiectis.

Gangaridumq́; domos dites, Adamantidaq́; oram,
Quaq́; Arius stagnante uado fluit, & ruit inde
Gemmiferos uoluens latices, atq; aurea saxa,
Aegoceros imo ascendens prospectat ab orbe,
Falciferoq́; seni & populos commendat, & urbes.

De terris Geminis, Mercurio, Libræ, ac Veneri sub iectis.

Non Mariam, non longiflui lata ostia Nili,
Aut campos Aegypte tuos, aut pinguia culta
Cyrenes, non Marmaridum loca torrida ab æstu,
Hyrcaniue sinum maris, aut quos aspera saltus
Armeniæ tigris colit, & uagus ambit Araxes,
Aut Arcas puer, aut geminorum cura Laconum
Negligit, aut lætos felici uellere Seras
Deserit alma Venus, iustæ aut trutina aurea Libræ.
Hæc quos Gardamonis populos, quos & Zariaspes
Alluit, & ripis Ochus insignitus opacis,
Et quæ turrigeris insurgunt mœnia Bactris.
Hæc quos è scythicis delabens montibus Indus,
Sandabalisq́; rigant campos, casperiaq́; arua:
Indus aquis, Indus populis, auro effluus Indus,
Regnatorq́; hominum, eöi & rex maximus orbis:
Atq; alio sub sole nigrantis Oasidis oras,
Quà libyco subiecta iugo squalescit, & atris
Stagnat Muris aquis, uasta & mons surgit arena,
Atq; abit in celebrem Mareotis lympha paludem,
Quáq; uetus Thebe centum stetit inclyta portis,
Imperitans moderatur, & usta caloribus antra,
Queis paßim nudi iuuenes, nudæq́; puellæ

Optatos

Optatos agitant lusus, & pectore nudo
Complexi, socio ducunt sua gaudia nexu.
Queis & pauperies comes est, comes alma uoluptas,
Et solem odere, & tenebris lætantur opacis.
Nec Phrygio iuueni studium, aut sua cura recessit
Terrarū. Nanq; hinc gelidos regit axe propinquo
Sauromatas arcu insignes, & acinace curuo,
Et quos Oxa palus, quos & uada longa secutus
Percurrit, uarias miscens secum Oxus arenas,
Illinc Aethiopum campos, sitientiaq; arua,
Et uastos Arabum fines, immania tesqua,
Immiteisq; elephantum oras Azania regna,
Quà se barbaricum in pelagus spumante fragore
Rhaptus agit, secat & rapidi fera littora ponti,
Ac tractus secat, humano queis sanguine pasta
Gens errat nemorosa, ferunt cui pabula cædes,
Et potum cruor, expressæq; ex osse medullæ.
Parte alia rursum in pelagus se proripit ingens
Zingis, & immanes pascuntur iuxtà elephanti,
Pòst Coloa stagnante uagus fluit æquore aperto
Astapus, & socio iungit sua flumina Nilo,
Iungit & Astaboræ, & Blemiū hinc populatur are-
Illinc memnonios cursu secat improbus agros. (nas,
Hos fouet idæus puer, ut nec frigus iniquæ
Sarmatidos, nec sæua senex incendia uitet
Aethiopum extremo aspiciens Saturnus ab orbe.
Ast Tingim, Bochiq; domos, habitataq; Mauris

De terris Aquario, & Saturno subiectis.

De terris

Scorpio & Marti subiectis.

T ecta, deosq; humeris, cœlumq; Atlanta ferentem,
I nsigneisq; auro, & pomis radiantibus hortos
H esperidum, ac deserta siti Getula, leonumq;
A rua fame, Mars armipotens, & Scorpius ardens
I nspectant læti cœlo, & sua iura tuentur.
H ic Chelis, ille ense potens, queis culta Syrorum,
C appadocumq; agros, queis Commagenia rura
D efensant, moresq; uiris, & munera monstrant.

De terris Ioui subiectis ac Piscibus.

Finitimam Cilicum gentem, iugaq; edita Tauri,
E t flexus uage Cydne tuos, saltusq; malignos
P amphyliæ, & fuluas rapidi Eurymedontis arenas,
F elicesq; Hermi ripas, rutilantiaq; auro
L ittora Pactoli, & florenteis Mæonas armis,
C ura Iouis fouet, insignitaq; Piscibus astra
I rradiant: colit hos Garamas, desertaq; tellus
A ethiopum, colit exustis Nasamonius aruis,
T uspiq;, Arcagoriq;, incensaq; solibus ora,
Q uiq; tenēt uacua arua, & sole incocta Anagombri,
Q uiq; æstu sitientem agrum, uicinaq; Syrti
L ittora Fazani, desertaq; inhospita uersant.

De terris Cancro, et Lunæ subiectis.

At Cancer, noctisq; decus Latonia uirgo
L otophagum sedes tenet, & quos Bragada saltus,
I nfidusq; secat Cynips, & punica late
L ittora, quaq; uagus se tollit in æquora Triton,
E t formidatas olim Carthaginis arces,
A c latebras Masinissa tuas, cauaq; antra leonum,
A etæos etiam fines, squalentiaq; arua

Colchidos,

Colchidos, & sæuæ non hospita littora ponti,
Quasq́; oras Phasis rigat, & quas spectat ab alto
Vertice piniferis Ide circundata syluis,
Ide altrix syluarum, Ide fœcunda ferarum,
Irriguos Ide fundens de rupibus amnes,
Quos iuxta Phrygiæ per opaca umbracula Nymphæ
Aestatem prohibent, nudataq́; corpora lymphis
Præcipitant: nitet in medijs argenteus undis
Candor, & ex imo fulget uaga purpura fonte,
Et roseus color. Hic tremulæ per cœrula flammæ
Scintillant, quas illæ oculis iaculantur: ibi acer
Obseruans amor, acer ibi sua tela sagittas
Vstulat igne nouo, flammisq́; recentibus armat,
Ac noua per phrygios meditatur prælia campos
Insultans: calet omnis ager, calet Asia, & ipse
Extremo uoluens incendia fonte Caicus.
Bithynos etiam colles, iugaq́; alta Cytori,
Et freta cyaneas inter currentia cauteis
Luna tenet, summoq́; nitens in cardine Cancer,
Quæq́; olim pagasæa ratis loca legit, ubi ingens
Alcides actus furijs, uictusq́; dolore,
Immemor ipse sui, clauæq́; oblitus, & amens
Errauit: quum ripæ illum, ac resonantia saxa,
Illum amnes, illum antra procul, uallesq́; referrent
Clamantẽ, mihi reddite Hylan, totiesq́; gementem,
Tundentemq́; Hyla nemus, æquor Hyla replentem.
Has illi pœnas Cytherea irata parauit,

De furijs & dolore Herculis rapto Hyla

Quodq; apio insignire comam, quòd tempora myrtô
Abnuerat, quum læta illum ad carchesia uictor
Oenides, omnemq; unà Calidona uocasset,
Gaudentemq; apri spolijs, & uirginis actis.
Sit mihi fas Nymphæ Aonides, dum littora curro,
Quæ quondã cithara modulans pcurrerat Orpheus,
Sit fas Alcidæ luctum, puerîq; rapinam
Et canere, & longum cantu mulcere laborem,
Dum uocem ualles referunt, dumq; ipsa canentum
Murmura responsant, & ripæ, & littora, & ipse
Conscius erroris fons, & loca conscia questus.
Vestrum opus, ut fessæ reparentur carmine uires,
Assit & extremis decor, & sua gratia dictis.

De Hercule & Hyla.

Appulerat Mysorum agris magnetias Argò,
Quum tenero comitatus Hyla petit impiger alti
Alcides iuga per densum frondentia montis.
Hic septem capit erranteis per deuia ceruos,
Septem arcu, pedibus binos, & robore plantæ,
Insignes maculis, primóq; ad tempora cornu.
Hos puer attrectare manu, palmisq; fouere
Incipit, & tereti subnectit uincula collo
Exultans præda, & maculosis pelle gemellis.
Hic heros fessus cursu, per gramen ad undam
Ingenteis artus sternit, clauamq; trinodem
Suspendit trunco, & pharetræ caput aptat onustæ.
Inuitat somnos labor, & uicinia fontis,
Vmbráq; textilibus circumuariata corymbis.

Ipse

I pse autem fons perspicuis argenteus undis,
A lbescunt imo sparsi, rutilantq́; lapilli,
Quos huc, illuc subsiliens uomit unda: quiescunt
M ox illi, pictaq́; solum uariatur arena.
L ætantur uitreis errantia lumina in undis.
I n summo natat umbra: natant ramiq́;, comæq́;
F rondentes: Sol per tenueis uaga lumina rimas
I rradiat: uariant umbræ uariantibus auris.
P endula per nitidum currunt umbracula fontem,
M urmuraq́; in solis strepitant resonantia syluis,
Quæ lenis mouet aura, mouent recinentia ramis
O ra auium, & uario resonant caua guttura cantu.
A t circùm, atq; ipso crepitantis margine riui
V er halat, roseusq́; decor se fundit ad auras,
L iliáq; in uiridi spirant canentia thyrso,
E t memor ingratam mœret Narcissus ad undam.
T um uiolæ è patulis redolentia munera ramis
P rætendunt lætos flores, implexáq; serta
S pirantis rarum ueris decus: enitet inter
I llustreis paßim flores, monimentaq́; diuûm
F los rarus, flos ipse hominũ uix cognitus ulli.
H eroës norunt, & semideiq́;, deiq́;.
I uppiter hoc thalamos iubet, hoc iubet aurea cõiux
R orari genialem aulam, quum lætus uterq;
L æta agitat, sociosq́; parant coniungere somnos.
H os inter gratam Alcidæ per membra quietem
S tillarat sopor, & fessos recreauerat artus.

I pſe autem ſomno grauior, uictuſq; ſopore
H orrentemq́; animam latè de pectore anhelus
E fflabat, Nymphæ inſolito de fonte fragore
E xcitæ liquidis caput exeruere ſub undis.
V tq; uirum uidere per herbida prata iacentem,
T endentemq́; artus, mento, ſetiſq́; rigentem,
C laudentemq́; ſupercilijs caua lumina, riſum
I ngeminant, lætis interſtrepit unda cachinnis.
R idebant aliæ ſtertentem heroa, ſed hærens
I n puero, non ipſa oculos, non lumina torquet
B landa Earis, ſentitq; deæ Zephyritidis arcum
T abificum, ultriceſq; manus: ea colle propinquo
I nſidians, telum idalium, immedicabile telum
P erſtrinxit, ſublatum alte, intinctumq́; ueneno
F ontis acidalij: hoc etenim dea cypria telo
V titur in Nymphas, quoties mortalia Nymphis
O bijcit ora, hominumq́; deas pertentat amore.
I nterea catulis puer ad præſepe ligatis
L udebat, pexoſq; manu mulcebat, & herbas
S electas dabat, & miſto inter cornua flore
I ntexens, uiridi caput inſignibat acantho.
M ox, ipſo infelix puer, ipſo in margine lætos
I nfelix lauat, & uitriam depectit ad undam
R oranteis udo latice, atq; aſpergine cana.
S enſerunt catuli fontem notum: Ah puer, ah ſors
D ira deûm. Saliere feri, puerumq́; ſub undas
T raxerunt, Terq́; ipſe manu, pedibuſq; humeriſq́;

Obnitens

O bnitens clamauit herum. Ter candida Nais
O ra manu preſſans liquidum ui traxit in amnem,
A tq; amplexa ſuis pauitantem condit in antris.
F ulgentem tamen ora, oculisq́;, comaq́; decentem.
I lla quidem puero fruitur. Sed flaua Nychia,
E t nigris Eunice oculis, petulansq́;, procaxq́;,
A tq; umbræ Melis conſueta, Adranea receſſu
P icta genas, tortisq́; comis, & nuda papillas,
A c nunc multa ſuo fundens ſuſpiria corde,
T abeſcunt miſeræ inuidia, latitantq́; ſub antris.
S eptem Earis maleſana dies, ſeptem anxia nocteis
C um puero inſomneis agit, ut neq; parcat amanti,
N ec parcat rurſum ipſa ſibi, ſed perdita, & amens
D eperit illum oculis, amanti & deperit ore
P erdita, mox clauſo exanimis collabitur antro.
A ſt heros ſomno excitus pauitansq́;, dolensq́;
Q uærit Hylan, repetitq́; & Hylan, nemora auia lōgè
R eſponſant, iterantq́; & Hylan. Puer abditus antro
I pſe quidem reſponſa refert, ſed Nympha, ſed antri
O ccluſæq; fores, molesq́; immanis aquarum
A duerſans, prohibent ſuperas attingere ad auras.
L uctatur ſed uox, intusq́; offenſa reſultat,
A tq; obſcura procul, reuolutáq; bombit imago.
E rrabat miſer Alcides gemitu obuia complens.
P ræcipitem nunc ardor agit, nunc uicta dolore
G enua labant, nunc mugitus per ſaxa reſultans
I nuentum promittit Hylan, modò luſus, & expes

A rcumq́;,clauamq́;,uenenificamq́; pharetram
T urbat humi,mors amiſſo præfertur amante.
I amq́; oculi,iam uox defecerat : ecce per amnem
V iſus Hylas : uocem ingentem dedit excitus heros,
I n mediosq́; ſalit fluctus, & brachia tendit.
E xili tum uoce puer: mihi gloria in amne eſt
C hare parens, abſiſte queri: ſat terra, ſat æquor,
S atq́; tui ſocium me iam nouere labores,
S at ſit Hylan ſudaſſe tuæ ſub pondere clauæ.
I am requies mihi parta, & hymen, et numen in un-
V iue memor, noſtrosq́; animo ſeruabis amores. (da.
H ic lachrymas dedit, atque extendit ad oſcula uultus
P urpureos, uani rapuere ſed oſcula uenti.
S ectatur properantem heros : ſed cœrula coniunx
S ectantisq́; oculis nubem obijcit, & uetat antro
I ndugredi. Tales reddit de pectore uoces
A lcides: Mihi chare puer tua gloria laudi,
A tq; undis iam parta quies, & numen in amne.
I nuidiæ coniunx, & amante, & coniuge felix.
I n claua mihi nomen Hylæ, libycáq; pharetra,
P ulcher Hylas, regnabit Hylas in pectore noſtro.
S is facilis, noſtrosq́; iuues in parte labores.
D ixit, & ingentem uiridi de ceſpite collem
E rigit, attolitq́; manu: componitur ara
I n medio: lecti flores, & olentia ſerta
S parguntur, geſtati arcus grauidæq́; pharetræ
S tant ſuper, & rutilas uoluunt incendia flammas.

Ipſe

Ipse aram nouies lustrans bona uerba precatur
Cum gemitu, nouies & Hylan de more salutat:
Visus Hylas media flores quoq; sumere ab ara:
Hinc iter ad Phasim ingeminat, minuitq; dolorem
Ipsa dies, desyderio uis addita crescit,
Mensq; resurgenteis renouat sub pectore curas,
Quæ fessum excipiunt uariæ, & comitantur euntem,
Littora dũ properans legit, & caua flumina tranat,
Solantur tamen in tenebris insomnia, & umbra
Obuersans oculis, & Hylæ amplexantis imago.
Forsitan & quos quisq; deus per pectora sensus **Excusatio.**
Excitet, & quales nascenti sydera mores
Portendant, canerem, diuersáq; fata, uirorum
Quæ facies, uigor aut membris, quæ robora cuiq;,
Quod studium, quodq; ingenium, uisq; insita cordi,
Vt rerum series, & cœpti carminis ordo
Postulat, & toto paßim ferremur olympo,
Scitantes quæ uis superûm, ac fortuna locorum,
Astra deûm quid iuncta simul, quid ab orbe remoto
Dum certant, quid quum radio intueantur amico,
Promittant: qua parte fauor, quáue ira deorum
Eueniat, mors unde repens, aut tempora uitæ,
Quæq; hominum generi cœlo ducuntur ab ipso.
Verum ingens dolor, & fatum insolabile magni
Herculis, ac totum lamenta audita per orbem
Crescentem natæ luctum, immedicatáq; duro
Vulnera retractant ferro, ac noua robora sumit

C ura recens, ſemperq́; nouos dolor incutit ictus.
N on potuit famulantem heros, ſocia arma ferentem
V ictor apri, exciſorq́; hydræ, domitorq́; ferarum,
N on ualuit pueri caſum, Nymphæq́; rapinas
F erre deus. Mihi nata ſeni, mihi filia patri
E ripitur: creſcat dolor, & noua cura reſurgat.
P arcite Pierides, noſtróq; abſiſtite luctu,
V os lætos agitare choros iuuet. Ite puellæ,
I te deæ, túq; ô toto dux præuia cœlo
V ranie, proprios repetens age diua receſſus.
I pſa tibi dulcem in thalamis meditabere cantum,
F unera nos, lachrymæq́; decent. Procul eſte Napææ,
E ſte procul Dryades, cultæq́; in carmine Nymphæ,
L iquenteisq́; amneis colite, & colite ocia ſyluis.
F orſitan & te Aurora iuuet, dum Memnona luges,
E t noſtras audire, tuasq́; iterare querelas,
S ed dolor, & lamenta nigro comitentur amictu,
Q uæq́; ærumna meos non deſerit anxia queſtus.
S ed comites eſtote Auræ, atq; fauete querenti,
E t uoces geminate, & luctum intendite noſtrum,
F idæ Auræ, comites ſæui, teſteſq́; doloris.

Deploratio Luciæ filiæ.

Certe ego feliceis tedas, dulceisq́; hymenæos
N ata tibi, charosq́; parabam è ſtirpe nepotes.
F ingebamq́; & aui luſus, numeroſáq; uerba
A d cunas, cantusq́; ſenex meditabar aniles.
E n miſeræ patris tedæ? hos'ne ſenex hymenæos
A ſpicio? ſunt hæc ſolatia grata nepotum?

Nata

N ata iaces, nec blanda ſenem, nec filia patrem
A lloqueris, ſed muta ſiles, ſed lumina condis.
H oc meruit pater infelix. Age nata recluſos
E t ſuſtolle oculos, & me ſolare querentem.
O uanum deſyderium, & ſpes patris inanes.
E n tabes. Decor ille tuus quò nata receßit?
D eliciæ matris miſeræ. Tibi dona parabat,
E t luſus dignos hymenæo, & coniuge ueſtes.
P ro donis, luſuq́;, & pro lætis hymenæis,
L iquiſti luctum, & lachrymas, atq; aëra nigrum.
O rnabam tibi ſerta domi, ſyriumq́; liquorem
A d thalamos, geminæ, geminæ tua cura ſorores
F undebant: Quid pro ſertis, ſyrioq́; liquore
L iquiſti? ſine Sole dies, ſine ſydere noctes,
I nſomneis noctes: feſſo tibi uagit ab ore
F rater, & in cunis queſtus exercet amaros.
H as illi illecebras, hæc ludicra blanda relinquis,
A t patri uetus ulcus, & inſanabile uulnus
L iquiſti, æternos luctus, miſeramq́; parenti
C aniciem. O qui me patrem, qui ſorte parentem
S yrtibus in medijs ſtatuat, ſaxiſue Promethei
Q ui rapidas inſtiget aues, & uulturis ungues.
N on mihi te belli rabies, non aſpera ponti
T empeſtas, non miſſa polo flagrante ruina
E ripuit, tellúſue graui concuſſa tremore,
A ut quæ ſunt miſeris diſcrimina plurima terris.
I pſe mihi flos ætatis, ſpeciesq́;, pudorq́;,

Et grauitas generosa, oculisq́; afflata uenustas,
(Heu quòd iuncta simul dũ sunt bona plurima, certãt)
Eripuit tete. Ipsa sibi probitasq́;, decorumq́;
Iniecere manum, & fato sua iura dedere.
Quæ superi, quæ seuities? molitur ab ortu
Sol cursum, pergitq́; iter, & spatia ardua lustrans
Conficit, occiduum dum progrediatur ad orbem.
At uitæ spatium incertum, & persæpe senectus
Ingruit in medio cursu, uellitq́; iuuentæ
Languentem florem, & spoliat spe diuite ramos.
An'ne mihi ante oculos grata obuersatur imago,
Qua mihi te quondam mea Lucia, qua mihi tete
Læta oculis, blanda aspectu, pulcherrima cultu
Consueras offerre? En aspicio ora, decusq́;
Egregium formæ, & tot honestæ frontis honores?
Lætantem amplexu excipio, & patria oscula iungo.
Affaris iam blanda senem, officiosa parentem.
Excutiũt mihi iam lachrymas noua gaudia. Demẽs,
Ah demens pater, infelixq́; parensq́;, senexq́;,
Funde nouas lachrymas, nec te iam ludat imago,
Et sensus memor, & mentis spes credula uanæ.
Nil heu, nil reliquum iam Lucia. Cessit in auras
Vel somno similis, uel inani corporis umbræ,
Aut iacet in parua tantum cinis abditus urna.
Num cœlo forsanq́; recens nitet aurea sydus?
Illam cœlicolæ inspectant? illam heroinæ
Mirantur? clarum nota inter sydera lumen?

Ipsa

I psa micat noua lux cœlo decus addita, & astris?
N ata queror: reptantem auris, cœlóq; uagantem,
A stra recensentem, numerosq; & signa notantem,
H eu fallax natarum amor: heu male grata, nec ore
A ppellans, nec uoce petens patrem ipsa uocasti.
S altem ô saltem oculos ad lumina nostra reflexes.
A h diras patrum spes, & solatia dira.
N e cœlo, ne dijs pietas, an forte nec ipso
S plendescis cœlo? tenebrisq; adoperta profundis
C aligas nigricans? pereat lux, omnia noctem
I ngeminent, tenebræq; cauo dominentur olympo.
S ed iam, ô sed desiste dolor: mihi roscida flauo
E xurgens aurora nouum iubar æquore tollit.
P ræradiat caput auricomum, roseusq; per auras
I t decor, eq; genis stillat ros fusus eburnis.
N unc axem dea, nunc currus age pelle uolanteis.
F unde diem, sparge eoam dux præuia lucem.
P ande sinus, natam aspicio: Tecum aurea curru
L ucifero, & socijs tecum secat æthera bigis.
B landiturq; oculis: lachrymas quoq; læta parentis
A spectu ciet, & blando mea Lucia ab ore.
A ppellatq; patrem, summo & sua brachia curru
E xerit, inuitatq; senem: iam filia fulges
I nsuetum iubar: ardescunt iam tempora: iam iam
I n radios abeunt crines. En fulgidus ora
A ccendit splendor: micat en lux ignea circùm,
P erq; genas, totóq; nitor se fundit olympo.

E xoritur iam Sol: radijs en Lucia Solis
E xcipitur, roſeóq; ſinu complexa, nitentem
I lluſtratq; diem, & ſuper æthera fulget apertum,
A tq; nouum cœlo decus, & noua lumina terris
D iffundit, lucem inde auræ ſenſere recentem,
C larior & ſolito diffulſit ab æthere Titan.

De ſeipſo poſt obitū.

Ergo ubi poſtremum in cinerem, ſqualentiaq; oſſa
S oluerit, & longo tempus me abſumpſerit æuo,
Q uæq; leuis tumulos circum obuerſabitur umbra,
A bſcondet nox, & nube obdenſarit opaca,
F orſitan è cœlo aſpiciens, nec paſſa parentem
O bduci tenebris, nigrantia nubila latè
D ifferet, & patrium longè indignata ſepulchrum
N octe premi, & denſa manes caligine condi,
E ffundet rutilantem alto de culmine lucem,
E t totum in radios clara inflammabit olympum,
I lluſtrans monimenta patris, decora inclyta fama.
F ama ipſa aßiſtens tumulo cum ueſtibus aureis,
O re ingens, ac uoce ingens, ingentibus alis
P er populos latè ingenti mea nomina plauſu
V ulgabit, titulosq; feret per ſecula noſtros,
P laudentesq; meis reſonabunt laudibus auræ,
V iuet & extento celeber Iouianus in æuo.
N ec deerunt mutum ad cinerem qui grata locuti
O blectent manes cantu, atq; hæc pectore uerſent:
H uic pucro quantum Aonides tribuere puellæ,
C aſtalij quem fontis aquis lauere, & opaca

Tempora

Tempora cinxerunt lauru, fouere & in antris
Assuetum choreis Musarum: hinc pectore anhelo
Lustrantem Idalium nemus, & loca consita amorũ,
Et Charites docuere uiam, uoluere & amantem
Atq; faces tractare deæ, atq; Cupidinis arcus,
Mox Paphiã canere ad citharã: procul antra canenti
Assultant: resonat uirides formosa per umbras
Fannia, perq; suas strepitant suspiria myrtos,
Et percussa graueis iterant iuga frondea curas.
Post iuueni patuere adytis manifesta reclusis
Templa, quibus secreta deûm sapientia pandit,
Naturæq; arteis docet, & præcepta recludit
Viuendi: hic illa è media testudine templi
Hortaturq;, monetq; uiros, foribusq; adapertis
Admittit meritos: excludit inutile uulgus
Detestans: inde ipse animum formauit, & omnes
Explicuit uitæ mores, monstrauit & arteis
Ingenuas, totumq; audax Helicona pererrans,
Nil intentatum ingenio dimisit: inertem
Is digito increpuitq; lyram, lusitq; canendo
Ad cyathos: idem ad thalamos hymenæon amatos
Pellexit cantu, cecinitq; admota cubili
Antiniana sales notos, nec defuit illi
Rustica quæ tenerum modulata est fistula carmen.
Ingemuit simul ad tumulos, lachrymosaq; amantum
Funera, dum è solis uiolæ afflauere sepulchris.
Instruxitq; alas equitum, ac Sertoria signa

E xtulit Hesperiæ in campis, tinxitq; cruore
A rua super, tumuitq; amnis, dum gurgite mersat
A rma, uiros, phalerasq;, et corpora quadrupedantũ,
I dem ausus maris undisonos inuadere campos,
R ettulit, austeræ salsus sapor unde lacunæ,
R ettulit, unde cadant imbres, unde intonet æther,
P rodeat unde comata, cauo quóue Iris ab antro,
A usus inemotos aurarum irrumpere tractus.
M acte animo, macte ingenio, cui limina cœli
S tellatæ & patuere fores, quem cardine laxo
F ataq;, fortunasq; uirûm, ac decreta deorum
N osse fuit, superûmq; aditus intrare repostos,
R imantem, & cæcas reserantem in fata latebras.
E rgo agedũ Nymphæ Sebethides, eia age Nymphæ,
E t myrto tumulum ornate, atq; incingite lauru,
P urpureamq; adhibete rosam, atq; effundite nardũ,
C anentem dea frondentem dea iunge & oliuam,
Q uæ pacem dea concilias: hic ocia pacemq;
I taliæ peperit fessæ, uiolentaq; bella
S ustulit, immersitq; chao, atq; in ualle maligna
A bdidit, & duplici religauit uincta catena,
P roscripsitq; erebo, portisq; inclusit ahenis,
O ciaq; hesperias iußit regnare per urbes.

FINIS.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD LVCIVM Franciſcum filium Meteororum Liber.



HINC ego, quæ nubes cauſæ, quis ſpiritus auras
Sollicitet, quæ uis agitet liquida æquora ponti
Expediam, & ſalſæ doceam ſapor unde lacunæ,
Quid denſas cogat nebulas, denſumq́; relaxet
Aëra, quum læto deſcendit plurimus imbri,
Aut abit in rorem, aut crepitanti grandine tectis
Diſsilit, aut uaſto cœlum quatit omne fragore.
Vnde & præcipites liquidum per inane ferantur,
Siue faces, rutiliue angues, aut ignea lampas,
Quiq; micant'ue, cadunt'ue coruſci è nubibus ignes,
Aut cœlo quæ impulſa ruunt uulcania tela.
Seu qui per dirum miſeris mortalibus omen
Spargit ſanguineos flammato uertice crines,
Ille quidem morboſq; ferens, inopinaq; bella.
Vnde etiam tanto ſpirant cum murmure uenti
Aëra per uacuum, & pelago dominentur aperto,
Nunc altis in ſpeluncis tellure ſub ima
Incluſi, ſuperas quatiant cum mœnibus urbes.

A tq; hinc digrediens ſonteis, quæq; amne citato
F lumina diuerſis erumpunt partibus orbis,
V ndarumq; uagos latebroſo è pumice ductus,
E t quæ ſint liquidis memorabo exordia lymphis.
Tu modò quæ digreſſa polo Sebethida ad undam
D iuertens, tacitas inter facunda ſorores
V ranie, repetisq; iter, & tua ſydera narras,
P ande etiam immenſas cœli uariabilis oras,
A ëris & motus aperi dea. Sic tibi ripæ
C litunni teneras gignant per littora myrtus,
E t tua perpetuæ creſcant ad flumina lauri:
I ncipe: purpureos florum iam ſpargit honores
E n tibi Sebethos, ueniunt ad carmina cultæ
N aiades, dum fontis opes, dum flumina cantas.
(Gratum opus) inſcripto texunt tibi ſerta hyacintho.
E n properant udis fuſæ per colla capillis,
Q uæq; tibi niueis pingunt redimicula bacis
N ereides. Tibi magna Iouis ſua regna recluſit
E t ſoror, & coniunx, ſecretaq; certa profundi.
T u uero regina deûm, cui mille miniſtræ
A ëra per uacuum famulantur, cui pater æther
I ungitur, & ſocijs implet conceptibus orbem,
N e deſis, cœptisq; ueni pede diua ſecundo.
N ate uides, age nate oculis, age ſuſpice numen,
E t uenerare, uides uultu quæ triſtis honeſto,
E t lento incedit greſſu, nec lumina torquet
F ixa tuens, nec multa loqui, nec garrula curat,
Hæc

Hæc Ratio est, proles magni Iouis: huic pater uni
Nosse dedit causas rerum atq; aperire latenteis.
Hac duce nubiferas mundi penetrabimus arces.
Te colimus dea, thuricremam tibi ponimus aram.
Sparge rosam, da thura puer, linguisq́; fauete.
Vos quoq; felices tumuli, manesq́; parentis,
Quo duce Romanæ statuunt sua signa Camœnæ
Tarpeia pro rupe, canit tuba & ænea Martem,
Vos manes mihi felices & adeste uocanti.
Sic uobis uer perpetuum, uiolæq;, rosæq;,
Sic spirent & amoma, fluant Sebethides undæ.

OMNIA CONSTARE E QVATVOR elemētis, ipsaq; elementa inuicē cōuerti.

Principio genus omne hominū, genus omne ferarū,
Prognatæ & syluis uolucres, quæq; æquora ponti
Monstra colunt, quæq; herba solo florente uirescit,
Et quæ sublimis crescens subit arbor ad auras,
Quattuor è primis ducunt exordia causis.
Hinc etenim proprias sumunt animantia uitas.
Huc redeunt, quoties fragilis mors soluerit artus.
Ipsa æterna manent elementa, uicesq́; ministrant,
Dum sua iura simul cedunt, aut cessa reposcunt,
Alternosq́; agitant constanti fœdere motus,
Vertunturq́;, eademq́; aut mox diuersa resurgunt.
Hinc rerum status æternus, æternaq́; origo,
Aeternam quoniam sortem, & data fata repensant.
His parent nascentum animæ, legesq́; sequuntur,

Quas dederint elementa, suos retimentia nexus.
Ipsa autem cœli motus, ac signa tuentur,
Imperijsq; assunt stellarum, & iussa capessunt.

SOLEM ET LVNAM MAXI-
ximè imperare elementis.

Nanq; per obliquum mundi inuariabilis orbem
Quinq; agitant uarios errantia sydera cursus,
Aduersisq́; rotis subeunt duodena per astra.
Præsidet his pater ipse hominum, princepsq́; deorũ
Sol rerum sator, & numerosi temporis autor,
Qui cœlum & terras radijs, cauaq́; æquora lustrat,
Hunc iuxta comes incedit Latonia Luna,
Noctis honos, lucisq́; alienæ haud certa ministra.
Cuius & imperium latè maris æquor, & ipse
Oceanus rex undarum, ac Maurysia coniunx
Attoniti uenerantur, & undoso æquore Nereus,
Alternatq́; sequens fluctus, & temperat æstus,
Dum triuiæ instabiles seruat per tempora currus.
Hinc etiam largo turgent sata semina succo,
Hinc manat liquidus per uenas humor in artus,
Hinc fluit ac refluit per membra tenerrima sanguis,
Humidaq́; infuso lentescunt corpora rore,
Corporibus quoniam præsit Latonia nostris.
Ille & uitales spirat nascentibus auras,
Atq; agit in membris animas, & stillat in artus
Fomitis ætherij calefacta per ossa uigorem.
Deniq; Sol patrium ius, officiumq́; paternum

E xercet, peragit matris Latonia partes.
Q uæ bigis inuecta, uagoq́; per æthera lapsu
D iscursans, prensat nunc hos, nunc deserit illos,
A uxilium implorans, & opem acceptura deorum,
C orporibus quam materna pietate refundat.
H is ducibus parent elementa, hæc signa sequuntur.
I n primis aër multa caligine densus,
M ane nouis radijs, & luce rubescit eoa,
Q uum necdum orta dies, & nox sua sydera condit,
Q uum surgit iubare exorto Titonia coniunx,
M ox clarum sparsura diem Lux suscitat almum,
L ux Solis comes, & coniunx, & filia Solis,
Q ua nil mobilius, qua nil uelocius unquam,
N on leuis aligeræ mentis pernicior aura.
Q uin rapido sub Sole liquens rarescit, & ignem
C oncipit, incensumq́; ab humo rapit usq; calorem:
I pse etenim tenuis penetratu, & corpore raro,
L abentem cœlo radium sola ad ultima terræ
T raijcit: hic duro frangens umbone resultat,
E xiliensq́; cauo succendit in aëre flammam:
Q uoq́; locus cauus ipse magis, quo densior aër,
Q uo propiore deus prospectat ab æthere terras,
H oc magis ignescit flammis, & concipit æstum,
I ncandetq́; æstate, tepet sub Atlantidis ortum,
Q uo nidum in tignis peregrina reponit hirundo,

DE MARIS SALSEDINE.

Vos etiam maris undisoni fluitantia monstra,

E t Solem rapidum, & latices sentitis amaros,
Q uandoquidem obiectas urẽs Sol dum coquit undas,
E t radijs infestat agens neptunnia regna,
A ssidue dulceis epulas, tenuemq; liquorem
H aurit aquis, succosq; rapit populator amicos
G rata sequens, sensum longè indignatus amarum,
H inc salsus sapor, atq; asper fluit æquore amaror.
Q uippe etiam ut nostro fluitat de corpore sudor,
I lle quidem dulci è Bacchus, mellisq; liquore
E xclusus uenis: etenim sitis ipsa, calorq;
L enibus indulgent succis, & amara recusant.
Q uinetiam fama est captum telluris amore
O ceanum, tacitos primum occuluisse dolores.
P òst ubi concepit flammam, penitusq; medullis
A rsit, & ipsa imis hæsere incendia uenis,
O quoties primo fixit sua munera posti,
P inxit & è uario non mollia limina flore,
A c cecinit miseram lachrymosa uoce querelam,
L ongaq; per uacuas rupit suspiria rimas.
I nde ubi iam longo patientia uicta dolore est,
M ulta quoq; iratus foribus conuicia dixit,
C rudelem & dominam per uerba indigna notauit,
N unc supplex ueniam petit, & connubia poscit,
E t thalamum optatum, & socij sua gaudia lecti.
A t postquam nil dona mouent, promissaue magni
D os pelagi, atq; preces frustra cessere mariti,
N on ullæ supra spes, tum furiatus & amens

Perculit

Perculit aduersam nodoso uerbere Calpen:
Ingemuit, traxitq; grauem à radice ruinam
Mons cauus: ille imo uictor ciet æquora fundo.
Agmina densentur campis: tum rupe soluta
Irrumpit pelago, & terris insultat apertis.
At tellus tremefacta metu confugit in altos
Nube caua monteis, totoq; in uertice sistit:
Exanimem excipiunt Nymphæ, resouentq; pauentẽ.
Vt uires rediere, deosq; exciuit agresteis,
Et quæ sit dubijs nota est sententia rebus,
Continuò è medijs terræ penetralibus actam
Alloquitur Saliam, & precibus noua munera iungit.
Tum dea conuentu in medio dux ipsa repostas
Exoluit uenas, totoq; è uiscere terræ
Eruptat sale saxa super sudantia amaro.
Quicquid ubiq; asprum egeritur, fluitatq; malignus
Aequora per, sapor inficiens undasq;, deosq;.
Ipse etiam Oceanus retro dare signa coactus.
Inde manet sensu sapor aspernandus amaro.

DE SOLIS EFFE-
ctibus in terra.

Præcipue tamen in gremio telluris amatæ
Exercet sua iura deus, Latonia proles.
Semina nam rerum campis obstrusa, sub auras
Euocat, inq; nouas conuertit germina frondes,
Educit ramis tenuato codice flores,
Mox agit in crudos benceolenti cortice fructus,

Hinc sua iucundo maturat poma sapore,
Felices lætis segetes inspicat aristis,
Vestit pampineis baccheia dona racemis,
Educit sata, nata fouet, quæ fota animantum
Pabula sint, succisq; suis alimenta ministrent.
Quinetiam ipsius è uenis, terræq; cauernis
Sursum agit eductos alta ad conuexa uapores,
E quibus aut rores bibula funduntur in herba,
Aut atræ incumbunt nebulæ conuallibus imis,
Aut paßim cœlo fusæ sparguntur in agris
Cæruleæ pluuiæ, aut multo cum uerbere grando
Personat, aut canis albescunt rura pruinis,
Aut niuibus summi cinxere cacumina montes.

DVAS A SOLE EDVCI IN AErem exhalationes, humidā uidelicet & siccā.

Terra etenim duplicem exhalat saturata uaporem,
Humidus hic, crassoq; madens se corpore uix fert:
Aridus & calido suffimine prosilit alter.
Accipit hos latè in gremium circunfluus aër.
Hunc ipsum triplex regio secat: altera candet
Ignibus, horrentiq; gelu riget altera: Vtrunq;
Prima quidem æstatemq; suam, sua frigora sentit.

DE PLVVIA.

Ille igitur per inane uagum sublatus in auras
Conuertit sese insinuans, paßimq; coactus
Densatur magis, atq; magis, tum nubibus actis
Frigida per loca, sub cœli regione maligna

Id quod erat calidum, sensim effluit, & uolat alta
Sub loca, quà positis feruent incendia castris.
Ipse autem cogente gelu tabescit, & inde
Liquitur, irriguæq́; cadunt ex aëre guttæ.
Quin & frigida uis propius cohibente calore,
Colligit in sese, maioraq́; robora sumit.
Cogitur hinc sparsus paßim uapor. Inde coactus
Soluitur, & pluuij rumpunt de nubibus imbres.
Interdum rapidos amneis est cernere paßim
Diffluere, & totum in pluuias descendere cœlum:
Tantus in aërio sese globus orbe coëgit.

DE NIVE.

Ast ubi defluxit calor omnis, & omnia circùm
Horrescunt hyeme, & solem loca iniqua negabunt,
Concrescunt gelido nubes è frigore, & unà
Coguntur, motæq́; loco, atq; è pondere pressæ,
Descendunt paßim tractæ, cæsimq́; rotatæ,
Ac niuibus iuga summa tegunt, & ad ima feruntur,
Albentes, quoniam albescit concretus aquarum
Humor: at admoto quamprimum ardore liquescunt,
Stiriaq́;, glaciesq́;, solutaq́; sole pruina,
In riuos abeunt fusi de grandine rores.
Inq; niues transire imbrem, atq; inolescere tignis
Edocet, & quod zona illas quæ torrida nescit,
Frigida quod canis horret Germania campis.

DE

DE PRVINA, ET RO-
re, & manna.

At tenuis uapor ille quidem, nec uiribus auctus,
Nec dum summotos habilis contingere montes,
Ipse die excitus, gelida mox noctis in umbra
Cogitur in canas hyeme obstringente pruinas.
Idem abit in rorem liquidum sitientibus herbis
Auxilium cœlo tepido, atq; in nocte serena.
Quinetiam calabris in saltibus, ac per opacum
Labitur ingenti Crathis, quà cœrulus alueo,
Quáq; etiam syrijs syluæ conuallibus horrent,
Felices syluæ, quarum de fronde liquescunt
Diuini roris latices, quos sedula paßim
Turba legit, gratum auxilium languentibus ægris.
Illic æstate in media, sub sole furenti
Dum regnat calor, & terræ finduntur hiantes,
Tum tener ille uapor sensim sublatus ab æstu,
Versatusq; die, multoq; incoctus ab igni
Concaua per loca, & arescentibus undiq; syluis,
Ingratum ut sensit frigus sub nocte madenti,
Quum nullæ spirant auræ, & silet humidus äer,
Contrahitur paulatim, & lento humore coactus
In guttas abit, & folijs sitientibus hærens,
Lentescit, rursumq; diurno à sole recoctus
Induit & speciem ceræ mellisq; saporem,
Quodq; & apes præstant arte, ingenitoq; fauore,
Hoc medicos natura hominum producit in usus.

T u uero iuuenis tenerorum assertor amorum,
M ane tuæ qui serta paras intexere Nymphæ,
A ut Veneri ante aram lectos inspergere flores
P ratorum decus, hoc precibusq; hoc suscipe uotis,
T hreicio ut Boreas tacitus requiescat in antro.
H ic misere rorem infestat crudelis, & asper.
A t prædo & facilis, & rapta coniuge mitis.
N anq; per aërias ponti dum præterit oras
V ota ferens, uidit procul in conualle remota
P lanitiem uiridi latè florescere campo.
A dmonuit locus optatæ cum coniuge noctis.
D esilit, ac molli lachrymantem amplexus in herba,
E xplicuitq; sinus, munusq; impleuit amantis.
I lla grauis oculos ab humo uix anxia tollens
F lebat, eam insolito coniunx solatur honore.
H is ego pro lachrymis florum, gratusq;, memorq;,
N octurnos spargam rores, ea præmia sunto.
D ebeat hoc raptæ pontus memor Orithyiæ.
S ubrisit, tenerumq; genis suffudit honorem
L æta uiri dictis, & tanto munere coniunx.
I lle nouam sensit labi per pectora flammam,
O ptatos repetens somnos, molliq; quiete
L eniit accensum complexu coniugis ignem.
S cilicet & Boreas calido contrarius Austro
O ccurrit: calor hinc, rigor inde exurgit, & alter
D um tepet, ipse humili demittit ab aëre rorem.
A st alter stringit magis, ac de frigore siccat.

Exudet ne languenteis noua gutta per herbas.
Ergo frigida uis ponto dum insultat, & acreis
Conatus contrà calor obijcit, agminaq; extra
Noxq; simul, Boreasq; instigant, explicat ecce
Ipse suas calor intus opes, & uiribus auctus
In stillas tenuem uertit sub mane rigorem.

DE GRANDINE.

Grandinis hinc quæ sit paucis natura docebo.
Sæpe per æstatem cœlo incandente, sed ipso
Autumno magis, aut illo sub tempore, quo iam
Læta parat nidos prænuncia ueris hirundo,
Nunc flauam è culmis latè deturbat aristam,
Nunc lætas nemorum de culmine decutit umbras,
Nunc stragem molita etiam pastoribus, unà
Prosternit ualidos sub eodem uulnere tauros.
Ac primum ut gelido crescunt humore liquentes
Crystalli, quas pòst frigentia rupibus antra
In densum cogunt, guttisq; rigentibus anni,
Et longo durant labentia secula cursu,
Sic rigido compacta gelu per inania grando
Cogitur, & stricto concrescunt frigore guttæ,
Pondere mox tractæ frangũt se, & ad ima feruntur.
Ipsa igitur grauitate sua, ac sub mole dehiscens
Prona cadit, sæpe ingenti demissa fragore,
Quandoquidem sublime ruens, frangitq;, feritq;
Cum gemitu sese, multumq; umbone rotata,
Obtunditq; aciem, glomerataq; uerbere, tectis

Dira

D ira sonat, sæpe ipsa leuem haud procul acta sonorē
D at ueniens, etenim tacito regione propinqua
A gmine descendit. Tanto sed corpore maior,
E t facie horridior, quanto breuiore rotatu,
E t spatio propiore cadens, minus atterit alas.
V ere igitur, seu Libra pares quum diuidit horas,
T um tractu leuiore feruntur ad alta uapores
I ncensi, ac loca summa petunt, ubi frigida sese
V is cohibet, quo non radiorum offensa resultat
S æua acies: ubi pigra gelu, torpetq́;, rigetq́;
T empestas, ubi frigoribus domus alta reposta est.
H uc postquam uapor ascendit, calidusq́; madensq́;,
C ontinuò riget attactu regionis iniquæ.
Q uoq́; uapor magis incaluit, postquam ipse refrixit,
E xtinctusq́; gelu calor aut euasit in auras,
H oc magis admissum trahit in præcordia uirus.
I mber enim multo large decoctus ab igni,
C ontrahit, & citius glaciem, & mage frigora sentit.
D esilit inde uago præceps per inania lapsu
I n ualleis, quanquam iuga sæpe petit, nec aprica
I nfestet licet ipse magis loca, frigida nescit.
A n mage cū paribus calor hinc, hinc se instruit armis
F rigus, & æquali concursat uterq; uigore,
I lle suis latè in campis exultat, & hostem
I nsequitur, cogit uires, & robora frigus,
I nq; globū sparsos trahit hinc, atq; inde maniplos,
C onfirmatq́; aciem, durataq́; tergora contrà

Obiectat,quantumq́; calor ſe tollit in altum,
Hoc magis aëria præceps delabitur arce,
Duráq;,frigidáq;,crepitanti & uerbere grando.
Cogit opes natura ſuas,& robora uictrix
Ingeminat,quoties obuerſis uiribus unà
Concurrunt,impulſa ſuo contraria niſu.

OBSERVANDAS ESSE REGIONES terræ,& ſitum planetarū.

Ergo age néue anni partes,neu quæ loca terræ
Deſpiciens,uarios Lunæ ſic inſpice curſus,
Vt neq; Saturni gelidum neglexeris aſtrum,
Nec quæ ſtella cadet cœlo,quæ'ue exerat ortum.
Contemplator item terras ſub tempora brumæ
Feruere,& urentem interius cohibere calorem.
Quod putei,fonteſq; docent:nam frigora cogunt,
At aperit calor,& uenas diducit hianteis.
Aethiopum manant campis ſitientibus imbres,
Non amnes capiunt ripæ,ruit arduus æther
In nimbos,& Sole tamen Leo feruidus ardet:
An non Allobrogum gentes,Rhodaneia pubes,
Excidium attonita extimuit,cœliq; ruinam,
Tempore quo Sol ipſe humeros,ac terga Laconum
Torrebat ſitiens,ſummo & radiabat olympo?
Hic è præruptis mouet alpibus atra procella
Inuoluens hyemeſq; ſimul,tenebraſq́;,polumq́;.
Horreſcunt nimbis auræ,nubeſq; dehiſcunt
Cum tonitru,micat igniferis fulgoribus æther.

Intremit

I ntremit insolito sub uerbere concita tellus,
A c cœlum ruere, & terras subsidere certum est.
Ecce autem per inane ruens cum turbine uasto
V oluitur, horrendamq́; cadens trahit icta ruinam
I ngentis moles saxi, glacieq́;, geluq́;
C oncreta, ac bis quinq; pedes porrecta, & in altum
Quattuor, at septem protento margine lata,
T erribilis uisu, ac dirum mortalibus omen:
T antum adeò uariat rerum natura, situsq́;.

GVTTAS MAIORES
æstate fieri.

Quid grandes æstate cadunt super aëre guttæ?
A n rarus uapor, & stillæ paulò antè minutæ
M iscentur? crassus cadit hinc è nubibus imber?
A n sparsim, subitoq; graui feruore sub altum
E uectus, primum ut sensit mala frigora cœli,
A fflatusq́; gelu, nec densa nube, nec ipse
D ensus, humo propior descendit corpore maior?

AEREM RECEPTACVLVM
esse exhalationum omnium.

Nate uides spatium immensum, tractusq́; profundos
A ëris, atq; unà terras, pontumq́; obeunteis.
R ara quidem natura illi, ac penetrabilis altè,
D ensatur tamen, & crassum fouet usq; uaporem,
Q uēq; & aquæ, quēq; & terræ excreuere frequentē.
A spirant quæcunq; etenim, quæcunq; uaporant,
S ufficit hæc pontus, ponto & circundata tellus.

C uncta sinu grauido recipit diffusior aër,
V ertit & humentem in rorem, pluuiasq; , niuemq; ,
Q ui fuerit gelidas humor sublatus ad auras.

QVAE IN AERE GENERENTUR EX ASPIRATIONE IGNEA.

Halitus ille autem, largo qui percitus igni,
E uolat, ac tenuis multum loca frigida tranat,
E t longè ad sedes uictor perlabitur æstus
F umidus, incoctusq; , atq; arescente fluore.
N onnunquam tamen hunc nubes circumuenit atra
D eprensum, & strictis frigus circumsonat armis.
H ic ille inclusus uallo, & circum aggere septus,
P erquiritq; aditum intentans, & singula lustrat,
E t nunc hac aciem ostentat, nunc ingruit illac
P arte ferox, parte & factis, & uiribus impar.
A st illum densis mucronibus horrida nubes
V erberat, impellitq; premens, frustraq; parantem
S ummotas intrare domos, & ad ardua ferri
D eijcit ipsa super impacto umbone: ibi ictus
I ngentem effracto sonitum dedit aggere, multusq;
I ntonat, & cœlum tonitru quatit: inde coruscus
S ese agit in flammas, & cœlo lubricus errat.
I nterdum tantus fragor, ut concurrere monteis
I am timeas, ut terra tremat, cœlumq; dehiscat.
T um quod erat fractum discussa nube, repente
I mpulsum ruit, atq; obliquo tramite præceps
I t flamma rutilante, ingenti & uerbere summos

Aut petit incassum monteis, aut aurea diuûm
Templa ferit, dirum trepidis mortalibus omen.
Interdum leuis ipse, leuem flammamq́;, sonumq́;,
Aut sonitum sine luce dedit, sine uerbere flammam.
Interdum erumpit crepitu sine: sed tamen actus
Aduersam in nubem, ualidos hinc pertulit ictus,
Vnde tremunt nigri postes, & limina cœli.

IGNEM ANTEQVAM SONVS audiatur, uideri.

Nec uero prior excusso de uerbere flamma
Emicat, aut ipso sonitus fit tardior ictu,
Serior ad nostras quamuis eat impetus aures.
Ipse uides pastorem alto de colle securi
Sternentem quercum, cuneisq́; in frusta secantem,
Ipse quidem iactatam altè post terga securim
Antè uides, mox ingenti conuulsa fragore
Vox sonat, & ruptæ luctantur in auribus auræ.
Non aliter quum excussa polo flagrante ruina
Horrendum tonat, ipsa suo prius acta tumultu,
Concurrit nimbosa acies, frangitq́;, feritq́;,
Impellens, hinc fulmineus succenditur ignis
Collisu. Tandem ille fragor ruit, & ruit unà
In pluuiam, & largos conuersus Iuppiter imbreis.
Vulcanum fama est cœlo quum pulsus ab alto,
Sub terris sine honore diu, sine munere, claudum
Vixisse, & sicula exilium traxisse sub Aetna,
Solantem casus noto genitricis amore.

Quem tandem meritam uertit dolor acer in iram.
Quondam etiam Cybele in magna Berecynthia mater
Solenneis de more dapes, ac uina pararat,
Constiterantq́; deæ ad mensas, ac pocula Nymphæ
Vltima miscuerant, quum sic Venus aurea cœpit:
Felicem mea me soboles facit, hæc mihi diuos
Subijcit, hæc mortale genus: quam plura parantem
Occupat his Latona, decus noctisq́; dieq́;:
Quum peperi & lucem terris, & lumina cœlo
Tum peperi, toto & tenebras ex orbe fugaui,
Luceat ut per me tellus, resplendeat æthra,
Exornentq́; uagum lustrant quæ sydera mundum.
Dicentem increpuit Iuno, atq; hæc uocibus infert:
Immemor es nostri Latona, & adultera iactas
Infamem sobolem, & media inter uina superbis.
Illa refert: Tua te proles inuisa parenti
Nobilitet regina, & cœlo excussus ab alto,
Ille ille è Iunone satus, quem fumida Lemnos
Exercet fabrum, aut nigris incudibus Aetna.
Demisit Iuno uultum: mox indecor ira,
Monstrosos partus, fumantemq́; obijcis Aetnam,
Cui gener Alcides, cui filia nobilis Hebe?
Haud proles mea Vulcanus: Plutonia proles
Ille ille est, enisa cauo quem fornice tellus
Expulit è latebris, quem uix in luce receptum,
Non Erebo pater admisit, non æthere diui.
Riserunt incensam aliæ in conuicia diuam,

I ndoluit tamen una Ceres,quæq; aſtitit illi
F ida comes Lypare, Aeolidum quæ prima ſororum.
E rgo ubi Zancleos portus tenuere,& amicis
T rinacria accepit terris, Aetneiáq; antra
A dmiſere deas,ſolitum & Vulcanus ad ignem,
N acta ibi tum Lypare tempus,conuicia matris
R ettulit,& partus inimica mente negatos,
M entitamq; deæ prolem,ac Plutonia furta.
I ntumuit dictis iuuenis,ſuccenſus & ira
V ltorem minitatur,& acri in corde uolutat
M aternum uulnus,odijſq; inceſsit amaris.
I nq; dies auget uires dolor,ac memor artes
E xcutit,exploratq; iter,ac ueſtigia matris.
D um Samon, Oceani menſis digreſſa,per altum
I re parat, mouet abruptis fornacibus Aetnam
E xitium intentans: illa acri uicta dolore
I ngemit,& cœlum inſolitis conqueſtibus implet.
L eniit iratam complexu lætus amato
I uppiter,& placidam accepit per membra quietē.
T um deus ignipotens inuento fulmine,primum
I pſe ſuum miratur opus: mox limina gratus
A ccedit Iouis,& laudato munere donat.
I uppiter ob meritum Lemnon dedit: inde triſulcum
M olitus dextra fulmen,cognouit in illo
V ſus quantus erat,ſeq; hoc audentior armat:
H oc mea periuros leto dat dextera, dixit,
H oc ego terrigenas extinguam aliquando Gigantes,

Hoc etiam coniunx timeat ſacrumq́;,potensq́;.
Tum mouit caput,& frontem percußit honoram.
Fulminis hinc ingens,& mira potentia fertur.

FVLMINIS DIVERSAM VIM ESSE.

Nunc etenim afflatu tenui pecudemq́;,bouemq́;,
Aut uirides tondentem herbas,aut ilice ab arcta
Arcentem nimios animoſi ſyderis æſtus
Exanimat,nulla ut maneant ueſtigia mortis,
Optatum ut credas armenta haurire ſoporem,
Vt placidum uideas paſtorem ducere ſomnum,
Nunc uſtos artus,atq; oſſa rigentia cernas,
Non faciem,non ora hominum,non corpora noris,
Nunc ipſis etiam in ſtabulis,mirabile dictu,
Quadrupedem exoluit,pedibus quoq; ferrea demit
Vincula,& intacto terram quatit ungula cornu.
Illæſus ſonipes alta ad præſepia mandit.
Vidi ego,quum incolumi totus pede calceus arſit.
Senſerunt alij fuluum effluxiſſe metallum
E loculis : tanta eſt uis inſita fulminis auris.
Rara etenim denſis cedunt,at denſa repugnant
Ipſa obiecta ſibi,contrà & ſua prælia miſcent:
Concedit duro tenerum,& penetrabile acuto:
Dißipat afflatu ſubito leue: trudit ad imum,
Quod graue:diffringunt rigida,atq; obtuſa recludũt:
Inſinuant,tenui quæ diſploduntur ab aura.
Quim uariant etiam uires,& uulnera teli
Fulminei,ſeu marmoreis ſe in turribus altum

Impegit,

I mpegit,seu littorea desedit in alga,
A ut quæ per mediam fumant fœnilia brumam.

DE STELLIS CADENTIbus, & ignitis trabibus.

Sæpe per æstatem cœlo si forte silenti
A ut carpes iter, aut mauortia signa secutus,
T raduces uigilem per iussa silentia noctem,
C ollucere faces, cœloq́; cadentia cernes
S ydera, & incensos per sudum albescere tractus.
H alitus hic modicusq́; & cæco impulsus ab igni
I ncidit in gelidas ut primum frigoris oras,
N ec potis incretum longè exuperare rigorem,
T orquet iter fugiens nunc huc, nunc mobilis illuc,
D onec conceptam traxit per uiscera flammam.
N unc proprio incensus raptu, nunc terq́;, quaterq́;
E xagitata ferens impactæ uerbera nubis.
A st ubi summotosq́; locos, atq; aëra summum
P eruasit, quà continuus conuertitur orbis,
H ic rapido impulsus cursu, uertigine & ipsa
I ncensus, uaria splendet per inane figura.
A rida concipiunt ignem, feruetq́; agitando
S piritus: incendit pugnantia corpora motus.
S iue igitur lato amplexu, multumq́; coacta est
M ateria, atq; ingens series, & longior ordo,
S eu contrà breuis, & tenuem sortita uigorem,
Q uæ facies, quæ forma etiam, qualisq́; figura,
T alis in aërio perlucet uertice flamma,

Nunc iaculi in morem, ualidus quod torserit hostis,
Nunc quales splendent lychni laquearibus aureis,
Nunc qualis tenueis ignescit stuppa per auras,
Nunc flectit sese in spiras sinuata draconum,
Nunc micat, ut celeri fallantur lumina sensu,
Nunc cadere ut timeas ex ipso sydus olympo.
Saepe etiam torrem ambustum rutilante fauilla
Cernere erit, coelumq; cauo se scindere hiatu.
Tum quũ sub noctem obscurã, atq; in nube profunda
Nigrescit uapor, & permultum coerula fumant
Fomenta, trahit & subitam uis ignea flammam.
Illicet è medijs tenebris, fumoq; frequenti
Erumpit flamma, & coelo se fundit aperto,
Vt timeas noctem ruere, atq; fatiscere olympum.
Praesertim quum praecipiti uertigine torris
Excussus cadit, atq; cadens nigrum aëra findit.
Flamma etenim quum coeruleo se miscuit, & quum
Lux atro insinuat, penetratq; immissa profundo,
Tum nubes patet, & lato se soluit hiatu,
Luminaq; ipsa imum subeunt admissa recessum.
Ac patefacta cauo pandunt sese abdita tractu.

TREIS ESSE AERIS REGIONES.

Et quoniam treis in partes distinguitur aër,
Prima aequè patiens est frigoris, atq; caloris,
Alternasq; uices alterna sorte rependit.
Vere tepens, aestate calens, eadem horrida bruma
Proxima ab inflexu radiorum amota, malignum

F rigus, & algentem latè complexa rigorem,
I n quam cœruleus paßim uapor actus inerrat,
V nde cadunt imbres, unde & nix concitat alas.
V ltima torrenti semper sitit usta calore,
F lammarum consueta uagos inuoluere tortus.
H alitus ille igitur longè ualidusq;, potensq;
H uc penetrat, superatq; hyemes, & frigora uictor.

DE LAMPADIBVS, ET ALIIS *ignitis figuris.*

Ergo aut est partes æquè diffusus in ipsas,
E t lato arescens incendia suscipit orbe,
L ampadis in faciem, quæ plurima nocte refulget
A nte deos, aut in latus inclinante figura
C ontrahitur, magis hinc, inde altera prominet ala,
V t crassum aut credas lapidem, aut ignescere truncũ:
I pse quidem dextra pellem trahis: illa trahentem
I am sequitur protenta manu, sed parte sinistra
S ubtrahitur, quodq; hac accedit, demitur illac.
H inc titubant duplices sub iniquo pondere lances,
A ut sparsim fusus, rapidoq; abreptus ab igni
S cintillantem animam uomere, atq; efflare uidetur:
V t quando in stipulis furtim uagus incidit ignis,
H uc illuc dispersa uolant incendia, nec se
M iscet flamma, salitq; leueis per feruida culmos.
S ed neq; tam tenuis terrarum est halitus, ut non
E t densas habeat fumoso in corpore parteis,
Quæ sursum raptæ, totoq; uolumine mistæ

Densantur, leue in aërium se tollit acumen
Consurgens: grauiora suo sese ordine ad imum
Detrudunt, donec cunei sub imagine flammam
Concipit, & rutilus micat inter sydera conus.
Tunc aliquis limosa agitans ad flumina Nili
Piscator, dum nocte oculos ad sydera tollit,
Obstupuit, doluitq; simul super astra referri
Pyramidas, ueterumq; rapi monumenta uirorum,
Aegyptumq; suis superos spoliare trophæis.
Interdum longam erectus consurgit in hastam
Parte leuis, parte obducta caligine densus.
Non tamen ut maiora trahat uestigia cauda.
Hoc quondam telo Tityon per uiscera adacto
Strauit humi, stratumq; nouem per iugera uictor
Extendit, thalamos ultus, tentataq; matris
Fulcra, nec indignos statuens Mars ferre dolores.
Laudarunt facinus superi, atq; hinc ipse superbus
Spicula non ponit manibus, non deserit hastam.
Aëris hæc partim media regione feruntur
Ipsa suis incensa opibus, dum uulnere crudo
Certatim exercent uires, & prælia miscent:
Aestiferis partim in campis, regione suprema,
Quà cœli uertigo agitans rapit, unde coruscat
Tractim flamma rubens, atq; ignea fulget imago.

DE COLORIBVS NVBIVM.

Nubibus est etiam color & suus: hoc age ut omnē
Aëra percipias, ut uentos deniq; noscas.

A lba parum denſa eſt,raroq́; immiſta uapore,
Q uam Sol irrumpit radijs,& ad intima tranat.
N igra grauem traxit denſa caligine fumum,
N on illam ut penetrent Nemeæi lumina Phœbi.
P uniceam multus ſubijt calor: occupat humor
C æruleam,grauidamq́; imbri,longeq́; madentem.
H as collidenteis ſequitur fragor,& ſimul ingens
P orta tonat cœli,rumpitq́; ad tartara clamor.
E quibus ut ſeſe emiſit uiolentior ignis,
F ulgurat,& denſas rutilus diſcriminat auras,
N onnunquam ut longum nubes diducat hiatum,
A c nigri pateant prorſus penetralia nimbi.
N onnunquam leuis ipſe leuem ſine uulnere nubem
E uadit,tamen & ſplendet quà ſemita monſtrat,
A c micat,ut celeri fallantur lumina ſenſu.
F lamma rubeſcenti multum ſaturata colore
A dmonet admiſtas fluuiali è corpore uires,
H umidaq́; ingentem præbere alimenta uigorem,
Q uod probat exiliens lignis uiridantibus ardor.
A lbeſcens tenuem ſuccum,atq; arentia monſtrat
F omenta,& celerem peracuti luminis auram.
A t cui ſanguineus color inſidet,& nigrantem
P ræ ſe fert latè obſcura ſub luce cruorem.
H æc ualidas terræ uires,durataq́; iactat
R obora,& immanem uaſta cum mole ruinam,
F ulminis hinc uarians,& tanta potentia fertur.

VNDE FVLMINVM VA-
rietas, ac uis.

Nanq; ubi nube caua, tenuisq;, & plurimus altè
T ruditur, incensis & se fert spiritus alis:
I lle quidem leuitate sua penetratq;, ruitq;
L ubricus, & tenuis multum loca peruia tranat,
V t nulla incensæ linquat uestigia flammæ.
N ec mora sit telo tenui, ac penetrantibus auris.
A era fluent tamen afflatu, ac uia uulneris atro
L iuescet fumo, & piceum dabit usta nigrorem,
A eratis quoties clypeis impegit, & ipse
M ole piger lentis it tardior impetus alis,
D uraq; pugnaces obiectant robora conti.
C ernere erit flagrantē iterū Hucalegonta, & opimis
C um spolijs templa excisis auulsa columnis,
A c surere attonitas incendia sæua per urbes.
T anta mole ruit, tantaq; impulsa ruina
F umida uis, procul acta polo, atq; è nube profunda,
S i quando extrusus, multoq; accensus ab æstu
S piritus, it tonitru horrificans, atq; igne coruscus,
T ractu ingēs, tardusq; gradu, & longè auctus eūdo
S cinditq; uritq;, & longo secat aëra hiatu.
T um montes quatit impellens, discindit & arces,
E t correpta micant diris naualia flammis.
P ræcedit longè uulnus tremor, usqueadeo uis
I mpellens furit, atq; intendit spiritus auras,
E t latè arentes coëunt ad uulnera fumi,

VI

Vt quum irata manus tormento exclusit aheno
Fumantem pilam, uersatq; uolubile saxum.
Inclusi erumpunt ignes nigrantibus auris.
Fit tremor, horrendumq; sonat: tum plurimus antè
Sternit iter fragor, & gemitu saxa icta resultant,
Disiectæq; ruunt prostratis mœnibus arces.

DE VENTIS.

Ventorum nunc te causas patriamq; docebo.
Quæq; illis natura & quæ sit cuiq; potestas.
Aridus ille autem, atq; ima tellure remissus
Hos generat, uiresq; animis, roburq; ministrat.
Sol pater educit, mater dedit ubera tellus.
A summo Boreas. Notus imo spirat olympo,
Occasum insedit Zephyrus, uenit Eurus ab ortu.
Hos circum uarij dextra læuaq; feruntur,
Atq; agitant tenues diuersis flatibus auras.
Et quoniam medium lustrans Sol circuit orbem,
Per duodena uago digressus signa meatu,
Idcirco quicquid gremio telluris in altum
Eduxit, partim algentem festinat in Arcton,
Partim ad decliuem Libyæ diuertitur oram,
Dum radios ac sæua timens incendia uitat.
An ñ dextra, læuaq; ferens se impune uagatur
Fumida uis, quando hinc Libycos, ast inde recessus
Arctoos semel in toto Sol ambiat anno?
Vnde sibi uis ipsa & opes, & robora firmet?
Quum tamen aßiduus media regione recurset

E oum,hesperiumq́; petens Sol annuus orbem,
V rat & accensos quos ipse per aëra fumos
T raxerat? inde frequens nunc hinc,nũc effurit illinc,
F rigidus aut Aquilo, aut nimbis uiolentior Auster,
A uster solstitio ueniens,regnisq́; perustis.
V nde calet magis, & pennis madidantibus usus
I nuergit largos agris sitientibus imbres.
Quin imo quoq; digrediens,& fessus,& in se
S æpe repercussus grauiores concipit æstus.
A t Boreæ patriam horrentem frigusq́;,rigorq́;
I nsedere, hinc terra gelu concreta uaporat
T enuius, horrescitq́; aër: uolat inde serenus
S piritus,& siccis uestigia commouet alis.
A n quia summa tenens cœli loca,multus & ingens
I nde ruit,pellitq́; auras,& nubila differt,
N ulla ut Hyperboreo maneant uestigia tractu.
S ed tamen & longo uectus trans æquora cursu,
I rrorat caput,& madidus ceruice fluenti,
F undit aquas, seruatq́; olim quæ fœdera sanxit.
Nanq; olim prouectũ Austrum trans littora Rheni
O ceani fama, & toties refluentibus undis,
E xcipit incautum Boreas,& uincula nectit.
I lle ut se captum agnouit, sensitq́; catenas,
N on ego te Siculóue mari,nec finibus Aphri
L ittoris arcuerim: liceat nam te quoq; nostram
V isere Cyrenen, Libycosq́; intrare recessus,
A c nostro terram arentem satiare liquore.

Hinc

Hinc quoq; securus per regna aliena recursat,
Et madidus pennis sitienteis irrigat Aphros.
Hoc quoq; frigidior, quòd per decliuia labens
Obijcibus nullis cursus agit ipse secundos.
Vere etiam regnare uolunt, quo tempore primum
Optatæ crescunt luces, & lubricus annus
Conuertit terga, atq; hyemem post egit iniquam.
Tum liquefacta mouens terrarum claustra, caminos
Sol aperit laxos, uoluitq́; per aëra fumum.
Hic somno excitus, commotisq́; impiger alis,
Linquit Hyperboreos decliui tramite montes.
Quin ubi Sol propior maiora incendia mouit,
Flagranteisq́; impegit equos per uiscera Cancri,
Quum nebulosa cauis fumat Germania campis,
Ac multus uapor ad superas sese extulit auras,
Quemq́; frigida uis Boreæ comes addita cogit,
Illa etiam de parte graueis incumbere nimbos
Cernere erit, fusisq́; augescere nubibus amnes,
Inmedijsq́; natare etiam feruoribus agros.
Hoc etiam è cœlo, ac semper radiantibus Arctis,
Et gelidæ incumbunt auræ, ac uehementior urget
Ventorum uis, finitimis regionibus acta.

VENTOS QVOSDAM PROuinciales esse.

Omnis in aduersos uentus non peruenit axes,
Et quidam certo sedem posuere recessu.
Circion Hispanas fama est regnare per urbes,

Et pecori strages meditantem, & prælia nautis,
Non alpes hunc Aëniæ, non frigida norunt
Pangæa, aut nimbis nunquam non turbidus Hæmus,
Vix fessum Entellæ excipiunt, cauaq́; ostia Macræ.
Sentit uicinum solem Nabatheius Eurus,
Arenteisq́; impellit equos comitante calore.
Diuersum Zephyri spirant Aquilone propinquo,
Et Solem fessum excipiunt, altoq́; cadentem.
Frigidus hinc, pluuiusq́; uigor. Sed turbidus Auster
Ipse agit undanteis nimborum in prælia turmas,
Dux ipse pluuiarum, & longè maximus autor.
Eductos nanq; immensum regione perusta,
Densorum fluctus longinqua ab sede uaporum
Inuoluit, raptatq́; agitans, qui deinde soluti
Fundunt præcipites abruptis nubibus imbres,
Diluuioq́; unà absorbent pecudesq́;, uirosq́;.
Tantum Auster discussa furens per nubila sæuit.

CVR VENTI OBLI-
qui ferantur.

Cur autem; quando huc toties discurset, & illuc
Spiritus hic, uarios agitans sine lege tumultus,
Cur non & superas pennis petit improbus arces?
Omnis in aërias quicunq; elabitur oras
Halitus, immisto paulatim educitur igni.
Qui postquam gelidam summo capite attigit arcem,
Sensit & aduersi contraria frigoris arma,
Illicet ipse pedem retro fert, pondere & ipso,
Quòd

Q uod multum traxit grauida de matre uolutus,
A d matrem trahitur. Ecce hic nouus aduenit ignis
A uxilio: retinet labentem: ille arma resumit
F ortior ad pugnam simul huc perlatus, & illuc.
D umq́; cadit, resilitq́;, leuis tum pellitur aër,
E t quo maiores à frigore pertulit ictus,
M aioremq́; trahit fœcunda è matre uigorem
H alitus, hoc maiore ruens ferit aëra pulsu.
V t quum mœoniæ in campis uada ad alta Mæandri
P astor agens, baculo stagnantem percutit undam,
I lla fugit circùm, & grauidum dat pulsa sonorem,
I mpellitq́; undam illabens noua protinus unda.
E rgo paulatim augescens, fit maior eundo
I mpetus, & uires, grauioraq́; robora sumit.
V t quum de tenui primum fonte effluit humor,
I t riuus: pòst collectis procul imbribus amnem
I ngentem raptat ripis, longumq́; profectus,
T um plenus rapidis in pontum immittitur undis.
A utumno sedenim uento uis plurima largum
Q uum spirant terræ, quum plenior halitus exit,
T erreniq́; magis suffundunt aëra fumi.
H oc iterumq́;, iterumq́;, etiam, multumq́; monebo.
I ncendunt nimij leuiter fumantia soles,
I ncensa exurunt latè, præsertim ubi altos
P hœbus agit currus, fuluoq́; è sydere lustrat
E xiguis habitata locis Masilia regna.
I dcirco latera ad mundi, atq; extrema uiarum

T erreſtris caligo habitat, quo languida Solis
V ix penetrat uis, & radijs minus urit acutis.
I pſa etiam partim leuis aſpiratio, ut altè
F umida: partim etiam grauis, ut tellure remiſſa,
A tq; illinc facile admittit reſoluta calorem,
H inc percuſſa gelu riget, ac denſata graueſcit.
I nde etiam tranſuerſa ruit: nam frigore abacta
N e ſurſum penetret, miſtoq́; calore retenta,
N e cadat in præceps, tranſuerſum impellat oportet
A ëra, ſiue quòd extremis in finibus orbis
R egna tenens, caſtris illinc ſe fundit apertis
V iſura & medias mundi penetrabilis oras.
N am neq; puluercam in pluuiam deſcendere par eſt.
N ec tamen abnuerim lunamq́;, errantiaq́; aſtra,
Q uæ medium aßiduis peragrant diſcurſibus orbem,
I n medium quoq; ab extremis caliginis auras
A ttrahere, in uariasq́; orbis depellere parteis.
E rgo & quum arenteis rapidus Sol uſſerit agros,
E t quum uicta gelu queritur mala frigora tellus,
T um tibi tranquillæ permittant ocia luces,
G rataq́; ſedatæ præſtabunt ſomnia noctes,
P acatisq́; ingens requieſcet flatibus aër.
N ec non poſt largos imbreis, pluuiamq́; madentem
C ompoſitæ ceſſant auræ, tacitusq́; quieſcit
S piritus, & nulli ueniunt in prælia uenti.
H oc quoq; poſt Boream algentẽ, atq; rigentia flabra
C ernere erit, quoties crudo ſub frigore tellus

Concreuit,

C oncreuit,simul & durato tergore sæuit.
S piramenta soli claudit rigor, obstruit omnem
V is aditum: nullus spirat uapor,aut fluit extra
H alitus,unde nouis ueniant alimenta procellis.
S i tamen expectes nouus ut calor, & noua flamma
T orreat humenteis latices,& forte per altum
I re paras,uideas turbantibus aëra uentis
M agna mole graues urgeri ad littora fluctus.
A lternis dat enim tellus,adimitq́; alimenta.

DE TVRBINE.

Turbineus fortasse glomus miraberis unde
E ruat euulsam summis radicibus ornum,
N unc frangens monte aduerso,nunc nubibus actam
A gglomeratq́;,agitatq́; frequens: tandem illa ruina
P rona cadit,longo plangens sola senta sonore.
I nterea densa obscurus caligine fertur
P erq́; uias,perq́; arua simul sternitq́;,feritq́;
P uluereus globus,inuoluens cœlumq́;,diemq́;.
N anq; per aduersum dum concursantia uenti
A rma mouent animisq́; pares, & uiribus,ecce
C ertamen magnum exoritur: ille impiger instat,
H ic clypeo obnitens longè aduersatur: utrinq;
I mpetus,utrinq; & robur: nunc pellitur ille,
H ic pellit:nunc sors uariat mutata, nec ullus
S tat'ue loco,cedit'ue loco: nunc ille sinistra,
H ic dextra incursat feriens, & in orbe gerit rem:
N unc ictus clypeo exiliens petit aëra,nunc se

Intorquens, terram ingenti diuellit hiatu,
Dum uel uterq; cadat moriens, uel ceſſerit alter,
Aut iungant ſocias concordi fœdere uires.

DE PROCELLA.

Quin & fumida uis, tellure excluſa, leuemq́;
Aëra per ſublata, ſuoq; euecta calore
Conflictata diu propter terraſq́;, ſolumq́;,
Aridaq; & multo firmans ſeſe aucta uigore,
Vexatq́;, infringitq́; agitans pulſum aëra, & unà
Aequoraq́;, & fracto diſploſa tonitrua cœlo
Diſijcit, infremitatq́; æquor, cauáq; antra reſultant.
Torquentur nemora, & ualles ad ſydera clamant,
Puluereuſq; diem tegit intra nubila nimbus.

CIRCA VENTORVM OBSERuationem, anni quoq; tempora obſeruanda eſſe.

Tempora quinetiam certa ratione tenenda,
Vt quum ſe in præceps aut uer agit, aduenit æſtas,
Aut quum declinat rapidus ſol, appetit æger
Ventorum pater autumnus. Seu frigida bruma
Autumnum fugat, aut uere aduentante fugatur.
Turbat enim, uerſatq; omnis mutantia rerum.
Idcirco ſi tum nimboſi aut ſyderis ortum
Videris, aut properare cauo procul æquore mergi
Infelix aſtrum, atq; acri Lunam hoſte teneri,
Mercurijq; graues ſydus portendere uentos,
Ne dubita ingentem cœlo uariante procellam

Affore,

Affore, quæ simul inuoluat terrasq́; fretumq́;,
Vertat & audaces in uota miserrima nautas.

DE AVRIS.

Sæpe etiam rapidum ad solem, mediosq́; per æstus
Colle uel aërio, aut udi prope littoris oram,
Aut propter liquidas nebulosi fluminis undas,
Aestatē indomitā increpitans, Zephyrosq́; silenteis
Aurarum gelidas sensi properare coborteis,
Solis anhelantes pellunt quas axe quadrigæ.
Ipse iter intenduntq́; fuga, truduntq́; repulsum
Aëra, qui tenues motu fouet incitus auras,
Adiuuat & mare commotum, fluuijq́; recessus,
Hinc mulcent teneræ summotis æstibus auræ.
Nanq; etiam umbrosa in scena quum incanduit aër,
Oraq́; saltantes tergunt sudantia Nymphæ,
Frondentem si quis ramum, ramaliáue arma
Ventilet, aut tenui dimouerit aëra penna,
Quamprimum Zephyri frigentem exciuerit auram.
Circum etenim qui nostra frequens se calfacit ora
Spiritus, impulsu facili fugit: aduenit aër
Inde nouus. Mora nulla, alter succedit, & alter.
Vt nequeant circum ora nouæ recalescere partes,
Quum fugiant subitis excitæ impulsibus auræ.
Nec uero uallesq́; cauæ, recubantiaq́; antra
A cœlo uariante situs terraq́;, mariq́;
Non multum adijciunt uentis, densant'ue, acuūt'ue.
Inde salutiferis spirant afflatibus illi,

Hi grauibus tentant morbis languentia membra.
Nam uenti mutant, quoties mutantur, & unà
Corpora cuncta, habitu perſtat natura nec uno.

DE VENTO, QVI ORITVR
prope Aternum fluuium.

Flat ſaltus poſt Pelignos, quà uoluitur ingens
Aternus de ualle caua, atq; humentibus antris.
Ipſa quidem ſub mane nouum cita Solis ab ortu
Aura recens, qua culta nitent, qua poma fouentur
Ramis læta ſuis, largo & ſata ſemine turgent,
Hæc eadem rapidum ad Solem, mediosq; per æſtus
Nec longo ſpatio prouecta, aut uiribus auctis
Vaneſcit primo moriens, & ſoluitur æuo.
Vſqueadeò uariant uenti, uisq; inſita uentis.

DE VENTO PECV-
liari Illyrico.

Illyricis ſpecus eſt ingens in finibus, antrum
Ventorum immane, unde iræ, immitesq; procellæ
Erumpunt, quoties terris fera ſæuit Erinnys,
Immittitq; hyemes pelago, & ſe proripit umbris.
Non tutæ ſtabulis pecudes, non oppida muris,
Non ipſo in portu claſſes: fremit Adria, & atros
Horreſcit trepida Garganus ab arce tumultus.
Non illo quicquam uento crudelius, ut ſe
Excußitq; antro, & portis ruit acer apertis,
Paſtores cohibete ignem, et procul abdite flammas.

DE TERRAEMOTV.

Quæ uentos moueant cauſæ, quis & halitus auras,
H actenus ô mihi chare puer: nunc unde tumultus,
E t tanti ueniant terrarum in prælia motus,
V nde uagi excutiant diuulſa cacumina montes,
F lumina cōuertant curſum, aut premat alta uorago,
V nde tremat tellus, quamprimum (aduerte) docebo.
P rincipio ingenti latè circundata ponto
T ellus, fumificis incendia paſcit in antris.
I nde tepent bruma fontes, cerealiaq; arua
S pargit ſæpe nouis, quas euomit Aetna, fauillis.
H æc eadem ſub ſpeluncis tenuem aëra claudit.
I nde ſonant ſæpe occultis mugitibus antra.
A rida quanquam etiam, ac uenis ſitientibus, amnes
E mittit tamen, & dulci rigat arua fluore.
E t quamuis largum cœlo ruat agmen aquarum,
E xcipit in ſeſe, ac rurſus madefacta remittit.
H inc ergo humenteis animas, fluidumq; uaporem
S pirat agens, calido aut rurſum ſecat aëra fumo.
N unc halat ſiccum, & craſſo de pectore flamen,
A ut tenui uolucrem ſuffitu exuſcitat auram.
H inc ille & motu faciliſq;, & uiribus acer
S piritus, atq; imas habilis penetrare cauernas,
E t rurſum uiolentus, atroxq; erumpere, clauſtriſq;
I ncluſus fremit, & multus uacua atria uerſat.
I dem etiam in flammas abit, & furit igneus, atros
I ntorquens lapides tormento excluſus aheno.

E uocat hæc genitor rerum Sol: excipit aër.
I pſa parens tellus large indefeſſa miniſtrat.
Q uæ tamen è nimijs nunc inde caloribus uſta,
H inc nunc uicta gelu, & multa durata pruina,
C ontraxit dubios languenti corpore morbos,
V t neq; ſit ſuperante anima ſpirare poteſtas.
E rgo incerta ferens raptim ueſtigia anhelus
S piritus incurſat nunc huc, nunc percitus illuc,
E xploratq; aditum inſiſtens, & ſingula tentat,
S i quà forte queat uictis erumpere clauſtris.
I nterea tremit ingentem factura ruinam
T erra ſuis quatiens latas cum mœnibus urbes,
D iſsiliunt auulſa iugis immania ſaxa,
P rocumbunt turres, ſternuntur funditus arces,
M agnorumq; cadunt templa impolluta deorum,
E xcidium ut magni iam iam timeatur olympi.
H oc etiam ut magna è paruis cognoſcere poſsis,
C ernere erit, noſtro quoties in pectore ſiſtit
S piritus, ac tenuem neq; dat, neq; ſuſcipit auram.
T um uelut intercepta anima tremor occupat artus.
P ugna intus: micat extremis in partibus horror.
E rgo ubi collectis immenſum ſe uiribus auræ
C rebreſcunt, uia fit, ruptisq; meatibus efflant,
A ntra ſonant, mugitq; ſolum, uallesq; reſultant.
T urbatos putei eruptant ſuper oſtia fontes.
V aneſcit paulatim æger dolor, antra quieſcunt.
Q uiq; uigor fuit antè, refert ſe in uiſcera terræ.

Atq;

Atq; alacres redeunt desueta ad munera uenti.
Saepe igitur quum iam multis maduere diebus
Arua, natant plenis demersa noualia foßis,
Nec pelagus capit auulsis minitantia ripis
Flumina, tum sua castra mouens sublimis ab Arcto
Nubila de toto Boreas discußit olympo
Frigidus, & socijs commisit prælia cauris.
Hic tellus primum aßiduis grauis imbribus, & iam
Obstrusis uenis ualidarum pondere aquarum,
Pòst Borea perflante solo concreta, & iniquis
Obsita frigoribus sese contraxit, & horrens
Horrentem latè duxit per membra rigorem.
Vnde nequit clausis efflare canalibus auram.
Vt quondam infelix ualido Campania motu
Oppreßit miseras ipsis cum ciuibus urbes.
Quum uatem fessæ uix eripuere Camoenæ,
Labenti è thalamo, ac tecti minitante ruina.
Interdum uacuis tellus malè nisa cauernis,
Finitimisq; agitata fretis propter maris æstum
Concutitur uentis pugnantibus: effurit intus
Vis ingens: extra prohibet uentusq;, fretumq;.
Quod sæpe euboico testantur littore Cumæ,
Et quondam uexata graui Pelopeia motu.
Praeterea sæpe occultis fornacibus ignis
Aestuat, inuoluitq; globos, si quà potis extra
Rumpere, & imposito luctans sub pondere sæuit
Improbus, attollitq; elato uertice colles.

At postquam superas uictor peruasit ad oras
Spiritus, immistus fumo, & caligine densa,
Pulueream spargit tremefacta per oppida nubem,
Immundum & cinerem iactat uicina per arua.
Aeoliam fama est Lyparen de rupe propinqua
Hoc sensisse malum, & lucem doluisse negatam,
Aenariam quoq; (certa manent uestigia) ut olim
Idem agit in cineres glomeratus puluis ad auras.
Puluereũ queritur spargi Prochyte ardua nimbũ,
Illa solo fumante, graui concussa ruina,
Spargit desertos incendia lata per agros.
Pertimuit mare flammigeros deuoluier amnes,
Incensum & latè scopulos super aëra ferri.
Aestati, atq; hyemi male creditur: & tamen udo
Vere magis, seu quum pedibus fluit uua sub unctis,
Tum sæuit furor, & bello sese arduus armat.
Quinetiam ut natura soli, tractusq; locorum est,
Flumina nunc iter intorquent, nunc alta uorago
Sorbet hians, nunc sicca fuit quæ terra, paludem
Hausta facit: quæ cœruleo circunflua ponto,
Continet: insiluit pelago, quæ iuncta manebat.
Nunc nutare urbes, nunc & fluitare uidemus
Vndarum in morem: dubio nunc uerbere subter
Quassari, aut sursum sublato pondere ferri:
Horrendos nunc clamores ad sydera tolli.
Nunc mugire solum, aut animas Acheronte remissas
Auribus instrepere, aut equitem resonare sub armis.
Sibilat

S ibilat ecce alibi,aut antro fremit aura recluſo.
V idimus antiquas ueteris Dicearchidos arces
A ßiduam longo motu traxiſſe ruinam.
B is meſſor legit ſpicas, bis uinitor uuas.
I nterea ualidi quatiebant mœnia uenti,
F unditus atq; imo uerſabant tartara auerno.
A rebant ſitiente ſolo ſata,nec temere ullæ
M anabant cœlo pluuiæ,triſtisq́; per arua
S qualor erat, mœrorq́; herbis morientibus ingens.
N on uſquam cœli rabies torrentior arſit.
A t poſtquam ceßit tremor,ac ſolida arua quierunt,
(Certa fides)terris ceſſit mare: reddidit agris
N eptunnus longo tandem pòſt tempòre,quod iam
A bſtulerat prius, & uictor ditione tenebat.
V ſqueadeò impellens uariat uis: ergo age cœlum
I nſpice,ſi quando terreſtribus æmula ſignis
A rma ferant Mars bellipotens, et Iuppiter Ammon,
I uppiter aërias qui fulmine concutit arceis.
H i tibi ſigna dabunt uenientis ab aëre motus.
Q uo tellus tremit incluſo, & grauida antra fatigat,
N ec uero aut tenebræ,aut nocturna ſilentia,quū iam
F rigore concreſcunt terræ,& uis humida regnat,
S unt tantum metuenda, aut matutina pruina,
V erumetiam medijs in ſolibus,atq; ubi ſæuit
A eſtiuus calor,& quum ſpiramenta retundit
S ol medius,retro & fumos compellit inertes,
E t tellus tremit,& uolucreis erumpit in auras

Spiritus indignans clauso circùm aggere cingi.
Ipse uides quoties agitatis fluctibus æquor
Tollitur, & salsa spumant aspergine cautes,
Littora tum sinuosa magisq; magisq; uideri,
Curuari & solito maius, postquam alta quierint
Aequora, uentorumq; simul grauis ira repressa est,
Tum contrà, recto tractu maris ora uidetur
Tendere iter: summæ in longum spectantur arenæ,
Ac nullas agitat sublatus spiritus undas.
Hic terras quatit inclusus, maria intima uersat
Exagitans, uerritq; auras: hic impete uasto
Discindit nubes, explosaq; fulmina torquet
Cum tonitru, & rapidis illuminat aëra flammis.
Hoc igitur cessante, aër silet undiq;, ut illum
Diuidat æquali interdum nubecula tractu.
Tempore quo inclusus specubus longè æstuat intus
Halitus arescens, & humum quatit improbus, unde
Tellus intremit, & uacuis sonat icta cauernis.
Sed tamen & persæpe cauis furit abditus antris
Infremitans, quando aërio se tramite contrà
Ventus agit, uetat atq; imis erumpere claustris,
Tantum adeò uariant, & uis & causa mouendi.

DE MEPHITE ANSANCTI in Hirpinis.

Spirat ad Ansancti uallē specus: hinc procul & grex
Et pastor diuertit iter: procul euolat ales,
Incidat in sæuam pennis ne lapsa Mephitim,

Et

E t cadat infœlix subita exanimata ruina.
S piramenta Soli quondam tremor ille reclusit.
E xhalat uis unde nocens per uiscera terræ
C onflictata diu, tetroq́; infecta ueneno.
H inc necat afflatu misero, sternitq́; animantes
S æua lues, procul acta erebo, stygijsq́; cauernis.
A n non Harporum in campis Garganide terra,
Q uaq́; celer dubijs ripas secat Aufidus undis,
E ffossa tellure uapor cerealibus horreis
I nclusus subitò exanimat? nec ut aëra diuum
A ccipiat, reddat'ue infoßi exhaustor acerui.
V sque adeò inclusas pesteis dira occupat auras.

DE IRIDE.

Nunc age si quando ætherio delapsa ab olympo
I ris ades, uatisq́; oculis permitte uidendam.
D um genus, & certos memorē, quibus orta, parētes:
N am te uel natale decus, uel sanguinis autor
N obilitant: tu forma inter pulcherrima Nymphas
S pectanda & cœlo, & Musis celebranda canoris.
P astorem fama est Phœbum Peneida ad undam
I ncassum post absumptos in uirgine fletus,
P ost deploratos toties in cortice amores,
I nuitum ad superos, ac munera nota redisse,
S olantem casus cithara, ac testudine eburna,
P aulatim irrepsisse nouam sub pectore flammam
V irginis Aëriæ, solam quam Iuno ministris
P rætulerat fidam thalamis, gratisq́; sodalem

A lloquijs, cui cura omnis quoq; credita herilis,
T entanti in thalamos aditum, inſidiasq; paranti
E t reperiſſe uiam caſum, & docuiſſe repertam,
O ceano forte in magno ſub Tethyos antra
I uno aberat, ducens lætam per pocula lucem.
A ëria è thalamis ut erat laſciuior annis
P rodierat, procul emotas ſpatiata per auras,
P roſilit è ſpecula iuuenis, timidamq; repente
O ccupat amplexu: tum ne quis cernere poſſet,
N ube caua inuoluit, mox ad ſua gaudia uerſus,
O ptatis fruitur thalamis, grauidamq; relinquit.
I lla uterum cælans, nono pòſt menſe grauatum
P onit onus: fratri præſto Lucina petenti
A ffuit, excepit neptem, gremioq; leuatam
N ubibus Aëriæ prolem commendat alendam.
V t creuit forma præſtans, & corpore Nympha,
V iſaq; digna deo proles, tum Iuppiter illam
F actus auus, fouit gremio, miratus & ora,
E t crineis flauos, & lumina digna parente,
E t pharetram, & quòd quẽ pater illi tradidit, arcũ
L unabat, capita ut ſimul accuruata coirent,
S olis ad occaſus ut ſpicula Solis ab ortu
M ittat, ab occaſu facile ut iaculetur ad ortum,
N eptis auo digna, ſimul & patre digna uirago.
I uppiter ob meritum ſpeculo donauit, ubi omnem
A ëra perſpiceret, terras, pontumq; uideret,
Q uo foret & Nymphis etiam ſpectabilis ipſis.

Nate

N ate igitur si quando sedens æstate sub altis
P orticibus, forte aut nemorum uiridante sub umbra,
A uratum admoris labris sitientibus amnem,
N e pigeat, simul ac gelidum cratera liquorem
H auseris, ardentē ad Solem, atq; ad lampada Phœbi
S istere, pòst altam tua lumina ferre sub umbram,
I llicet aspicies solem laquearibus ipsis
F ornicibus siue in medijs, altáue columna
F ulgere, oppositam radius dum flectit in oram
L ubricus, effusoq; super loca lumine lambit.
H aud aliter leui in nube, cœloq́; quieto
O bliquus quum se radiorum impegerit ardor
N ubila per conuersa acies in fronte resultat.
F lectuntur retro radij: fit protinus arcus
I lle quidem, uarios ducens è nube colores,
V t uiridi quoties ligno celer hæserit ignis
F lamma rubet, madida referens à matre uirorem.
F orsitan & quum nube caua se ostentat imago,
C œruleum uideas, qui non est, ipse colorem.
A c memini dum castra sequor, mauortiáq; arma,
Qua præceps sese tyburna rupe uolutus
F ert Anio, multáq; cadens aspergine sudat,
F umosa fulgere super conspergine claram
I rin, & aurato iacientem spicula cornu,
E tiam Sol medium clarus peragrabat olympum.
M ox ubi sydereis nox fusca superuenit alis,
I mprouisi adsunt austris madidantibus imbres.

L iquitur in latices cœlum, lutulentus & antro
P rosilit, ac ripis Anio caput extulit altis,
I ndignans, liquidos rapidis torrentibus amnes
F œdari, & mœstas arceri à fonte Napæas.
N ec flauescentem aspiciens miraberis arcum
P uniceo uiridem si addas, rarescit uterq;
N am simul, & flauum miscent utrinq; colorem.
N ec uero quum Sol medium lustrabit olympum
(Vrit enim, feruetq; adeò, ut quæ densa, relaxet)
T haumantis natã aspicies, quanquã horrida, quando
B ruma riget, medijs liceat uidisse diebus.
E rgo & quum adueniet simul, & quũ deciderit Sol,
I ris ab aduerso capiet data signa parente
L uce quidẽ, quanquã in tenebris sub nocte maligna
A urea cum pleno radiat Latonia uultu,
T um quoq; curuato meditatur spicula cornu.

CVR IRIS SIT ARCVATA.

Et quoniam obliquũ ad Solem, aduersumq; parentẽ
A pparet longè oppositis in partibus Iris,
I dcirco non in gyrum, non cogit in orbem
S ese audax, neq; enim est ipsi circundata Soli,
V nde referre queat speciem toto ore rotundam.
S æpe etiam duplicẽ in tenebris est cernere Lunam,
N ube nouam referente alia sub imagine formam.
I psa sua speculum dextra tenet, & uidet ora
A ltera Nympha sua, et qb. hæc quoq; lumina cernit.
V na quidem facies, speculo referente secundam.

Ergo

Ergo & in aëria talem se nube figura
Ingeminata refert, speculi se margine qualem
Nympha super, uitrea & similē se reddit in umbra.
Sed neq; quum Solem aut ipsum, Solis'ue sororem
Aut rutila circum, aut atra caligine cingi
Prospicies, alium credas duxisse colorem.
Nam uapor in causa est, qui cum fulgentibus astris
Offundit sese, obtundens radiantia tela,
Inficit hic nostros infecto lumine sensus,
Frustraturq; oculos falsa sub imagine captos,
Luna magis, Luna hamatis minus apta sagittis.
Tu tamen offusa quoties caligine cernes
Paulatim elabi, & claro mox lumine ferri,
Tranquillam licet expectes noctemq;, diemq;.
Si in multis simul effundent se partibus ipsæ
Collectæ in gyrum nubes (nulla est mora) uenti
Diuersis simul erumpent de partibus, ut iam
Inuoluant cœlumq; simul, terrasq;, fretumq;,
Vix adeò ut stabulis sint tuta armenta sub ipsis.
Semper enim qua diffracto uapor euolat orbe,
Illa parte ruent populantes nubila uenti.
Quinetiam quà se incandens nocte extulit ignis,
Ille quidem claro signans liquidum aëra tractu,
Inde ruet portis quamprimum uentus apertis.
Ergo & quum exussit rapidus Sol omnia latè,
E quum uicta gelu glacie, & concreta, malignum
Horrescit tellus frigus, tunc æquora longè

P acem agitant, nulli uersant super aëra uenti,
A c tranquilla quies pacato regnat in orbe.
A st ubi se nebulæ tollunt, indenset & auras
C aligo fumosa agitans, hic aggere rupto
S piritus ad superas sensim sese exerit oras,
M oxq́; ruit portis emissus uentus apertis.
I psa etenim uentos tellus alit, eq́; refuso
E mittit fœcunda sinu: Sol hos pater actis
E ducit radijs, perq́; aëra trudit apertum.
I lli iter intendunt cursu, paßimq́; uagando
C oncipiunt uires, collectaq́; robora firmant.
D onec uel cœlo irati dominentur, & undis,
E t quatiant ualidas inimicis flatibus arces.
H aud aliter, quàm quum liquidis caput extulit antris
E ridanus, molem ingentem rapit undiq; aquarum
P rogrediens, feruetq́; uagus per adorea culta,
H uc, illuc sinuosa agitans secum agmina uoluit,
R umpit & in pontum superatis fluctibus audax.

DE COMETIS.

Ventorum quoq; certa dabunt tibi signa cometæ.
I lli etiam belli motus, feraq́; arma minantur,
M agnorum & clades populorum, & funera regum,
V t quum seu cœli occasum, seu Solis ad ortum
E xtulerint caput infelix, & crine minaci
H orrendum latè implerint terroribus urbes.
S i steterint, certoq́; loco uestigia figent,
F initimi bello inuadent, ciuiliaq́; arma

Fœdabunt

F oedabunt socias cognato sanguine dextras.
S in ortum tendent uersus, peregrina moueri
B ella scias, hostemq; externis affore ab oris.
T u uero quod decernit Mauortius ignis,
I nfelix cœli sydus, quod nuncius Arcas,
H oc dirum in primis statues signare cometen.
I psi etiam tibi signa dabunt manifesta colores.
H alitus ille autem æstiuam sublatus in oram,
M ole ingens, tractu longusq; & plurimus ipso,
M ulta etiam fomenta ferens, concepit ubi ignes,
F lammatos ignes, & latè incendia serpunt,
F it coma quæ rutilum spargat de uertice crinem,
E t longo fumosa trahat uestigia passu,
S ed Solem, Solisq; uiam declinat, ad Arcton
S æpe iter intendens, celeri nunc concitus axe,
N unc lento temone premens tardantia lora.
N am memini quondam Icario de sydere lapsum
S qualentem præferre comam, tardoq; meatu
F lectere sub gelidum Boreæ penetrabilis orbem,
H inc rursum præferre caput, cursuq; secundo
V ertere in occasum, ac laxis insistere habenis,
D onec Agenorei sensit fera cornua tauri.
E rgo inter sese aduersis concurrere signis
H inc Turcas, illinc Parthorum examina uidit
E uphrates belli medius: caput extulit alueo
A rmorum sonitu excitus Mauortius Ister.
V ix unquam maiore aliâs in prælia uentum est

M ole uirûm: lati manarunt ſanguine campi.
H orruit Oceanus, dum tot procul amne cruento
V erſat Rhenus agens ſimul arma, uirosq́;, ducesq́;.
C ognatos enſeis, atq; impia comminus arma
S uſtulit aſſuetis gaudens Hiſpania bellis.
O bſtupuit, gemuitq́; ſimul Mauryſia Calpe
I ngenteis uelorum alas, crepitantiaq́; arma
O ceano, & freta lata citis ſpumantia remis.
M ox Tingitanis ſæuire incendia tectis,
A tq; amneis tabo ſqualere, & ſanguine campos.
N on aliâs uenti pelago incubuere tumenti
M aiores, non Aeolij rex carceris unquam
S æuius infremuit, ruptoq́; immugijt antro.
D elituit ripis, imo & caput abdidit alueo
V ndarum pater Eridanus: ſitientibus amnes
E xceſſere antris: mœſtæ, & ſine numine Nymphæ
F uderunt nullos terra areſcente liquores.
I nterea nullus cœlo demittitur imber.
A reſcunt herbæ paßim ſitientibus aruis.
P ratorum perit omnis honos: nemora alta laborant
A eſtibus, inuitoq́; cadunt è ſtipite frondes.
I n dirum tranſit cinerem de gramine ceſpes,
V ota Iouem non ulla mouent ingrata, nec ullum
I ncenſis aris meritum, ſenſus'ue malorum.
L anguentes impune cadunt cum matribus hœdi,
E xanimesq́; iacent paßim cum matribus agni.
I nfelix animam conuulſo in ceſpite linquit

Taurus,

Taurus, & ingentem ipse cadens dat mole ruinam.
Nec bellator equus non sicco in margine fontis
Mœret, & assuetis moriens caput abdit arenis.
Strata dolent armenta boumq́;, armentaq́; equorũ.
Exitio sitis etiam est pastoribus, ut iam
Emigret Calabris procul armentarius agris
Aeger, agens paruos ægra cum coniuge natos.
Vsqueadeo infandam in rabiem fera sæuit erinnys,
Et dirus quatit in terras iacula aspra cometes.

DE VIA LACTEA.

Nate etiam si quando oculos ad sydera tollens,
Albentem cœli tractum mirabere, forsan
Addubites quæ causa uiam signauerit, an sit
Halitus idem autor, longo quem tramite ductum
Stellarum densus circum se complicat ordo.
Quippe uagus Solem fugiens, torrentiaq́; astra,
In læuum, dextrumq́; latus declinat, & ipsa
Raptatus circũm cœli uertigine candet
Syderibus latè sparsus, pallentiaq́; ora
Sellarum, atq; amnes lactis sub imagine præfert.
Nanq; acies obtusa, & non penetrabile lumen,
Et series numerosa, minutaq́; corpora paruis
In spatijs uersata, procul candere uidentur,
Dum nequeunt radios iaculari, & stringere flammã,
Candet, & à multa caligine consitus aër
Hinc, illinc agitata, & lactea constat imago.
Nec tibi non fera sunt sæuorum nota Gigantum

P rælia, non phlegræa phalanx, superûmq; labores,
I ntentansq; deûm excidium Briareius ensis.
E rgo illi simul ingenteis inuoluere montes
A Boreaq;, Austroq;: ingens simul ardor utrinq;,
V trinq; & metus ingens, exitiumq; paratum.
T erra nouum auxilium natis tulit: excitat antris
N igranteisq; globos fumorum, & sydera fœdat
P ulueribus, tetra offundens caligine diuûm
A ttonitas acies, atq; arma micantia frustra.
C edebat rerum genitor, cedebat & ipse
B ellipotens Mauors: frustra Latonia tendit
D ictæos arcus: nigrantem ex axe Booten
E xcussat caligo, haurit globus Oriona
P uluereus, cæcum capulo dum sustulit ensem.
E cce autem flammis, & luce coruscus eoa
P hœbus adest: Phœbum sensit nox: illicet ipse
R estituitq; aciem, & dextra, læuaq; coëgit
C edere fumificum discusso puluere nimbum.
E rgo ubi laurigeris uictoria constitit alis,
E t cœlo pax nota redit, monimenta quòd essent
A ntiquæ pugnæ, uolucres subsidere fumos
E t statuit pater, & solio sic iußit ab alto.
A tq; hinc puluereus manet inter sydera limes,
Quà uictor pepulit flammato turbine Phœbus.
Nec uero naturæ omnis uis cognita, quando
M ulta latent: tamen & causas scitamur, & unde
P roueniant. Candorq; uiæ, limesq; per astra

Fusus

F usus in incerto est: nebulas in sydere Cancri,
A n'ne eadem caligo, eadem quoq; causa notarit,
H oc quoq; in incerto est: nam plura subesse uidentur,
Q uæ certent ratione eadem, aut aduersa repugnent,
L actea cur niueo canescat semita tractu,
C ur nebulosa cauo pallescant sydera uultu.

DE FONTIBVS
& fluminibus.

Hinc ego digrediens fonteis te nate docebo,
E t cur perpetuis decurrant flumina uenis,
E xtremus labor, & uigilatæ ad lumina noctes.
T u mea dicta puer memori nunc accipe corde.
S piritus hic (Graij fecerunt Aëra nomen)
Q ui terras, pontumq; leui circuntegit umbra,
E t penetrat rimosa means in uiscera terræ,
(Certa fides) facile humentem permanat in undam,
I n liquidumq; coit contracto frigore rorem,
M ox abit in latices, & ripis plenior errat,
E t magno labens intrat cum murmure pontum,
A rmatas etiam raptans ad littora classes.
I pse uides sæpe in foribus sudantia saxa,
E t guttas de marmoreis stillare columnis.
N anq; aër circunfusus dum frigora sentit,
P aulatim sese cogit, mox defluit humor.
I lle quidem sicco ducens è marmore guttas
S peluncis quoq; de gelidis manare liquorem
C ontinuum, unde fluunt crepitanti murmure riui.

MAGNA FLVMINA E montibus defluere.

Si Rhenũ, Rhodanũq́; uidens, magnũq́; Garumnã,
Aut Hebrum, Eridanum'ue, aut clari nominis Istrũ,
Aut qui per latos populos mare peruenit Indus,
Aut septemgemini rumpunt quà flumina Nili,
Perscrutere ortum, & fontis sacra antra reclusi,
(Non dubium) inuenies summis è montibus illos
Delabi, genus & gelidis deducere ab antris.
Nanq; aër terræ immistus, molemq́; sub ipsam
Inclusus, montana rigens ut frigora sensit,
In stillas abit, & longo fluit agmine multus.
Desuper ima petens, donec iam uiribus auctis
Erumpit uallo, atq; in campos turgidus exit,
Multum etiam stillante solo, niuibusq́; liquatis
Auxilium accedit uenis tellure sub ipsa,
Multum etiam nebulosa iugis immanibus aura
Tabescens cœlo gelido quum stringitur humor,
Vnde sibi occulti sumunt alimenta meatus.

TERRAM ESSE CAVERNOSAM.

Nec uero quamuis solido stet robore tellus
Mole sua grauis, & denso se robore firmet,
Non uastis intus specubus patet, atq; hiat altè
Immensum ductis abrupta sede cauernis.
E quibus aut Euri sparsim funduntur anhelis
Faucibus, adriacosq́; attollunt flatibus æstus,
Et stragem dant arboribus, tectisq́; ruinam:

Aut

A ut amnes ſubter lapſi de montibus altis
E rumpunt curſu rapido, & ſolida æquora findunt.
Q uippe aër antro incluſus lenteſcit in undam
F rigida ſub loca, & æternum fluit abditus humor
A eterno de fonte liquens: hinc Caſpia clauſtris
A ntra, tot accipiunt fontes, tot flumina, mox quæ
R urſum diuerſis emergunt partibus orbis,
I n mare ſeu tacitis delapſa meatibus intrant.
Q uin & quà Herculei rident ſata læta Tarenti,
Q ui piger humectat flauentia culta Galeſus,
S axa ſubit, tacituſq; cauo ſe condit in antro,
C ondit & in latebris Nilus: pòſt liber apertis
I nſultat campis, ſepteno & gurgite fertur,
F elix fruge noua, fœcundiſq; uber ariſtis.

DE FONTE CORNV.

Eſt Præcutinis in montibus horrida cautes,
I ndigenæ uocitant Cornu, de uertice cuius
M anat aquæ gelidus per ſaxa rigentia torrens.
H unc non antra caui montis, non humida uallis
E ruptat, non uis ſuperas impellit ad oras.
V erum aër ripæ admotus circumq;, ſupraq;,
R imoſoq; latens ſub fomite ſudat, ut ipſum
F rigus, & algentem ſenſit per membra rigorem,
S tillatimq; cadit fluitans, curſumq; ſecundat.
E rgo & perpetuus tenor eſt ſtillantibus undis,
P erpetuiq; fluunt fontes, & flumina, & amnes,
P erpetuum quoniam ſeruat natura tenorem

A ëris, aëriam sese uertentis in undam.

FABVLOSE DE FONTIBVS.

Nec uero faciles Nymphæ, queis flumina cordi,
Et sacri fontes, atq; antra liquentia riuis,
Non ipsæ dulceis latices, non larga ministrant
Pocula, non gratas longè sitientibus undas.
Ergo nudatis pedibusq́;, & pectore nudo
Cœruleæ per stagna agitant liquentia Nymphæ,
Alternisq́; implent undanteis roribus urnas,
Alternis simul effundunt. Tum murmure magno
It præceps per saxa sonans spumantia riuus,
Mox crescens findit tacito plana æquora cursu,
Nunc fessæ lætas ducunt per prata choreas
Arboribus tectæ, ac circumuariantibus umbris,
Nunc tenueis mulcent gratis concentibus auras,
Aut amne in medio ludunt, uitreisq́; sub undis
Lasciuæ alternant agiles per brachia motus,
Lubricaq́; intorquent niueis uestigia plantis.
Enatat hæc, leueisq́; manus, & brachia monstrat,
Aut tenerum latus, aut molleis cum poplite suras,
Desilit illa petens imum, splendetq́; sub undis
Marmoreum femur, & ceruix argentea, & illæ
Deducunt cœlo diuos quæ ad furta papillæ:
Mox resilit, flauumq́; caput, nigrantiaq́; effert
Lumina, tum niueo quæ purpura fulget in ore.
Hic aliquis cannosa latens post flumina pastor,
Agrestis deus, & Satyrorum è stirpe procaci,

Concepit postquam ardentem sub pectore flammam,
Huc illuc oculos agit, & suspiria ducit,
Insertatq; caput cannis, refugitq; uideri,
Dumq; uidet, frigetq; simul, feruetq;, cupitq;,
Desperatq;, audetq;, feroxq; libidine in undas
Desilit, atq; cadens sonitum dedit. At chorus antrum
Attonitus petit, & latebris sese abdit opertis,
Ipse deus uano frustratur gaudia tactu.

AQVAS NATVRALITER ESSE
sine colore, & sapore.

Nec sapor, aut color ullus aquis fluuialibus. Ipsæ
Tellure hos de matre trahunt: hinc sæpe uenenum,
Sæpe salus: adeò uariat tellusq;, solumq;.
Terra salutiferas uires, eadem ipsa nocenteis,
Præbet aquis, succoq; suo prodestq;, nocetq;.
Terra eadem argento largè fœcunda, sed aër
Vber aquis, Nereiq; nouas hinc sufficit undas,
Præcipue tamen Arctoo sub cardine, quà se
Vis ingens cohibet, quamq; & Sol languidus errat
Defessus spatijs, obliquo & tractus ab orbe,
Inde perennis aquæ manat fluor, oceanusq;
Aestuat, Arctooq; fluunt è cardine riui.

DE FONTIBVS CALIDIS.

Baiano sed ne fumare in littore thermas
Mirere, aut liquidis fluitare incendia uenis,
Vulcani fora sulfureis incensa caminis
Ipsa monent, latè multum tellure sub ima

D ebacchari ignem, camposq; exurere opertos.
I nde fluit calidum referens ex igne uaporem
V nda fugax, tectis feruent & balnea flammis.

DE AMARIS FONTIBVS.

Hinc etiam salsum fontes traxere saporem,
E t laticem longè ingratus infecit amaror
T ellure incocta exudans, cineriq; maligno,
Q uem liquit quondam accensis fornacibus ignis,
P òst æuo extinctus longo monimenta relinquit
E xustum cinerem, & cocto sola subdita saxo.
H inc alibi exhaustos antris putealibus amnes
V ulcano feruente coquunt, dum craßior humor
S tringitur, inq; salem tepidæ cessere lacunæ.
A st alibi in lapidem transit liquor, usque adeo uis
T elluris uariat. Videas lapidescere Sarni
C æruleo sub fonte alnum, filicisq; maniplos,
E t paleæ intortos lento cum uimine culmos.

DE RIVO VENAFRANO.

Decurrit tenui labens aspergine riuus
R upe Venafrana, fessus quem sæpe uiator
I ncusat gelidos raptim occuluisse liquores.
S æpe repentinos fracto de monte tumultus
E rumpentis aquæ timuit sub uomere taurus.
I psa suas nunc diues opes natura profundit,
N unc retrahit defessa manum, seq; ipsa remittit.
H ic lactis fluitare amnem sua ad ubera mater
L ætatur, dolet hic omnem obriguisse liquorem.

Materiam

Materiam sæpe ingenio, instrumenta uel arti
Deficere, ipse operis prudens dolet autor, & actor.
Nunc ergo ingenteisq; animos, uiresq; ualenteis
Præ se fert natura, opibusq;, & robore pollens,
Nunc inculta situ, longaq; effœta senecta
Languescit, propriumq; negat retinere uigorem.
Dum reparat uires, renouataq; robora firmat.
Ipsa suos tunc plena sinus, uterumq; relaxat.
Quiq; uigor fuit antè, refert se ad munera nota.
Nec uero casusq; inopes, cessantiaq; arma
Naturæ, nec rursus opes, luxumq; fluentem,
Non hominum, non alituũ genus, & pecus, & grex
Squamigerum sensere, graui & doluere ruina.
Hinc etenim miseranda lues mortalibus, hinc &
Dira fames, sæuitq; malum per uulnus utrunq;.

DE FONTE AMMONIS.

Ammonem fama est medijs sub noctibus altum
Feruere, & in medijs rursum frigere diebus.
Causa quidem uel certa subest: nam frigora noctis
Intus alunt ignes, nocte & uapor æstuat intus,
Vnde fluunt calidi noctis per tempora riui.
Luce autem quum Sol terras populatur, & ardens
Exhalat uis, tum uenæ recreantur hiantes,
Vnde redit gelidus sua per uestigia torrens.
Rara igitur natura soli, quæ frigora Lunæ,
Quæ Solem facile admittit resoluta diurnum,
Hinc facile & recreat sese, & ferueſcit in horas,

Hinc terræ uarium mutat fons ipse tenorem,
Longinquo ueniens loca per uariantia ductu.
Nam neque sese orbe ex alio uis torrida Solis
Immittẽs, penetretq; uterũ, et grauida ubera terræ,
Immensumq; maris spatium, tantumq; profundi.

DE FLVVIO TRIGELLA IN LUCANIA.

Horrescit quoq; Lucanis in saltibus antrum,
Vnde petunt trepidi afflictis oracula rebus,
Præcipitat longo immanis descensus hiatu.
Septem aræ circùm, & fumos flant thura Sabæos.
Antistes Zeno lituum tenet, & uocat ore
Præsentemq; deum, & pia numina sistit ad aram.
Turba fauet, mox & uoti damnata recedit,
Ipse autem fruiturq; dijs, atq; imperat antro,
Vnde fluit gelidus salebroso fonte Trigella,
Arescitq; hyeme in media, atq; æstate liquescit.
Vere nouo quum se tellus adaperta relaxat,
Tum uideas tecto ex antri stillare fluentum,
Hic riuos fluitare, illic concrescere fontem
In clatros: hiat ecce alibi fumosa uorago,
Vnde aditus imi ad manes, & tartara mundi.
Parte alia sonat abruptis specus atra cauernis
Horrendum. Ruit acta repente canalibus unda
Occultis, siccoq; diu deuoluitur alueo.
Pastores cohibete gregem sitientem, & ab unda
Pellite: non fœtum optatum, non ubera uaccæ

Distenta,

Distenta, aut tenerum cum matre aspexerit agnum
Errantem, qui pota frequens ad flumina pastum
Egerit armentum, & crudo saturauerit amni:
Capripedis potuit tantum dolor, iraq́; Fauni.
Luserat aspernata procum Ripenia, & udis
Abdita fluminibus detestabatur. Ibi amens
Deturbatq́; pedum, pecudesq́; à fonte repellit
Inclamans: nulli fœtus, non ulla propago
Sit pecudi, quoties sitientia guttura ad undam
Admorit, potoq́; grauis de flumine abibit.
Semamnem fugitate boues, fugitate capellæ,
Iratusq́; gregi, in nemus & loca sola recedit.
At quum declinat rapidus Sol, & fugit annus,
Ac lassata situ, tellusq́; effœta senescit,
Aruit & uenis humor, mirabere fontem
Vel biduo effluxisse, ac flumina tanta requirens,
Incusesq́; deos, naturæq́; abdita damnes.

VETVSTATE TEMPORVM mutari fontes, ac maria.

Sed nec perpetuæ sedes sunt fontibus ullæ,
Aeterni aut manant cursus: mutantur in æuum
Singula, & inceptum alternat natura tenorem.
Quodq́; dies antiqua tulit, pòst auferet ipsa.
Hoc mare quod nunc ingenti duo littora tractu
Europam Libyamq́; secat (non fabula) quondam
Tellus una fuit: medio stetit æquore taurus
Insudans sulco, atq; attrito uomere fessus,

N unc mersa tellure natat uento acta carina.
V ulcano sacra, & fumoso uertice anhelans
I nsula Cyclopum, horrisonis incudibus antrum,
N ulla olim: nunc nulla Elice Nonacria, ut illam
F luctibus, iratoq; absorbuit æquore Nereus.
A egyptum Casij soluens de rupe secabat
N auta uagus: nondum ullum illi nomenq;, decus'ue,
S ed pelago stagnante palus, udæq; lacunæ.
N unc regio & populos latè fœcundat, & urbes,
P yramidum ostentans monumenta, et nomina regũ.

SITVM TERRAE MVTARI,
& terras ipsas renouari.

Quid mirum fontes, siccato & flumina cursu
D esinere? adueniet lustris properantibus ætas,
Quum pelago emerget tellus noua, quum mare terris
I ncumbens mole ingenti, simul oppida & arces,
C ultaq; sub rapido secum feret hausta profundo.
N ullus honos regum tumulis: impune deorum
T empla ruent: idem fluctus pecudemq;, Iouemq;
A uratum affliget scopulo: exitium omnibus unum,
E t clades una absumet iuuenesq;, senesq;,
Matres atq; uiros, & corpora chara nepotum.
N ec natum complexa parens miserabilis udis
P roficiet lachrymis: clamantem, & acerba gementẽ
C æruleus cano uortex absorbet hiatu,
E t uota, & pictos secum feret unda penateis.
N on ullæ ultra relliquiæ, aut monimenta manebunt,
Non

N on rerum labor, aut operum uis edita cœlo.
M aiestas ipsa ingenij, decora illa sororum
A onidum, confecta situ, atq; in nube iacebunt,
C unctaq; sub tenebris, & opaca nocte tegentur.
P arte alia exurgent immani corpore montes,
E t nigra primo cœlum caligine tingent
F umosis iuga uerticibus, nondum aëre aperto,
N ec sicca tellure satis. Pòst tempore certo
T erra recens, cœlumq; nouum, noua littora, & udi
L abentes paßim lymphis crepitantibus amnes
I ncipient præbere nouis alimenta colonis,
P aulatimq; nouus fato instaurabitur orbis.
Te quoq; uel iuuet ad finem uenisse laborum
V ranie, licet & fontis leue murmur, & ipsæ
S pirarint placidæ Zephyris felicibus auræ.
R ura senem, uatemq; suum, sua ad ocia felix
P arthenope uocat, & fesso blanditur alumno.
N on ederæ, mea non lauri per tempora serpant.
M e sat erit si cœruleo Sebethus ab amne
I ntactæ salicis fluuiali munere donet,
A c mihi pomiferis uacet Antiniana sub hortis.

FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI DE HORTIS HE
speridum, siue de cultu Citriorum, ad illustrissimum principem Franciscum Gonsagam, Marchionem Mantuæ, liber primus.



OS ô quæ liquidos fonteis, quæ flumina Nymphæ
Naiades colitis, quæ florida culta Napææ,
Deliolósque hortos, & littora cognita Musis,
Quæ colleis Baccho lætos, flauentiaq; arua
Meßibus, ac summi curatis rura Veseui,
Quo solem uitetis, iniqui & syderis æstum,
Hac mecum placida fessæ requiescite in umbra
Gratorum nemorum, Dryades dum munera uati
Annua, dum magno texunt noua serta Maroni
E molli uiola, è ferrugineis hyacinthis,
Quasq; fouent teneras Sebethi flumina myrtos.
Vos gelidi fontes, genitalis & aura Fauonij
Inuitant, uos cœruleo quæ littore pictæ
Nereides, uarias ducunt ad plectra choreas,
Et nudæ pedibus, fusæq; ad colla capillis.
En ipso de fonte, & arundine cinctus, & alno

Frondenti

F rodenti caput, ac uitreo Sebethus ab antro
R oranteis latices, muſcoq; uirentia tecta
O ſtentans, placidas de uertice ſuſcitat auras,
Queis ſolem fugat, & ſalices defendit ab æſtu.
E rgo agite, & uirides mecum ſecedite in umbras
N aiades, ſimul & ſociæ properate Napææ,
Quæq; latus Tyrio munitis Oreades arcu.
N on hic Pierij cantus, non carmina deſint,
A duentante dea: ſummis en collibus offert
V ranie ſe læta: agite aſſurgamus eunti,
E t dominam comitemur, opaca & rupe ſedentem,
E t rore Idalio, & Syrio ueneremur odore
I nſignem cithara, & ſtellanti ad tempora ſerto.
O facilis, felixq; ueni dea: me per apertos
A ëris immenſi campos, ſummoq; uagantem
A ethere, mox toto numerantem ſydera cœlo,
D uxiſti, legesq; deûm, atq; arcana docenti
I llarum & relegis ſeries, & fata recludis,
A tq; ipſo rerum cauſas deducis olympo,
O cia nunc, hortiq; iuuent, genialiaq; arua,
Quæq; & Amalphææ fœcundant littora ſyluæ
C itrigenũ decus, Heſperidũ monimenta ſororum,
D elitiæ quoq; & ipſa tuæ, Peneia Phœbum
D electent Tempe, fraternaq; pectora lauri.
T e Sebethiacæ capiant nemora inclyta Citri,
E t quas noſtra ſuo colit Antiniana receſſu.
N os canimus: tu diua faue, atq; aßiſte canenti,

D um uatis ueteres sacri renouantur honores.
E n manet irriguum te blanda Patulcis ad amnem.
At tu quo Gonsaga domus, quo Mantua gaudet
P rincipe, dum canimus, post arma, graueisq; labores
I tala dum spargis, Tamarusiaq; arua cruore
G allorum, & uictor spolia illa pheretria tentas,
F rancisce heroum genus, atq; Bianore ductum,
N e desis, néue hortensem contemne laborem,
H erculeæ decus, & precium memorabile clauæ.

QVALIS SIT ARBOR CITRIVS, & unde oriunda.

Orbe etenim Hesperio, Niasiq; ad littora quondam
O ceani, auriferis primum sese extulit hortis
C itrius, arboreæ referens præconia palmæ.
I lli perpetuus frondis decor: inter opacum
A lbescunt nitidi flores nemus. Atq; ita latè
S pirat odoratus Zephyris felicibus aër.
I psa quidem lauro folijsq;, & cortice, & ipso
S tipite tum similis, tum frondescente iuuenta,
A t cono inferior, ramisq; ualentibus impar,
N am florum longè candore, & odoribus anteit.
Q uin grauida è ramis, triplici & distincta colore
M ala nitent, uirides primum referentia frondes,
H inc rutilant, fuluoq; micant matura metallo,
F lore nouo semper, semper quoq; fœtibus aucta,
P erpetuum Veneris monimentũ, at triste dolorum.

DE CON-

DE CONVERSIONE ADONI-dis in Citrium.

Mœrebat puero extincto, lugebat amantem
S cissa comam, et lachrymis humebat terra profusis.
H umebant lauri, quarum frondente sub umbra,
E t positum ante pedes lamentabatur Adonim,
E t se oblita deam, tundebat pectora palmis.
V t uero sese dolor, & grauis ira repreßit,
A c ueterum admonuit Daphne Peneia amorum,
E t nostros, inquit, testabitur arbor amores,
N ostrorum & maneant monimenta æterna dolorũ.
A mbrosio mox rore comam diffundit, et unda
I dalia corpus lauit, incompertaq́; uerba
M urmurat ore super, supremaq́; & oscula iungit.
A mbrosium sensit rorem coma, sensit & undam
I daliam corpus, diuinaq́; uerba loquentis.
Hæserunt terræ crines, riguitq́; capillus
P rotenta in radice, & recto in stipite corpus,
L anugo in teneras abijt mollißima frondes,
I n florem candor, in ramos brachia, & ille,
I lle decor tota diffusus in arbore risit.
V ulnificos spinæ referunt in cortice dentes.
C rescit & in patulas Aphrodisia Citrius umbras.
C olligit hinc sparsos crines dea, mandat & altæ
T elluri infodiens, tum sic affata: Meis heu
C onsita de lachrymis, nunquam uiduabere fronde,
S emper flore nouo, semperq́; ornabere pomis

H ortorum decus, & nemorum, illecebræq; domorũ,
O sculaq; illachrymans ligno dedit, eq; capillis
S umma sub tellure agitans, fibramina ducit,
H auriat ut sitiens undam, atq; alimenta ministret.
I lla uelut dominæ luctum solata, recenteis
E xcußit frondes, resupinaq; uertice, canos
D iffudit florum nimbos, queis pectora diuæ
I mpleuitq; sinum, & lachrymas sedauit eunteis.
E xim Hesperijs arbor nitet aurea syluis.

DE APPORTATIONE CItrij in Italiam.

At postquã Herculeis humeris stetit axis, et Atlas
P rospexit cœlo, & fessus requieuit in antro,
E t iam fata deûm, Latij & scelera impia monstri
V ltricem expectant clauam, procul orbe subacto,
G eryone extincto, spolijs insignis abactamq;
A duexit prædam, & nostris stetit ultor in aruis,
I dem humeris, idem ipse arcu, clauaq; superbus
D euexit simul Hesperio de littore syluas,
H esperidum syluas, nemora effulgentia & auro.
Q ueis pòst Phormiadum saltus, fragrantia myrto
L ittora Caietæ, fonteisq; ornauit, & hortos
V irginis Hormialæ. Venientem ea Tybride ab udo
A ccipit hospitio, & thalami simul addit honores.
H inc & ob ætatis florem, placidosq; hymenæos
A uriferæ precium tulit arboris, inde recenti
I mpleuit campos nemore, & Zephyritide sylua,

Quà læstrygonios saltus, saxa horrida Nereus
Lambit, & æquoreæ Liris secat arua Suessæ,
Quaq; & oliuiferis de collibus edita prisco
Nympha Lamo, irriguos Fundania prospicit agros,
Distinctosq; hortos pomis, & littora myrtis,
Quin & rura sororis Amalphidos, & Sirenum
Ditauit scopulos Niasæi munere mali.

QVAE LOCA SINT APTA serendis Citrijs.

Nunc age qui cultus Citrijs, quæ certa serendi
Tempora, quæq; illis regio magis apta ferendis
Expediam, nulliq; loquar memorata priorum.
Principio apricum ad Solem, uentosq; tepenteis
Vergat ager: putres glebæ, quæq; æquora rastris
Molle sonent, fluidum facile admissura liquorem.
Nec mihi displiceat salebrosi glarea ruris,
Quæq; solo tenui graciles imitatur arenas,
Si modò sæpe fimo spargas, si pronior unda
Diluat ipsa super, lætusq; instillet & imber.
Quid non expugnet solers industria? Non me
Aut pudeat, dum mane suas Philomela querelas
Instaurat, seu maiores Sol suscitat umbras,
Plena manu liquidis inuergere dolia lymphis,
Spumantemq; cauis inferre canalibus amnem,
Solari & mollem cantu mulcente laborem,
Aut etiam occasum ad Solem, primasq; tenebras,
Dum nox oceano nigris sese exerit alis,

Aut tenebris medijs, & quum intempesta silet nox,
Nec nocturna negat rorantia lumina Phœbe
Et flumen ruere, & fontes mersatilis urnæ:
Tantum auet inspergi sese imbre Niasias arbor.

QVAE LOCA SINT EVITANDA,
& quibus utendum remedijs.

In primis fuge subonij mala frigora cœli,
Afflatus caue Threicos, Boreamq; niualem,
Quiq; Lycaonio spirant de uertice cauri.
Quòd si non alia poteris ratione malignum
Frigus & Othrysij compescere flamina uenti,
Obijcibus cohibe, ac summi molimine muri,
Aut olea, & multa prudens circuntege lauro,
Aut ualle occulta, uastiq; crepidine saxi,
Aut ubi celsa suis obstent fastigia tectis.
Quin & per ualidas hyemes, per sydera nota,
Quum cœlum riget, atq; gelu coit altior æther,
Tum gelidæ noctes, concretaq; terra pruina
In primis metuenda, & iniquus Iuppiter hortis.
Ergo quamprimum coniecto stramine, & arctis
Cratibus, aut sparsis circùm, supraq; maniplis
Impiger alpini compesce incommoda cœli,
Iratumq; Eurum, aut fumos succende uolanteis,
Aut calcis uiuæ cumulosq;, fimumq; calentem
Insterne, & calidis gelidum aëra uince fauillis,
Ac supplex uenerare deos, & thura benigno
Vre Ioui, auertat glaciem, componat & iras.

FABV-

FABVLA DE CITRIORVM REparatione, nouaq́; apportatione in Italiam, è Media regione.

Nanq; ferunt ob primitias quandoq; negatas
I unonem indignantem animo, grauiterq́; dolentem
I mmisse & stragem arboribus, Citrijsq́; ruinam,
H esperij generis malorum stirpe perempta.
D onec eam Venus è Medorum diuite sylua
R elliquias relegens per Aphrorum pinguia culta
R ursus in Italiam genti transmisit habendam
A eneadum, quo priscus honos, & cura nepotum
I n syluis ueteres renouaret Adonidis ignes,
A eternum & maneant monimenta insignia amorũ.
Tu uero quoties æstusq́;, & Solis iniquum
F eruorem metues, rapidi & fera sydera Cancri,
A ut glaciem quoties, inimicæ & tempora brumæ,
V erge iterum latices, iterum fluuialia mersa
S tagna super: sic ipse æstus, sic frigora uinces.
N anq; æstu sitientem altè, externoq́; calore
A rentem madidans, sedas æstumq́;, sitimq́;.
A t glacie inclusus calor æstuat, & furit intus
F lamma uorax. Tũ funde imbrẽ, tum flumine largo
I rrora siccas occulto ex igne medullas,
Quo uigor aduersum soles se & frigora duret.

QVOD TEMPVS APTVM sit serendis Citrijs.

Vere autem, & quũ Sol paribus se temperat horis,

Tunc tutò liceat telluri infigere plantas.
Nec toto uerear scrobibus committere in anno,
Aestate umbrosis in uallibus. Ast hyeme, & quum
Mollis in aprico mitescit terra recessu,
Si modò perpetuus laticum mihi diffluat humor,
Nec desit coniunx, plena quæ diluat urna,
Et nunc frondenti ramo defendat ab æstu,
Nunc Solem hybernis admittat mensibus, & nil
Linquat inexhaustum, curáq; utatur, & arte.

QVASDAM REGIONES NON alere Citrios propter frigus.

Nec uero Insubrium campis Ticinide terra,
Quáq; Pado alniferis infert sese Adua ripis,
Ausit se riguis committere Citrius hortis,
Nec quà iuncta Pado scindit sua Mincius arua,
Arua uirûm, heroum, in primisq; feracia uatum.
Arte tamen, studioq; Cloneia ponitur arbos
In rheda, cui pingue solum, cui plurima tellus
Insit, & aßidua madeat stirps aurea dextra,
Sub Ioue quæ ferat æstates, hyemíq; malignæ
Infertur tectis, calidoq; fouetur in antro.
Benaci tamen ad ripam, Charidæq; recessus
Læta nitet, ramisq; exultat adonias arbor.
Munus & hoc Cytherea tuum, dum forte canentem
Ad uirides Saloi salices, tua dulcia furta,
Et pueri amplexus teneros, & Adonidis ignes,
Miraris uatem egregium, cui candida plaudit

V erona, & liquidis Athesis fauet assonus undis.
I lle suas canit ad uolucres, sua reddit Adonin
S ylua, Dionææ ludunt ad carmina Nymphæ.
I psa tuos repetis lusus, repetis hymenæos,
P er syluas, per saxa: sonat tibi gratus Adonis,
A ntra per, & ualles resonat formosus Adonis.
H uc ô Adoni ades, huc ades ô mihi dulcis Adoni.
A ddis & his etiam suspiria. Suspirarunt
E t tecum salices, & tecum flumina. Dumq́;
E t flectunt salices ramos, & flumina cursum,
I llicet & salices frondeis, & poma tulerunt
H esperidum nemoris, nam sic dea grata tulisti.
I llicet & fluuij gaudent cyrenide sylua
D elituisse, nouoq́; comas nituisse decore.
G audet & ipsa suo Verona ornata Catullo,
A ltisonisq́; fauet reflexa è montibus Echò,
S irmiaq́; auratis resplendet rura uolemis.

DE ALTITVDINE SCROBIVM.

Sed tamẽ & scrobibus modus hic erit, ut neq; in altũ
D esideat nimis, ut quantum radice profunda
H æserat, hoc paulò iaceat plus, eq́; lacuna
H auriat ut solitos imbreis madidumq́; fluentum.
T um baculo, aut pedibus facilem calcabis arenam.
P arce tamen teneris fibris, cautusq́; benignam
A ffer opem, indulge & leuibus pueriliter annis.
H æc inter Geniumq́; loci, Nymphasq́; sorores
I mplora auxilio, & faueas simul auspice dextra.

SERENDAS ESSE CITRIOS
natiua cum terra, & palis fulciendas.

Quinetiam uellens fosso de gurgite plantam
Rursus & infodiens, dextra fautrice uideto
Cum tenera radice simulq; haurire, simulq;
Natiuæ infodere & multum telluris, ut hærens
In patria poßit melius consuescere terra.
Ipse uides puerum materno lacte repulsum
Indignantem alio ductare è pectore mammas,
Vberibusq; alijs dulceis haurire liquores.
Altera confestim subeat te cura, ualenti
Sistere eam uallo, socijsq; adiungere truncis,
Ne uenti excutiant teneram, ne uerbere torto
Auferat inducto Boreas immanis hiatu,
Et sublime uolet rapidis iactanda procellis.

FERRO COERCENDAM
esse luxuriem.

Ergo & ubi in ramos frondens sese extulit, actis
Sub terram sparsim radicibus, inijce ferrum,
Cæde manu, ne in luxuriem fundatur inanem.
Nam ueniet quocunq; uoces. Sed frigora uita,
Néue altè inflictum cera contingere uulnus
Sit pudor, urat ne calor, aut ne frigora lædant.

DE PROPAGINIBVS
procurandis.

Atq; hinc quo cultu Citrij, quáue arte, uel usu
Proueniant, paucis (nam nec sunt multa) docebo.

Partem

P artem etenim inſitio, partem ſibi ſemina, partem
V endicat in generis ſobolem producta propago.
E rgo ubi ſubductum fœlici è matre flagellum
V ideris, hoc gladio medium feri, & inijce ſaxum,
Q uà uulnus patet, & plagæ ſic conſule hianti.
I nde terebrato per aperta foramina fundo
F ictile conijcias, pulla & mox obrue terra,
N ec ſit parca manus ſtillanti infundere gutto.
R adicem lento ducet de cortice ramus,
S ubijcietq; nouas geminato ex ubere uires.
E rgo ubi in Italiam quater aduentauerit ales
D aulias, i, reſcinde manu, atq; excîde ſecuri
F rondentem ramum, & terræ committe ſubactæ
O ptatam prolem, fibris, & fronde uigentem,
O rnet ut excultos & flore, & frugibus agros.
Q uinetiam quum ſe felici matris in umbra
E duxit ſoboles, ferro diffinde, & adactum
I nfigas lapidem, ducto mox infode ſulco,
C reſcet in immenſum multa radice uirago.

DE SEMINIO FACIENDO, & colendo.

Si tibi ſeminium curæ, primum elige terram
S ole ſub aprico, nulli quæ obnoxia uento.
H anc ualidis raſtris, & duro uerbere marræ
D iſcute, & in tenuem redigas ſtudioſus arenam.
H inc ſemen legito: lectum grauiore notatu
A equatis ſpatijs ſerito, dextraq; fideli

I nfodito: infossum solito de more rigato,
E t studiosa manus diuellat gramina circùm.
N on mora, iam toto tollent sese agmina campo,
E t paribus spatijs, æquato & Marte ferentur.
H inc breuibus uallis sub signum figito, & herbas
I pse manu legito, lectas sub sole cremato,
S æpius & duris agitato bidentibus, altè
F rondentem syluam, Zephyrosq́;, aurasq́; cientem.
Nec uero non illa tibi sit maxima cura,
E t pubi teneræ, & postquam sese extulit arbos,
S ordenteis soleas, simul & præsegmina tetra,
I lluuiem immundam, craßisq́; liquoribus haustam
I ngerere, humorem ut lentum radicibus imis
I nstillent imbri, atq; actis fluuialibus undis.
Præcipue fœtus grauidos, nitidamq́; iuuentam
P ræstabunt infossa canum tibi squalida tabo
C orpora, dum pingues gaudent uligine fibræ,
L uxuriantq́; hyeme in media, atq; arentibus aruis.
N ec dubita aggestum cinerem, squalentiaq́; ossa
M ersa solo infodere, aut hominū excremēta suum'u
I nferre, aut lætis sparsim radicibus, urnam
F undere, & humani maleolentia flumina lotij,
N octe tamen, ne te petulans uicinia damnet
N idore offensa, & grauiter spirantibus auris.

EVAGATIO QVAE-
dam poëtica.

Iam tempus legere, & cultis disponere in hortis,

Et tondere

E t tondere manu, & riuos agitare sonanteis,
C olligere & plenis redolentia Citria ramis
A estiuum ad solem, & uento crepitantibus umbris.
C olligis ipse manu: Coniunx in parte laborum
D ulcis adest: capit expensis de fune canistris,
E t mirata, sinum pomis grauioribus implet.
E t memini (astabat coniunx) floresq́; legentem
I dalium in rorem, & Veneris mollissima dona
A mplexata uirum molli desedit in herba,
E t mecum dulces egit per carmina ludos,
Quæ nunc Elysios ô fortunata recessus
L æta colis sine me, sine me per opaca uagaris
C ulta roseta legens, & serta recentia nectis.
I mmemor ah, nimiumq́; tui studiosa, quietos
V mbrarum saltus, & grata silentia captas.
S parge puer uiolas. Manes saluete beati.
V xor adest, Ariadna meis oneranda lacertis.
O felix obitu, quæ non uiolenta Brigantum
P erpessa imperia, quæ non miserabile nati
F unus, & orbati senis immedicabile uulnus
V idisti, & patrios fœdata sede penates.
S ed solamen ades, coniunx amplectere, neu me
L ude diu, amplexare uirum, ac solare querentem,
E t mecum solitos Citriorum collige flores.

FRVCTVS CITRIORVM ALIOS dulces esse, alios acrimoniosos.

Est uero & duplex Citrij genus, & quod amores

I ucundos referat, dulceis & Adonidis ignes.
S ic placitũ Veneri. Dulce hoc, quodq́; acre, dolores
E t tristeis luctus, & lamentabile funus
S orte refert, suus ut lachrymis ne desit amaror.
R ara sed Ausonio, Lamiæq; in littore fœtus
D at dulceis, succosq́; frequens meditatur acerbos.
C ontrà Solis ad ortum, atq; in Gangetide terra
S ponte sua dulcem uictum, ac redolentia ramis
M ella liquat: fluit eq́; Indis liquor Atticus hortis.
N uper enim Hesperio oceano Calletia pubes
D igressa, ignotosq́; locos, et inhospita sulcans
A equora, non solitos tractus, noua littora obiuit,
E t procul arentis Libyæ penetrauit arenas
A udax, nec notas, pontus quas circuit, urbes.
H inc Austro approperans, cœloq́; intenta cadenti,
S yderaq́; aduerso seruans labentia mundo,
I ncidit obscurum gelidi Aegocerotis in orbem,
A ttonita & rerum nouitate, umbrisq́; locorum.
I nde pedem referens Praßi conuertit ad oras,
B arbaricũq; fretum exuperans, Rhaptiq́; procellas,
T andem gemmiferos Indi defertur ad amnes,
L ittoraq́; è Citrijs semper fragrantia syluis,
E quibus Hyblæosq́; fauos, & Hymetia fœtu
M ella dari, dulcemq́; refert è cortice rorem
S ponte quidẽ, at succos longè indignanter amaros.
V sque adeò cœliq́; situs, solaq́; abdita terræ,
E t soles uariant ipsi, positusq́; locorum.

Ergo

Ergo alibi natura ſuo ſe robore firmans
I ndiga nil opis eſt noſtræ, uictrixq́; ſuperbit.
A ſt alibi curasq́; hominum, atq; inuenta requirit,
O bſequiturq́; arti, & legum ſeſe arctat habenis.
N anq; hæc ſponte ſua, quædam ſe in luminis oras
E ducunt, matrisq́; ſuæ tolluntur in umbra.
I lla hominum expectant operas, manuumq́; laborē,
N aturæ tacitum munus: nam prorſus ad artem
I nſitio eſt referenda, humanæ & mentis acumen,
D e qua pòſt in parte ſua, ſuo & ordine dicam.

QVOMODO CITRIA
fiant craßiora.

Sin curæ tibi ſit grandeis educere fœtus,
E t patulas implere manus, age, decute ramis
C reſcentem prolem, è multis ut pauca ſuperſint
P oma, ſed & maiora, loco & magis auſpice nata.
V beriore etenim ſucco lætabitur hæres
F raterni lactis, uacua & dominator in aula.

QVOMODO CITRIA TOTO
anno inſideant in arbore ſua.

Néue autem toto fructus tibi deſit in anno,
C arpe manu partem, & plenis bacchare caniſtris.
Quæ reliqua eſt, grauidis ſinito gaudere uolemis,
C onfeſtim, qua parte dolet uiduata, recentem ſe
I nduit in florem, atq; implet ſpe diuite ramos.
S ic etenim alterno diteſcet ſylua metallo.

DE RATIONE DEcoris hortensis.

Nunc quæ sit formæ ratio, & quæ cura, docendum:
V ndiq; quo decor ipse sibi, & noua gratia constet.
N ec frustra ueteres Veneris referentur amores.
N on aliâs cultu maiore incesßit Adonis
V enatum, non Niliacas spectatior unquam
I n syluas, non antè Venus maiore paratu
O rnarat, quàm luce quidem qua fossus ab apro
C oncidit, & nigras tabo madefecit arenas.
C ingebat crimem myrrhæ de palmite ramus,
A d fontem roseus diffulgebat hyacinthus,
S uccincta & nitidum uelabat purpura pectus,
C ollaq; fulgentes uariabant candida baccæ
S parsim purpureis, & cœruleis immistis,
C ingulaq; auratis radiabant aspera bullis,
E latis humeris pendebat aheneus ensis,
A d capulum uiridis fulgebat in orbe smaragdus,
I nterstincta auro uagina, argentea cuspis,
C rura Cleoneæ uestibant leuia pelles,
D istinctiq; auro Tritones, & aurea cymba,
Q ua quondam Paphias Venus ipsa enauit ad arces,
H orrebant manibus duro uenabula cornu,
E t paribus nodis, paribusq; nitentia gemmis.
T alibus ornatum in syluas dea mittit opacas,
O sculaq; in roseis linquit signata labellis,
A rboreos igitur cultus dea poscit, & ipsis

Ornatu,

Ornatu, atq; auro longè splendescere in hortis.
Quocirca quum primum ætas feret, ipse benigna
Siste manu plantam, rectoq; in stipite firma.
Si quid & incultum ferro preme: ferrea cera
Vulnera perlinito, frigus ne permeet artus,
In conum crescat facito, ramosq; fluenteis,
Sedulus attondeto, & legem frondibus indito,
Usq; suus puero ne desit lacteus humor.
Tu tenui calicem suspende in palmite filo,
Imple & aqua, tenuemq; in aquã mox iniice uittã,
Quæ labro emineat pendens, quæ stillet & usq;
Languentem rorem, leui qui cortice labens
Ducat limosam gutta fluitante lacunam.
At postquam sese summas subduxit in auras,
Et felix trunco, & ramis frondentibus arbos,
Liberior tibi sit, durata & frigore, & æstu.
Non omnis tamen aut labor est, aut cura neganda.
Nec tu parce oculis, dextræ si parcis, nec te
Aut sobolem mirari, aut ramos sorte grauatos,
Aut pigeat medijs laudare in solibus umbras,
Aut genio indulgentem agitare choros, & iniquo
Sole sub, appositisq; toris, mensaq; beata
Ludere, fumosum puero fundente falernum.
Interea florum nimbus cadit, & fragrantem
Ad prædam coniunx, ad prædam nata, generq;
Surgit læta toris, & flore exultat honesto,
Quem lectũ liquat, ac thalamos inodorat, amorumq;

Ipsa uiri memor, & uestes intingit, & ora.
Ergo & frondentem bruma mirabere, & æstu
Florentem, auratis utroq; & tempore malis
Fulgentem, cole sub niuibus, sub sydere Cancri,
Nocturnis neu parce operis, neu parce diurnis.
Quoq; modo id facias exempla antiqua monebunt.
Riuus aquæ fluat, aut fontes roratilis urnæ
Muniat elatus paries, Daphneia laurus
Multa tegat super, & grato tueatur amictu,
Arceat & fulmen. Quoties & cura uocarit,
Sparge fimum, calcis tumulos age, néue niualeis
Sistere per ramos patitor, sed discute nimbos,
Ingenteisq; cita fumos, & confere pugnam
Flatibus hybernis, culmoq;, & crate saligna,

POST RIGIDAS TEMPESTA-
tes non esse amputandas.

Sed memini quum nullæ artes, non arma, doliq;
Vim cœli aduersam ferrent, periere comantes
Syluæ, obriguere gelu nemora omnia, latè
Irrumpit mors, intereunt decora alta sororum
Hesperidum, sæuit Scythicis Aquilonibus aër,
Concreta & solitos sistunt caua flumina cursus.
Quod quando (auertat Venus ipsa) rigentibus Euris
Contigerit, neu tu gladio, neu cæde securi
Arenteis hortos, sed calce, sed imbre madenti
Affer opẽ: hoc sæpe ipse hyeme, hoc & uere tepenti,
Deceptum nec te fallet labor. Ecce repente

P ullulat ab radice, aut summo stipite lætus
E ffundit gemmas, turgenti & germine frondet.

DE DISPOSITIONE
Citriorum.

Si te delectat species quadrata phalangis,
I n quadram dispone: acies si forte Latina,
P orrige & in longum: sin & per florida rura
S parsa manus, decor ipse auriq;, & gloria frondis
E st eadem: nitet in medijs stirps aurea lucis,
Qualis mane nouo quum se fulgentibus astris
E xtulit Oceani formosus lucifer unda,
Quocunq; inspectat, quoquò sua uerterit ora,
N il illo radiat fulgentius, omnia cedunt
A stra simul, toto exultat Venus aurea cœlo.
Et quoniam assuetudo mali, ueterumq; laborum
N aturam exuperet tolerando, & acerba ferendo,
I dcirco uideas syluestri sæpe recessu
N on ulla rastrorum opera, manuum'ue labore
E t fructus párere, & solidis frondescere campis
H esperiam citrium, inculto & dominarier aruo.
H inc alij postquam è sulco sese extulit actis
S ub terram latè radicibus, & stetit artus
F ixa solo, minus indulgent, operamq; remittunt,
A teneris quo consuescant niuibusq;, sitiq;.
N ec uero cultusq; soli, aut uis falcis ahenæ,
A ut tantum iuuet undanti de tramite riuus,
Quantum Auster, Libycoq; ruens de littore flatus

A utumno noceant. Perit hic labor omnis, & ille
A h fructus decor, ac frondis squalescit, ut arbor
A rescat uiduata, ut ramo & fronde perusta
M œreat, heu liquidis nil proficientibus undis.
E rgo altas sepeis prætende, & brachia iunge
D ensorum nemorum, & clypeis ramalibus obsta
A duersæ lauri, aut quercorum umbrante cohorte.

DE OPERE TOPIARIO.

Quòd si nec studium frugis, nec cura mouebit
H ortensis lucri, nemoris sed sola uoluptas
Q uæritur, & uarijs umbracula nota figuris,
A ntè locum capias, quem fons, aut flumina propter
L apsa fluant, unde & riuus ducatur aquarum,
A ut puteus propius scateat, ne forte per æstum
L anguescat moriens, mox & rigor asper adurat,
E t labor, & syluæ pereant incepta superbæ.
P arietibus mox obde, futuras ante procellas
A uertens: post hinc quadras age, dirige fossas,
E t dispone locos, & uallis agmina cinge.
I nfode dehinc tenerã prolem, & sere tramite certo,
E t uinclis obstringe, obeunda ut munera discant
A pueris, sed quisq; suo spatioq;, locoq;.
I nde ubi & aßiduo cultuq;, operaq; magistri
P orrigit & ramos, & frondeis explicat arbos,
A d munus lege quanq; suum, & dispone figuras,
G ratum opus, informemq; gregẽ ad speciosa uocato.
H æc altam in turrim, aut in propugnacula surgat,

Hæc

Hæc arcum intendatq́;, & ſpicula trudat. At illa
Muniat & uallo foſſas, & mœnia cingat,
Illa tuba armatos ciat, & uocet agmen ad arma.
Altera tormento lapides iaculetur aheno,
Diſcuſſet caſtella, & ruptis agmina muris
Immittat, factaq́; acies (immane) ruina
Irrumpat, portis & congrediatur apertis,
Diruat & captam irrumpens exercitus urbem.
Ars igitur, tempusq́; & uis innata perenni
Cura hominũ, nemora in lanas uertere, ut in hortis
E folijs, ramisq́;, & diuerſis contextis
Iam uideas fulgere nouis aulæa figuris.

ARBORES CITRIOS
diutius uiuere.

Nec uero ſpatium uitæ breue, ſeu breue tempus
Eſt Citrio: æternum genus, immortalis origo,
Et ſpecies æterna quidem. Stirps Citria longum
Ipſa manet, ſecla exuperans, & iungere ſeclis
Secla parans: trunco extincto mox ſurgit & alter,
Inde alter, uictrixq́; diu ſua robora ſeruat.
Sic placitum Veneri, & Parcæ ſtatuere fauentes,
Quæ rerum ſeriem, & fatorum arcana miniſtrant.
Nanq; ferunt rurſumq́; colos, & ſtamina retro
Cœpiſſe, & uerſos rurſum in contraria fuſos
Voluere fatorum dominas, quo lucis in auras
Extinctum reuocent uitæq́; ad munera Adonim,
Et Veneris dulces iterum inſtaurentur amores.

N õ passa est dea dũ uersum in noua corpora mõstrat,
D um folijs simul & pomis longum optat honorem.
I lle igitur properare manu, atq; euoluere pensa,
T enuia pollicibus formabant ducta supinis,
A tq; eadem impreßis purgabant morsa labellis.
D iscolor at positis uariatur lana canistris,
C œrulaq́; uiridisq́;, alboq́; insignis, & aureo.
C œrula dum digitis intorquent fila, uirensq́;
S ubtegmen neitur, stipes se subijcit, alti
I n latum pandunt rami, & noua prouenit arbos,
A c sensim patulis adolescit frondibus umbra.
I nde canunt: Cresce æternum uictura, perenne
S eruatura decus foliorum, & diuitis umbræ
O rnatura domos procerum, atq; palatia regum,
M ateriamq́; datura sacris pòst uatibus arbor,
A tq; hinc candentis deducunt uellera lanæ,
D iuinumq́; labris stillant fragrantibus imbrem,
S tamina quo intincta, & fusi simul omne uolumen
I n flores uertuntur, opacaq́; sylua nitescit
C andore, & uiridi miscent se ebora Indica gemmæ,
A emulaq́; Aßyrios spirant pomaria odores.
I psæ autem tenerum solantur uoce laborem.
F undite odoratos flores, nemora inclyta luxu
P erpetuo, & ramis semper florentibus horti,
S emper odore nouo, semperq́; uirentibus umbris
A eternum Veneris monimentum insigne & amorũ.
M ox & se positis educunt fila quasillis,

A urea fila,cauumq́; rotant implexa ſub orbem,
I llicet Heſperijs illa intumuere uolemis,
P omaq́; penſilibus micuerunt aurea ramis,
I nſolitum radiat folia inter opaca orichalcum.
T um Parcæ auſpicio cecinerunt omina læto,
E t fructu felix, & flore, & fronde recenti:
V iue arbor,ſupera & ſeclis labentia ſecla,
H ortorumq́; honor, & nemorũ,ac geniale domorũ
D elicium,tua uel reges umbracula captent,
I pſaq́; continuis iuuenum celebrere choreis,
T e conuiuia,te thalami,nuptæq́; frequentent,
S emper ament quicunq; tua uerſantur in umbra,
A ßiduum referant frondes uer,æmulus aurum
F œtus,& argento niteat flos concolor albo.
S ic placitum: ſic fata neunt: Amathuntidi ſic ſtat.
Ergo agite ô teneræ colitis quæ flumina Nymphæ
F undana, & Lamios riuis trepidantibus hortos
P hormiades Nymphæ,quæ roſcida culta Sueſſæ,
Q uæq́; & Amalphæos ſaltus,fulgentiaq́; auro
S irenum rura, & fuluis ſata ſaxa metallis.
H oc agite,ô roſeæ mecum ſua ſerta puellæ
F erte deæ, uarioq́; halent altaria flore,
S piret & è nitidis genialis amaracus aris.
M agna Iouis proles,eadem pulcherrima mater
A eneadum,tibi nos meritos largimur honores
I dalij regina,tuos nos pangimus hortos,
E t tibi Arangææ creſcunt ad flumina ſyluæ

Mœriadum, & littus felix, Bereniciaq́; arua.
Tu stirpem dea, tu Citrios defende comanteis,
Arce æstum, compesce niues, & frigora pelle,
Siste & ab Arctoo perflant qui cardine uenti,
Perpetuum Niasæa decus frondescat ut arbos.
Hæc ego. Vos autem placidißima numina Nymphæ
Oscilla è summis suspendite mollia ramis,
Formosumq́; sonent & ripæ & littora Adonim.
Pars choreas agitate, deumq́; ad festa uocate.
Pulcher ades, felixq́; ades ad tua munera Adoni,
Et cape Partheniæ nectunt quæ texta puellæ,
Texta auro radiata, & flore nitentia uerno,
Quæ referant ueteres formosæ Amathusidis ignes
Nos canimus: fauet en facilis cantantibus Echò,
Et diuina procul responsant antra sororum.

IOAN. IOVIANI PONTANI de Hortis Hesperidum, ad illustrißimum Principem Franciscum Gonsagam, Mantuæ Marchionem, liber II.



IAmq́; alios uocor ad cultus, aliumq́; laborem
Hortorum: neque enim simplex genus, unáue stirpis
Hesperiæ soboles, ratio aut tantum una colendi.
Acrumen genus omne, nouo sub nomine, plureis

Diditur

D iditur in parteis, uno quæ cortice fœtus
D ant alios tamen, atq; alio se stipite tollunt.
P ars exacta quidem prima est: nunc ô mihi natæ
P leiones astate, atq; aspirate canenti.
V ester honos agitur, uestro sub numine crescit
H oc opus, & uestris mea tempora cingite sertis.
V os quoq; adeste simul, facilesq́; estote puellæ
H ortorum memores. Tuq́; ô mihi culta Patulci
P rima adsis, primosq́; mihi dea collige flores,
I mpleat & socios tecum Antiniana quasillos,
S ic tibi perpetuum spiret rosa, floreat urna,
S cilicet urna tui qua conditur umbra Maronis,
A mbrosiæ fundant riuos, det nectaris amnes,
M incius & niueos semper tibi pascat olores,
E t lætata suos iteret tibi Mantua cantus,
M antua diues auis, diues Gonsagide prole,
A c noua Lucrinæ stupeant ad carmina cautes.
S istat & ipsa suos mirata Neapolis amnes.
Tu quoq; partem hanc Phaurusij ne dispice ruris
F rancisce, armorum & studijs quandoq; remissis,
N eu tibi displiceant syluæ Stacharitides, aut te
N on capiant fuluis radiantia poma corymbis.
M ars belli decus, ipse deus, belliq́; repertor,
E t Venerem, atq; hortos amat, atq; hortensia dona,
E xemplumq́; dei sequere armipotentis, & artes.
N anq; tibi Aethiopū è campis, Garamantide ab ora
P oma fero, poma excubijs uigilata draconum,

H erculeæ meritum clauæ, noua munera gentis
R omulidum, ætherijs famam quæ sustulit astris.
E cce autem, num'ne hæc cœlo delapsa liquenti
S tella nitet? num forte nouum sese exerit astrum,
E t felix astrum, & nostris aura addita cœptis?
E n uirides Citro syluæ? en limonia rura
P rætendunt frondes? en quæ panduntur & umbræ?
Quiq; aurum luci? nemora & generosa metallum
I rradiant? quibus ipsa nitent ramalia gemmis?
A n coniunx Ariadna uiri memor, & memor horti
S ese offert? ô hortenseis miserata labores
V xor ades. Cape rastra simul, cape sarcula, & ipsis
I nnitens incumbe bidentibus, & frondosas
F alce premas Citros, simul & rorantibus urnis
F unde amnes: spument plenis stagna ipsa lacunis.
A c tandem iuuet optatos decerpere flores,
E t fructus legere, atq; æstus uitare sub umbra
D ucentem socias Nympharum ad plectra choreas.
V os mecum Vranie Aonium instaurate laborem,
A c mecum auricomas Citrorum pangite syluas.

DE CITRO, ET EIVS CVLTV.

Hesperidum in syluis, Niasæi & margine fontis,
N ec fructu, nec odore Citro, nec munere mali
P ræstat adhuc arbor : tantum sibi sumpsit honoris,
S i sit & ipsa arbor: nam stipite debilis imo
N ec cono insurgit, nec in aëra tendit apertum,
V iribus at defecta suis aliena moratur

Præsidia

P ræsidia, & uallis adiuta potentibus, altè
E xplicat & ramos, & sese extendit in artus,
I nsignis fronde, & fragrantis imagine pomi.
T anta etenim cœli mole, ac uertigine pressus
A tlas, dumq; humeris timet, et prospectat olympo,
I nnisus Citro, & femur, & uestigia firmat,
I nconcussa tenens firmatis terga lacertis,
S uffecitq; oneri, & mundum ceruice refulxit.
H inc manet accuruata, & palmite flexilis arbos,
T estaturq; senis cedentia membra labori,
A t diuem meritis & fructu, & fronde superbit
I ndignata umbras nemorum, cauaq; antra ferarum.
Ergo illam quernis in postibus, inq; dolato
R obore constitue, & multo cum uimine uinci,
I mmißisq; hastis, traiecta consere canna
A pricum ad Solem, auertens boreamq;, niuemq;.
E ffunde & laticum scatebras. Ne absiste nouare
T ellurem, radice procul, neu neglige campæ
I ngluuiem cohibere manu, seu carmine dicto
P ellere limitibus, magicoq; auertere cantu,
T er quod anus succincta irato immurmuret ore,
I nuocet & manes, lethææ & numina ripæ.
Prima igitur florum tibi cura supersit, & omne
I mpende huc studium: nam si te gloria rerum
D electet, iuuet Hesperij & præstantia ruris,
N ec mora, dum grauidos oneret uindemia ramos,
G randiaq; infixis mirere & mala columnis,

V t timeas pendentem alta de mole ruinam,
V t medijs persæpe Decembribus, inq; furenti
S olis anhelantis rabie sit cernere gentem
I n florem ruere, & fructus properare recenteis.
A nnua quanquã & bima, simulq; & menstrua pubes
P endeat uberibus, fraternaq; brachia latè
D iffundat: domus alta nouis lætatur alumnis.
V sque adeo furit in Venerem generosa propago,
N atorumq; & amor trahit, & cura illa nepotum.
E rgo age crescentem prolem à borealibus auris,
E t culmis tueare, iniecto & mergite farris,
A ut grauido centone, aut uimineo contextu,
F rigora ne perimant, pereat labor irritus anni.
N ec pigeat scenam frondentem æstate superne
I nijcere, & ramis prohibere tenacibus æstus,
F eruenteis æstus, rapidi & fera uulnera Cancri.
Q uanquam sole suo, gaudetq; calentibus aruis,
E t patriam Aethiopem meminit, Maurysiaq; arua.
S terne & humi calidumq; fimũ, lapidesq; recoctos,
D um cœlum riget. Ast utroq; in tempore largos
F unde imbreis, inuerge urnas, & flumina sicca.
V ere autem quum priscus honos hortis redit, & quũ
G arrula limosas sedes molitur hirundo,
A c tenui solitum frustratur uoce laborem,
F alce premens Citri syluas, annosa recidens
B rachia, non tamen ista tibi sit, ut annua cura.
T um fragmenta lege, & ramos secerne ualenteis,
Obliquosq;

O bliquosq́; infige solo, tamen ut capite extent,
S tipitis aut truncum, gladioq́; & falce dolatum
I nfode, & in tenui nudatum contege sulco,
C ontinuò ingentem uicino ex amne paludem
E lice, diluuioq́; comas immerge salubri.
H aud multum fluet: emerget uastißima sylua,
S olaq́; præcultis regnabit Citrus in hortis.
P endebunt grauidis tabulata aurata racemis,
Q uæ mox lecta tibi natalibus annua festis
O rnentur mensis, circumq́; domestica pubes
L ibet & ante focum melle illita, & undiq; turba
C lamet, iò bonus annus eat. Tu flatibus Euri
N e noceant, memor anteueni, siue obice firmo
P ræruptorum operum, longi'ue crepidine saxi:
A ut aduersa procul depulset uerbera laurus.
A ut circum ramosa abigens testudine cinge,
A tq; Austro tueare unà, atq; uredine salsa
D efensor nemorum, generosiq; incola ruris,
S i te cura mouet tantorum & fama laborum.
S in forte in uarias iuuet & te ducere formas
N ascentem Citrum, mutato & corpore mâla,
T u faciem è ligno argillæ, aut de cespite ductam
S ubijce, & infantem tenerum nutricis amato
C onde sinu, paulatim artus formabit, & inde
D ucet inumbratos signato in cortice uultus.
O ccultas natura hominum miretur ut artes,
S pectatum ueniant non nota ut poma Napææ,

V t Pomona suo lætata assurgat honori,
E xultansq; nouis plaudat Zephyritis alumnis.
E st nemus extremis Calabrûm inuiolabile terris
D ijs sacrum patrijs, multa & pietate uerendum,
A rborei diues fœtus, uolucrumq; rapinis
O pportuna domus, tuta & spelæa ferarum:
H oc nemore ex ipso, lucisq; horrentibus olim
A duectam memini stirpem, quæ Citron ab omni
P arte, & odore quidem, folijsq;, & flore referret,
S ed fructu uariata, & longè aliena figura
V ix orbem retinens: protento at corpore longos
S ese agit in ductus, uaria & trahit agmina cauda.
Quid moneam, ne te capiat tam indigna cupido
H ortensis monstri cælatam implere tabellam?
A h procul infamemq; notam, atq; auerte pudendum
D edecus. En formosus adest chorus: ecce puellæ
I am cupiunt legere Idalios, & iungere flores,
N e prohibe Idalias carpendo à flore choreas
I nfami portento, aut sæua ab imagine terræ.
N eu pudor inficiat, néue ora tenerrima pallor
D eformet, suppressa tegant ne lumina palmæ.
A eternum tibi sic niteat uer, aurea semper
M ala adsint: spiret Syrios procul hortus odores,
N ullo & Acidalij desint tibi tempore rores.
T u uero prolem ut teneram tueare, benignis
I ndulgens studijs, maioraq; corpora formes,
F ige trabes, tabulata simul dispone, & in altis

Infantes

I nfantes insterne cubilibus, & frondoso
S iste toro: ducent placidam per amica quietem
O cia, ut ignauos sopor, & cibus impleat artus.
S i curæ tibi sit lecta è frondentibus hortis
S eruare, ut uiridem teneant annosa uigorem,
H oc age: Carpe manu in tenebris in nocte maligna
F rondentem ramum, frondenti & palmite mâla,
P almite cum ualido frondem retinentia, ramumq́;,
E t tibi nulla suas ostendat Luna tenebras,
L una soporiferis sub terras abdita bigis,
M ox illa in latebris unco suspende tenaci,
E t blandire manu, & uentorum auerte procellas,
A ut paleis strata, & stipulis arentibus, inde
S eruabunt nitidam propria cum fronde senectam.

QVO DIFFERAT CItrius à Citro.

Hoc uero differt Citrio Citrus: illa superbos
S ese agit in ramos, procero & stipite surgit:
T ermite at hæc fragili, lentoq́; cacumine terras
P rona petit, fixisq́; cadens incumbit in hastis:
H uic maior folijs odor est, & fœtibus: illi
F loribus, æterna sylua uestitur uterq́;
S tipes, & æternam ducit sub fronde iuuentam.
F los illi albescens, medioq́; interlitus auro,
H unc inspersa notat postremo purpura limbo.
E rgo ab odoratis maturo tempore ramis
A urea poma legunt, plenisq́; relata canistris

S uffigunt laribus, diuûmq; altaria donant
P rimitijs, sertisq; deos halantibus ornant.
S epositas etiam uestes, Lucensia texta,
A tineis tutantur, odore medentur & ipso,
A rcent & Tyrios tetra à rubigine comptus.
M unere quinetiam mâli frondentis, ab alto
O ceano (nam prisca quidem sic credidit ætas)
P leias Alcyone Neptunnum ad littora traxit,
M ulta querens, fragilemq; fidẽ, thalamosq; negatos,
E t sibi præpositos Stachiræ Phaurusidos ignes
C lamabat, dextraq; & serta, & poma tenebat
I nfelix coniunx. Ac nunc miseranda, papillas
N udabat, roseoq; sinu inuitabat amantem,
N unc exerta genu, primasq; illapsa per undas
C andida reiectis ostentat crura cothurnis.
N unc effusa comas, scopuloq; insignis ab alto
C rudelem uocat, ac uires superante dolore
L abitur exanimis, siccaq; insternitur alga.
S ensit fragrantem extremo de littore ramum
N eptunnus, captusq; aurati munere mâli,
E t serto insigni, lachrymis quoq; uictus amantis
C urrit in amplexum, cupidisq; extollit in ulnis.
I lla uiri ut gremio intepuit, calidusq; per ossa
I gnis it, amplexu & tenero fouet ora mariti,
O rnauit serto caput, atq; Cloneide fronde,
I mpleuitq; sinum pomis felicibus, auraq;
E xtinctos reuocat prærepti coniugis ignes.

DE LIMONIBVS,
& earum cultu.

Tertia iam ſuperat Limonis cura colendæ,
E t rarus labor, & cœpti meta ultima noſtri.
A dſitis Nymphæ Cyrenides, ô mihi Nymphæ
M aſitholæ aſpirate, ô quæ Paliurides umbra
G audetis, iuuat & fluuios habitare receſſus,
E t Citri iuuet umbra, iuuent Limonides auræ,
H eſperidum & ueteres cantu renouemus honores.
I n manibus nemus auricomum, Chariteiaq; arua.
V eſtrũ opus ô Charites, ueſtro nam munere quondã
I tala Limonem nouerunt littora, nam uos
E t cauſam meminiſtis, eam & memorare poteſtis,
N ec ueſtris meritis, æternæ aut parcite famæ.
Fonte Niaſeio ſeſe Venus aurea quondam
L auerat, & peſſos comebat nuda capillos,
P urpureo Charites pingebant ora colore,
A mbroſio & niueas afflabant rore papillas.
E cce puer paßis uolitans ſuper aëra pennis
L ætus adeſt. Matrem amplexus, noua gaudia portat.
T e Syreneis fœlix hymenæus in oris
E xpectat, thalamosq; parat Magnetis Amalphis.
I propera, Italicos illic mollire triumphos
M ater. Ament & ſaxa. Atq; hæc effatus hiulco
O re ſimul genitricis & ora, & labra momordit.
S ubriſit dea, & allectis Tritonibus, altum
I re parat. Dum colla Venus, dum pingit & ora

A d thalamos uentura, & amor dum territat arcu
S emideos maris, & ponto minitatur, & undis,
I nterea Charites Limonia dona pararunt,
Q uæ ferrent nuptæ, triplex genus: Altera fœtu
E xiguo, atq; acrem gustu referentia sensum:
A ltera quæ fructu maiore, & rorida succo
V beriore, sed oblongo tamen utraq; ductu:
T ertia quæ grandi fulgent onerata uolemo,
A c Citrij referant sinuosa ab imagine formam,
S ed succo ingrato, quemq; ora offensa recusent.
H ic tamen admotusq; foco, sensimq; recoctus
I nstillante anima, ac tenuem cõuersus in amnem
O ra puellarum maculis lauit, & candorem
I nducit, nitidis per colla argentea guttis.
E rgo ubi concinuit festis hymenæus, & ipsa
F essa est aßiduis ludens Cytherea choreis,
M unere felici Charites Nereida Amalphin
D onarunt: fuit & teneris sua gratia uerbis.
H inc rarum acceßit decus hortis, & noua syluis
G loria, gemmiferis fontes nituere sub umbris,
C andidaq; auratis fulserunt littora ramis,
H inc & stirpis honos, hinc & Chariteis Amalphis
M unere Limonum, & nemorum redolentibus auris,
O rnauit thalamos, felixq; hymenæus & aras
P inxit flore nouo, sparsitq; Atlantide fronde,
E t paßim stratis lætata est alga metallis.
Q uòd uero aut uiridem trahit à radice colorem
Frondibus

F rondibus ac fructu, aut acuit sensumq́; , palatumq́;,
H inc nomen dubia certum sub origine mansit.
E st idem cunctis cultusq́; , & cura, & iniquum
C œlum indignantur, frigusq́; , æstumq́; grauantur
M asitholæ Limones. At humida flumina poscunt
A uxilio, & densas laurorum in prælia turmas.
S ed minor illa quidem cultu maiore tuenda.
N anq; tegenda hyemi tecto, ac stipanda maniplis,
E t circum tabulata fimo iungenda tenaci,
N e cœli rigor, aut Boreas immanior urat:
N am neq; sic thalamis clausis assueta puella
F ota sinu genitricis, & ostro induta nitenti,
A ut timet obstrictas gelidis Aquilonibus auras,
F rigoris aut rabiem sub iniqui sydus Aquarij.
I dcirco Solem spectet: post terga uirenti
S eu lauro, seu rore maris cingenda, nec unquam
S ola hyemi credenda tibi Chariteia Limon,
E t florem semper, pariturąq; semper honorem
A urati fœtus, ramo & placitura comanti,
Qualem prærupti sub uertice montis, adeso
L ittore, secessu in molli, sub rupe cauata,
E t Baccho felix, felix Amathuside myrto,
F rondenti & lauro Neptunnia Mergilline
L æta colit, non æstus eam, non frigora tentant,
N on riui crepitanis opem, non fictilis urnæ
E xoptat sitiens, large quam Thespias unda,
A ctiaq́; Aonijs irrorent dolia lymphis.

A h fatum crudele hominum, & ſors inuida uotis,
I gnotos nunc per populos, per Gallica regna
H orrentem ad Rheni ripam, atq; ad norica ſaxa
E xulat, oceaniq; uada ad ſqualentia tabo
N auifragum, extremos queritur ſyncerus ad axes.
I nterea ſitiunt Citri, ac Limonide in umbra
T orpet humus: decor ille horti fragrantis, & aurea
P leiadum intereunt mâla, ac ſine honore relictum
L ittus, & errantem dominum lachrymantur arenæ.
A t Nympha è ſcopulis, ſummiq; cacumine ſaxi
I ncuſatq; deos, cœlumq;, & ſydera damnat,
E t ſaxa, & miſeræ reſponſant antra puellæ.

DE INSITIONE.

Iam reliqua inſitio eſt, hominũq; induſtria: nunc tu
H uc aduerte animum, & ueterum cape dicta uirorũ.
C itrigenum ſpecies quum ſint, & germine, & ipſo
C ortice tam ſimiles, cognato & ſemine iunctæ,
H oſpitia hinc ſocijs iungunt communia tectis
A ffines ramos, & dant, capiuntq; uiciſsim,
E t mutant proprios alterno fœdere fructus,
N on unæ hinc ſpecies, ſed miſto ſemine plures
S cinditur in partes nemus, & ſua nomina miſcet.
A ccipit & Citrium Limon, Limonaq; Citrus
H oſpitio, & ſocijs ineunt conuiuia menſis.
A ccipit & thalamo Citrium Citrus, & ſua tractant
I ura ſimul, iunctisq; toris accumbit uterq;.
H inc ſpecies miſtis creſcit uariata figuris.

Ergo

E rgo nunc ramos libro demitte ſub udo
A rtifici dextra,fixo nunc imijce ligno,
A tq; altè impacto cuneo inſere,alteriuſq́;
C ortice cum iunge,& cera mox illine adacta,
V lmeaq́; obſeptis conſtringe & uincula plagis,
A rceto & pluuiam coniecti ceſpitis herba.
N unc & creſcentem uicino è margine uirgam
A dmoue,& inciſo leui ſub uulnere libro
S ic fige,ut lento deſint ne cingula nodo.
A ut & eam tranſmitte forato ad uiſcera trunco,
M irantem latebraſq́; cauas,& operta uiarum.
Q ualis & Heleis longè delata ſub antris
M iratur maris occultos Arethuſa meatus,
E t cœlum ſuſpirat,amicæ & littora terræ,
Q uæq́; Syracuſijs ſpirant de fontibus auræ.
N éue excîde illam:ſinito de matre propinqua
H auriat ut ſuccos ſolitos,ſolita ubera lactet,
D onec eam grandem natu,longeq́; ualentem,
A tq; nouercales ſtringentem eniſius ulnas
V ideris,& proprio meditantem uiuere ſucco,
T unc abrumpe manu,materna & ſtirpe reuelle.
C reſcet,& immenſum ducet latè aucta cacumen,
I nterea læto ſurgit dum ſurculus auctu,
S æpe riga,ſæpe eductas de ſtipite gemmas
E uelle,& duris inuerte ligonibus arua,
E t matri blandire,ſua dum prole repulſa
C ogitur indignans alienos paſcere fœtus.

Quin & surgentem sobolem defende sub umbra
F *rondentis rami, dum Sol furit, & furit æstas*
V *icta siti. Idem ipse in glacie tege, tecta superne*
I *nsternens crassa è stipula, cannáue palustri,*
V *rat ne teneros rabies Aquilonia thyrsos.*
C *um primis ualida nitatur surculus hasta*
A *uento tutus, longeq; urgente procella,*
E *t nunc scalpello tenui, nunc molliter ungui*
D *etondens, prima luxum compesce iuuenta.*
V *tendum parce ferro. Sed nec tamen ipsa*
L *uxuries toleranda. Parens nam crimine in ipso*
H *aud natos miseratur. At acri percitus ira*
I *ncrepat & dictis, & pœna crimen acerbat.*
A *tq; equidem memini, tantum se industria prompsit,*
Qui diuersa quidem parua sed semina in urna
C *ondat, & educens collo breuiore stolones*
S *ubducatq;, arctetq; manu, ac sub uincula cogat*
C *rescenteis: hi tandem uno se stipite miscent,*
A *tq; uno obducunt se cortice: néue flagella*
D *ilabi finito: neu summa cacumina uentus*
D *iuellat, cera linito, aut diducat adulta,*
V *nguine dum proprio corpus iunguntur in unum,*
A *tq; operit lentum sub eodem codice gluten.*
P *ostquam alta steterit radice infossa, & opimum*
R *aptarit stirpes succum, mirabere poma*
P *lenáq;, gratáq;, non uno tamen una sapore.*
S *unt qui diuersos ramos, sed cortice raso*

Coniungant,

Coniungant, ſtringantq; ſimul, quo glutine miſto
Increſcant æquè, ac fixo mox ſtipite iunctos
Infigant pariter. Tum uulnus rite coronent,
Et fallax opus admota tueantur ab arte,
Quo ramo ex uno, atq; uno de palmite fructus
Non uni ueniant, ſit honosq; & gloria ruri,
Gaudeat inſolito natura adiuta fauore.
Sed nec defuerint, ſciſſo qui codice adacto
Dilatent uulnus cuneo, mox uulnere crudo
Includant gemmas alienæ ſtirpis alumnas.
Mox tenui obſtringant uitta: non ſit mora, longos
Emittunt ramos, & ſylua littus obumbrant,
Exciſo & ueteri cono ſua brachia fundunt,
Ac dorſo alterius (mirum) noua pullulat arbos.
Quinetiam alterius nudato cortice plantam
Vidimus alterius frondente cacumine ramos
Erigere, ingentem è tunica & ſuboleſcere ſyluam,
Et ſtirpem infamem nemora in generoſa nouari.
Ergo caſtanea è molli, è præſtante ſagitta
Laudatæ genitricis, adulto & germine uirgam
Exuito, exuuias gemmisq; oculis nitentes
Seligito: his ſterili ſpoliatum cortice truncum
Degenerem induito, uincloq; urgente ligato,
Quo ſeſe & pluuia, & Solis tueatur ab æſtu.
Nec te blanda manus ſinito fruſtretur inertem,
Aut ludat tunica uitioſum arente flagellum.
Iam uideas docili è planta pubeſcere prolem

F rugiferam. Tunc carpe manu, tunc erue ferro
Quod superat matre è sterili, & blandire nouellis:
Mira fides, nitidis palmes se tollet alumnis.

LAVDES INDVSTRIAE humanæ.

Scilicet ut Ioue nata fides, tellure relicta
D etestata hominum mores secesśit olympo,
I llicet emersit fraus, admonituq́; deorum
D estitit assuetas tellus producere fruges
S ponte sua, nullis hominum antè obnoxia curis.
C ui labor, impatiensq́; ocij languentis egestas,
A uxilio occurrêre, & fato industria maior.
H æc Indo aduexit merces, pelagoq́; negatum
S trauit iter, secuitq́; cauis liquida æquora uelis:
H æc armenta boum domitans summisit aratro,
I nuertitq́; solum, cultis dominetur ut aruis.
P ræscripsitq́; ouibus, carpsitq́; è uellere lanam,
N udaq́; textilibus uelauit corpora pannis,
C onstruxitq́; domos, frigus queis arcet & æstus,
Quæq́; olim sterilis fuit arbor, & horrida cultu,
H anc ferro domuit, uertitq́; ad munera frugum,
I nsitio ut plantas fœcundet, & imperet hortis,
D egenerent ne poma, genusq́; in secla propagent.
N on igitur tantum pratis armenta, nec herbæ
I mbribus, aut apium debent examina rori,
Quantum de rebus merita est industria nostris,
C uius ope ingenium sese extulit, & caput astris

Admouit,

A dmouit, maria, ac terras sibi subdidit, ut nil
L iquerit intentatum, ut summo è uertice olympi
T raxerit attonitas Citrij ad spectacula Musas.

DE CITRIORVM SAPORE DV plici, acri, ac dulci.

Quando autē est Citrio duplex sapor. Acer ab ipsa
N atura ductus: dulcis'ne ex arte magistra
V enerit, in dubio est. Nam tempora longa, frequēsq;
P rotulit insitio genus & decus. Ars quoq; multa,
V sus & experiens reperit simul, hæc quoq; ut ipsa
M âla colore aurum, sed mella sapore referrent.
N ec uero non & ueteres uoluere coloni
P unica de fibris quondam crescentia amaris
I n dulcem mutata saporem, lotia postquam
S enscrunt hominum ardenti concocta calore.
Q uæ postquam diffusa manu, multumq;, diuq;
I gne suo acremq; attactu domuere saporem,
C oncoctum & uirus calido infregere liquore,
T ransijt in lenem sensum purgatus amaror.
A n'ne hoc ipso etiam mutata & Citria baccho
S ylueſtrem posuere animum? & fregere rigorem?
Q uò non ars penetrat? Palmes cædatur, & ipse
C raßior, in palmumq; cauetur, & undiq; labris
I n gyrum ductis, nec pollice craßius. Illuc
I nfer mella liquata, & grandi contege saxo,
Q uod Solem auertat. Postquam arida suxerit arbor
I nclusum humorem, & sitiens noua pocula gliscit,

Mella cauo immersans flauentibus imbue riuis
Rursus, & euacuam Thymbræo nectare cellam
Distende, ac latices humano è corpore fusos
Mollibus irrora radicibus. Interea ne
Neglige frondosas toto de stipite gemmas
Vellere: Mopsopius ni quà liquor implet, & ipsa
Labra trahunt dulcem mulsi de fonte liquorem.
Illas tu gemmas, illáq; & germina serua,
Et blandire manu, & uentorum auerte procellas,
Arce hyemes, funde hyblæos & largiter amnes.
Non deerit tanto felix fortuna labori,
Crescet & immensum sata melle Cleartias arbor,
Ornabitq; hortos, ac tanto munere læta
Diuinas natura hominum mirabitur artes,
Quanquam aduersa uiris, & fortibus inuida cœptis.
Sunt qui lecta manu, solerti & semina cura
Contingunt mulsa, siculo aut madefacta liquore.
Postquam autẽ traxere ipsum ad præcordia rorem,
Sedaruntq; sitim medicato nectare, terræ
Infodiunt, & culta rigant. Ea deniq; fructu
Iam referunt tenerũ quem quondã hausere saporẽ,
Quemq; & arundineo duxere è palmite succum.
Quãdo & inexptũ nihil ars sinit, hoc quoq; et hortis
Accedat, uel dictu etiam mirabile, de quo
Quamuis longè audax, quanquam sibi conscius usus
Addubitet: Ramum fœcunda è matre reuulsum
Decutiens capito: cœsum mox undiq; librum

Aequatis

A equatis ferro ſpatijs, dextraq́; uolentem
E xuito. Inde pari confoſſum uulnere dorſum
S tipitis alterius nudato, & ueſte recenti
I nduito, ut coëant extremis partibus oræ
V eſtis, & è lento molleſcant uulnera limbo.
V lmea dehinc teneris indatur cingula plagis,
V inculaq́; ingentis committant uulneris ora,
V eſtiat & frondens truncum toga, pellat ut imbres,
A rceat ut ſoles, & ſæuæ uredinis iram,
D ij facinus mirandum: hærenti è cortice cortex
I pſe nouus, uictum medius rapit, atq; ſupernis
I nſtillat ramis, quæq́; in ſua pabula traxit
E xuriens alimenta, ſuo & de fonte refuſa
I pſe ſuis infundat alumnis, ipſe & amicum
I rroret lac, ut ſenſim in ſua nomina uertat,
R amosq́;, frondesq́;, & eodem ſemina fœtu,
A ntè quater nidum in tignis quàm figat hirundo,
E t quater extincti renouet quàm funera nati.
T antum ars ipſa ualet, tantumq́; induſtria pollet.

DE VTILITATE HO-
rum pomorum.

Omnibus his uſus ſuus eſt, ſeu forte uoluptas
Q uæratur, ſeu certa ſalus, ſtudiumq́; medendi,
P ræcipue pueris. Semen lege: conijce lectum
I n cyatho, & latices ad ſummum infunde liquenteis,
S ub Ioue quos tacitæ contingant frigora noctis,
M ane autem puero inſtilla, bibet acre uenenum

L umbricis: stomacho (mirum) medicabitur ægro.
Quin & arundineis mâla ipsa liquoribus antè
Arte quidem medicata coquunt, ac lenibus inde
Intingunt succis, & uase madentia seruant,
Auxilium latura, & opem languentibus ægris,
Regaleisq; epulas uario affectura sapore.
Quid quòd & in calidis fornacibus igne tepenti
Sæpe liquant lectos flores, & in horrea condunt
Vitrea, odoratos latices, suffimina nota.
Sæpe & fictilibus in lancibus imbre recenti
Dimensis spatijs, macerato cortice, melle
Contingunt, siculóue premunt concocta liquore,
Atq; hos, atq; alios conuertunt Citria in usus.
Cætera te antiqui doceant exculta Salerni
Pectora, queis arteis medicas monstrauit Apollo,
Queis rerum notæ causæ, quorum inclyta in agris
Sylua nitet, fulgentq; auro radiantia culta,
Ac nemora Hesperijs uinci indignantur ab hortis.
Hoc sat erit Nymphæ Sebethides: ô mihi si qua
E uobis si qua, Nymphæ Sebethides, udam
Benaci de fonte ferat Permesida laurum,
Qua manes spargam magni senis, eq; sepulchro
Eliciam felicem umbram, ac uenerabile numen,
Quo nemora Italiæ senserunt Pana canentem,
Et mirata suos requierunt flumina cursus.
Quo lætæ in campis segetes, quo munera Bacchi,
Ditarunt colles, necnon cœlestia dona

S tiparunt liquidas diuino nectare cellas.
S alue ô & gregibus decus, & decus addite ſyluis,
Q uo ductante Italæ fremuere in bella cohortes,
M artiaq; horrifico ſonuerunt cornua cantu.
A udijt & Triuiæ longè lacus, audijt & Nar,
A ctrepidæ matres preſſere ad pectora natos.
S alue iterum & nato felix, & Mantua uate,
F elix & populis, & tanto principe felix,
Q uo Gonſaga domus ſpolijs exultat opimis
G allorum, quum excuſſa metu tremit Itala tellus,
S ummittitq; humiles alpina ad geſa ſecures.
T e duce diſcuſſere iugum Franciſce ſuperbum
I nſubrium attonitæ gentes, quiq; ora Timaui
A mne lauunt populi, quos & rigat Adua diues
G urgitibus, longè & cultis Mela inclytus aruis.
P er te à ſeruitio caput eximit accola Parmæ,
E t quas ſaxoſi uexat ripa aſpera Rheni
S ollicitas urbes, quas & de montibus actis
T urbat Senus aquis, campo inferiore uagatus.
E t tibi nimbiferum inclinat caput Apenninus
C ommuni pro libertate, & fortibus auſis,
T eq; & arundineo incinctus ueneratur amictu
E ridanus, latè irriguis plaudentibus undis,
P ro decore Italiæ, & Belgis belli arte repreßis.
M acte animo Franciſce, & macte ingentibus orſis,
A ſſurgit cui felici Campania tractu,
A ſſurgit latis uenerata & Daunia campis,

Quæq; nitet pigro tellus madefacta Galeso,
Quodq; mare Italiam supra, quodq; alluit infra.
Ecce autem insignis cantu, atq; insignior armis,
Bellorum & laude, & multis spectata triumphis
Parthenope tibi læta canit, quòd te auspice regno
Reddita sit, quodq; è solio uenerabilis aureo
Imperitet populis, sublato & Marte triumphet.
Non tamen Hesperidumq; hortos, Berenicia rura
Idcirco aut Libycos tu dedignabere saltus,
Quos olim excisorq; hydræ, domitorq; leonis
Alcides adijt, quibus & splendescere iußit
Phormiadumq; & agros, & littora iuncta Veseuo,
Quos & Sirenes scopulos, quæ saxa frequentant,
Aequaniq; serunt colles, Meteiaq; arua,
Quosq; secat Sileris frondoso margine campos,
Aenarie quos nostra colit, colit aspera & Ansur,
Atq; Suessa uago Liris quam temperat alueo.
Nec mihi Naiades in tanti parte laboris
Abnuerint uiridem salicis de fronde coronam,
Nec mihi culta suos neget Antiniana recessus,
Queis superat uites Hermi, atq; rosaria Pesti,
Quæq; & Idumæas mittunt palmaria baccas.

FINIS.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI LEPIDINA,

cuius Pompæ septem.

COLLOCVTORES, MACRON ET LEPIDINA.

M. *ET grauida es Lepidina, & onus graue languida defers,*
Obbam lactis, & hæc fumanti farta canistro,
Hac agedum uiridi paulum requiesce sub umbra,
Declinat Sol dum rapidus, deſæuit & æstus.

L. *En lactis tibi sinum, atq; hæc simul oscula trado.*
Vmbra mihi hæc ueteres, memor es, iã suscitat ignes,
O coniunx mihi chare Macron, redde altera Macron.

M. *Hic mihi tu teneras nudasti prima papillas,*
Hic Lepidina mihi suspiria prima dedisti.
Tunc Macron Lepidina tibi, Lepidina Macroni.

L. *Has inter frondeis, uirgultaq; nota latebas,*
Quum tibi prima rosam, primus mihi fraga tulisti.

M. *Hic Macron Lepidina, meus, me prima uocasti,*
Et primus, mea, te alternans Lepidina uocaui.

L. *Viximus ex illo gemini sine lite columbi,*
Nox socios uidit, socios lux, oscula iunge
Mutua, sic gemini seruant in amore columbi.

M. Illa, uxor memini nunc, oscula (prima fuere)
Nostra tuis, tua labra meis hæsere, diuq;
Spiritus alterno huc, illuc se miscuit ore.
Tunc orcus si nos unà rapuisset, amantum
Vna futura anima, una etiam simul umbra futura:
L. Quod felix faustumq; omen sit, reijce coniunx
Hirsutum hunc thalamis, thalami sint omnia fausta.
Parthenope thalamo nanq; est dignißima fausto.
M. Hirsuti, horripiliq; absint: age candida an ipso
Visa uiro uirgo est? heroë & coniuge digna?
L. O Macron, mea cura Macron, illi alba ligustra
Concedant, collata illi sint nigra colostra.
Delioli ad fontem sola, ac sine teste lauabat.
Vidi ego, uidit Anas: uiso candore puellæ
Qui niger antè fuit, nunc est nitidißimus ales,
Et mihi tum subitus creuit per pectora candor.
Ipse uides, niueas cerne has sine labe papillas.
M. Quin hæc candenteis lux ô mea pascua tauros,
Quòd nec sueta ferũt, nostræ sunt munera Nymphæ,
Ipse tuas mea lux teneo, foueoq; papillas.
Nec liquido cedunt argento aut pondere plumbo.
Fige oculos in me coniunx mea, qui mihi lucent
Et lychnũ, & quod nec nigricante cicendula nocte.
Parthenope an'ne alijs, an'ne his dea fulget ocellis?
L. Magnetem gerit illa oculis, stellamq; supremam.
Venerit ad littus, trahit ad sua lumina pisces.
Iuerit in syluas, trahit ad spectacula ceruos.

Illicet

Illicet indomiti ſurgunt ad prælia tauri.
Verterit illa oculos in quem iuuenem'ue, ſenem'ue,
Ille perit, miſeris hæc creſcit amantibus error.
M. Me miſerum, ne oculos in me quoq; uertat, & ipſe
Auellar procul his, procul ab Lepidina lacertis.
L. Ne coniunx, ne chare time: nam ſedula mater
Hoc docuit, ter te ut leui pro limine poſtis
Amplectar, ter rapta tibi ſimul oſcula iungam.
Et dicam, meus es, tenerum quoq; Eringion ore
Ferre dedit, dedit atq; ederæ cum fronde racemum
Ferre ſinu, & geminis te noctu onerare lacertis,
Neu limis mea lux dominam ſpectaris ocellis,
Præſertim ſi blanda pedem nudarit, ibi illa
Retia tendit, & inſidias parat, & fouet ignem,
Quæ mihi frater Acon, ſoror, & ſoror altera dixit.
M. Hæc eadem mihi Naretas, & amicus Omaſon,
Quin maiora ferunt, ſiccat dum Nympha capillum
Ad ſpeculam, & niueæ ludunt ſine ueſte papillæ,
Vidit, & ô dixit Saliceni filius, alis
Vtar, & ad celſam pennis ferar ipſe feneſtram.
Annuit, & placidis riſit dea dulcis ocellis.
Ille uolat, celſam pennis petit inde feneſtram.
Dic mea, dic formoſa, canit dum Nympha per æſtũ,
Audieris ne deam? L. Ad ſepem tum forte latebam
Quum canere inciperet, atrox hic dente pilaſter
Latrat: ibi ipſa fuga ſepem, inſidiasq; reliqui.
Inuidia (ſic Nicla refert) Philomela receßit.

A t circùm attonitæ ſt upuere ad carmina Nymph[illegible]
I pſa quidem canit: at uenti poſuere ſilentes,
S trataq; pacati requierunt murmura ponti.
E xoptat meſſemq́; ſator, frugemq́; colonus,
V er ales, charum uirgo deſponſa maritum.
V itis in arboribus, ederæ pro rupibus altis,
C oniugis in cupidis gaudet noua nupta lacertis.
I rriguum ſitiunt fontem ſata, pabula rorem.
N upta ſitit ſocij luſus, & gaudia lecti.
H æc dea: ſurgamus, meus hoc age perſonat hymen[illegible]
P ompa uenit, celebreisq; uocãt Hymenæon ad ædes.

POMPA PRIMA.

MARES AC FOEMINAE E RVRE proficiſcentes alternis concinunt.

F. S Perne tuas ſalices, & myrto tempora cinge.
Deſere ſepta puer: nanq; urbs tua gaudia ſeruat.
M. P one tuos faſtus, faciles atq; indue mores
P arthenope, & quid amor, quid ſint connubia cura.
F. D iſce puer thalamo luſus & coniuge dignos.
L uſus amat thalamos, & amant ſua ludicra lectum.
M. P arce puella uiro nimium pugnare uolenti.
L is thalamis aliena, & habent ſua fœdera lecti.
F. E ſt nigris noua nupta oculis, eſt nigra capillis,
S pirat Acidalios & toto corpore flores.
M. E t roſeo iuuenis ore eſt, roſeisq́; labellis,
S tillat Acidalium roſeo & de pectore rorem.
F. I ntactum florem, maturaq́; poma legenti

Seruat

S eruat in occultis uirgo iam nubilis hortis.
M. P oma manu matura leget, floremq; recentem
R ore nouo iuuenis, tenera mulcebit & aura.
F. R iuulus è tenui manat tofo, exit in amnem
P aulatim, & ripis crescens decurrit apertis.
M. E x oculi leuiore ictu fons stillat amoris,
P aulatimq; amnes lachrymarum, & flumina uoluit.
F. F omite de paruo tenuis primum exilit ignis,
M ox auctus uersat latis incendia syluis.
M. I gnescit tenui afflatu fax lenis amorum,
H inc incensa furit uenis, & pectora torret.

POMPA SECVNDA NEREIDVM.

COLLOCVTORES

Macron, & Lepidina.

L. E Ia agedũ cõiunx, quæ nã procul æquore Põpa?
H aud capiũt uirides sinuãtia littora nymphas,
N ereidum chorus omnis adest, en cœrula prima est
P ausilipe, implexis edera frondente capillis,
P ausilipe mihi nota: uides? procul innuit, hæc me
S æpe manu sua ad antra, suos deduxit in hortos,
D onauitq; apio, & odorifero serpillo.
E t dixit: tibi mite pyrum, tibi præcoqua seruo
P ausilipe nigro sub candida guttura næuo.
M. Q uàm molli incedit passu, & sese exerit ore
Quæ sequitur, præcincta sinũ & pede candida nudo.
A n fortasse tibi coniunx nitidissima nota est?
L. V t sese ad choreas Macron mihi chare resoluit,

Vt lepida est, ueneres ut toto spirat ab ore.
An peto est oculo? memini, narrare solebat
Crambane mater, ea ne est? ea, Mergilline
Inuideant tibi uel digitos Prochyte, Capriteq;
Nerine ô formosa, ô Nereis heroine.
O si sim iuuenis, tecum ut coniungere dextram,
Vt tecum hanc libeat choreas flexisse per actam.
O Nymphe formosa, ô candida Neptunnine.
Dum siccas simul ad Solem, pectis q; capillum,
Tunc ego, tunc niueæ pennas imitata columbæ
Sim uolucris, tibi quæ cerasi cum tempore primo
Maturos fœtus, & fraga rubentia rostro
Proijciam in gremium, primos ut ruris honores
Per me prima legas, nostro & sis munere prima.
M. Illa illa, haud aliam uidi gestare puellam
Aptius aut pharetram, aut intendere fortius arcum.
Atq; aliò hos arcus, aliò tua spicula tende.
Me meus ignis habet, & habent mea pectora uulnus.
L. Me miseram, meus est, alios pete Nympha iuuencos.
Mi Macron tege me, collo & tua brachia necte.
Ne sæui Sarniti dea, & tua tela retracta.
M. Te teneo, auertit telum dea, fixit & Aulum.
Ah miser, ut madidis uultum demisit ocellis.
L. O Macron memini, mater me docta monebat,
Sarnitim fuge nata, trucem Sarnitida uita.
Fert intinctum oculis, arcu fert sæua uenenum.
Non parcit pueris, sæuitq; inimica puellis.
Hinc uideas Satyros passim, hinc languere Napæas,

D eperit hanc Alcon, octogenarius Alcon.
I nsanit Morphe, nonagenaria Morphe.
D eseruit syluas, qui nunc colit æquora, Faunus.
E cce uenit Resina auiæ iunctissima nostræ,
T ristior illa quidem patris de clade Veseui.
N am teneo, sic lenis anus referebat, amasse
H anc nunquam, spreuisse procos: at littore solo
M œrentem casus, exustaq; regna parentis,
T ritonis cupidam uix effugisse rapinam.
T er sese dea surripuit, tria feruidus heros
O scula compreßis liquit signata labellis.
N unc quoq; liuor adest: at sunt sine labe papillæ,
Q ueis superat Nymphas, uideas si forte lauantem,
N on tibi candidiora poli sint lactea texta,
N on tibi sit planta crystallus purior alba.
E x illo infidum littus, fontemq́; relinquens
R ura colit, dumisq́; suas studiosa capellas
P ascit, & erranteis seruat cum matribus hœdos
Q uadruplici insignes hirsuta ad tempora cornu.
O Macron Macron, mihi me, tibi te noua Nymphe,
Q uæ uenit, eripiat, cingit quæ ad tempora myrtos.
I pse uides. Illi ridet mare, ridet & aër.
C ingit quæ ad collum calthæ florentis honorem.
I lli concedant Dryades, Nereides illi.
O longis prælata comis, & lumine peto
H ercli superciliјs nigris candente papilla,
E s memor, & meminisse decet, mea nubilis Hercli.

Quos mihi corrallos, quæ mella liquata dedisti,
Diues corrallis, & mellis munere diues,
Sis memor, & niueum tibi me donasse colostrum,
Delitiasq; rosæ primæ, & uacinia prima.
M. Risit, & argutos in te deaflexit ocellos.
L. Fallor, an aduentat Caprei maris heroine?
Præceditq; chorus Tritonum, & littora clangunt.
Non capiunt undante salo caua littora puppes.
Hæc ipsa est coniunx, Caprei maris heroine.
Circunstant Aequana hinc, illinc innuba Amalphis,
Et fidæ comites, & littoris altera cura.
Illam ego dum Capreas peterem cum matre, sedentẽ
Ad scopulum uidi, famulæ properare legentes
Ostrea, & euulsas lapidoso è margine conchas.
Accepit dea me gremio, & donauit echinis.
Obstupui, ingentemq; humero, ingentemq; lacertis,
Atq; utero, & toto retinentem corpore formam.
Horrebant sed crura nigris & pectora setis,
Purior Aequana quum sit nihil, aut sit Amalphi,
Utraq; odoriferum spirent & pectore anethum.
Littora sed crepuere, canitq; silentia Triton.

POMPA TERTIA.

TRITON CANIT DONA OFFErens. Macron & Lepidina colloquũtur.

T. O Decus Italidum, longè pulcherrima uirgo,
Sirenũ genus egregiũ, et dijs æqua propago,
En tua cœruleæ centum ad connubia Nymphæ

Dona

D ona ferunt, auro grauida & gangetide baca.
E n tibi odoratos Pancheæ mercis honores,
O ceanoq́; aduecta ferunt electra Britanno.
F erte agite, & plenis hæc dona reponite mensis.
E n tibi mille ferunt niueæ sua serta puellæ,
S erta auro intertexta, & ramiferis corrallis,
E n totidem eois bacata monilia gemmis.
V os agedum cultæ capite hæc noua dona ministræ.
E n famuli tibi Tritones simul ære canoro
S eruitium, & uolucreis propter caua littora currus
P romittunt, iter & placido per cœrula cursu
T ercentum iuuenes, tercentum numina ponti,
E t tercentenis dant hæc tibi pocula gemmis
F ulua auro, uariata smaragdo, & iaspide tecta.
V os hæc ô niueæ thalamis seruate puellæ.
E n Caprei regina maris, cui mille ministræ,
T elobois dea, dat fuluis radiantia bullis
C ingula Cynipheo ex auro, et Garamantide ab ora,
P riscum opus, artificisq́; manus dijs nota Faburni.
H æc olim Aenariæ Nereus pater, illa sorori
D onat habere, sui monimentum, & pignus amoris,
D um migrat sociæ confinia ad antra Mineruæ.
E st illis adamante, nouo & uariata pyropo
F ibula, concordis thalami felicia uincla.
H ac coniunx ubi nuda suo cum coniuge uincta est,
A ccubuitq́; toro, celeri discordia passu
D iffugit, & thalamos subit hinc concordia notos.

H ac age Nympha tuum, simul & te cinge maritum.
N unc ô nunc socij celebres agitate choreas,
C ærulei Tritones & omina fausta uocate.
H ymen ô Hymeneæ Hymen, ades ô Hymenææ.
T. D icimus ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.
F elix ô Hymenææ Hymen, felix Hymenææ.
L. D esijt ille quidem iuuenis malus, ô mihi Macron,
O Macron mihi quem incußit malus ille timorem.
H erculis ad fontem mater secura lauabat
G ausapium, ipsa udos siccabam sola capillos,
S urripuit mihi supparium, mox innuit, & se
O stentat formosus: ibi per littora præceps
E ripio me me, sequitur malus, hic mihi dexter
C alceus in summa miseræ defluxit arena.
Q uid non pollicitus ferus hic? ne nunc quoq; tecum
I am uideor secura mihi, ne respice coniunx,
Q uàm uereor summa ne nos despectet ab alga.
L ittore cedamus, manet illinc altera Pompa.
I pse uides, sociæ properant è rure Napææ.

POMPA QVARTA.

MACRON ET LEPIDINA COLLOquuntur de Nymphis urbanis, & suburbanis.

L. E C ce suburbanis longè prælata puellis,
E cce uenit pingui multum saturata sagina
B utine socijs mecum consueta choreis,
B utine diues hœdis, sed ditior agnis,
E t cui sunt primæ farcimina pinguia curæ,

Vt rubi-

V t rubicunda nitet,pleniſq́; intenta caniſtris,
N obilis & libis,& cognita bucellatis
V lmea,& intortis tantum laudata corallis.
Q uæ mihi culta placet minus, at de polline uultum
N on nihil alba placet,tamen eſt ferus ardor amantū.
T heodocie ſoror hanc feſtis nam ſæpe diebus
A d choreas uocat,hic dulcem meditatur auenam.
T um canit, ut taciti ſtupeant ad paſcua tauri.
A d fontem duc Niſa boues,dum retia tendo.
Q uid quum ſola canit frondoſæ ad culmina uillæ?
H uc ades ô Amarylli, uocant Amaryllida ſyluæ.
H āc Macron mihi chare,tulit ſors, aſpice Nymphen,
A d cliuum Piſtaſis adeſt,en intuba purgat,
R aſilibuſq́; onerat calathis,& ſtringit anethum.
N on cliuus,non fons,non longi hæc littoris acta
V idit ea pictos melius contexere qualos.
N unc quoq; fama refert, liquidum quòd in aëre rorē
C ogere apes, & mella cauis infundere cellis,
P ingit,& è uario reddit ſua munera iunco.
F orma illi damno eſt,nulli connubia amantes,
N ulli etiam thalamos Nymphæ petiere iugaleis,
Q uòd timeant cupidæ ſimul aſpirare rapinæ
H inc Faunos,illinc Læſtrigonas,& Cyclopas
C orreptos facie,& candentis honore papillæ,
E t næuo nigrante,nigroq́; ad tempora cirro,
C oniuraſſe,tori iura & uiolare mariti.
M. H eu ſqualet formoſa domi,metus urget amanteis.

C apparion ubi nunc? ubi Sedigitus Manubrion?
A usi etiam medijs uxorem auellere claustris
N eptunni? centum hic Tritones, at ille superbum
E xcutit aurigam curru, & lacerum abijcit undis,
C apparion Petroonte, Aeronte satus Manubrion.
I lli illi heroës, & digni ruris alumni,
E t quercu nutriti, & castaneis hirsutis,
A rbuta queis, miliumq́; liquens abdomen & unctum
M iscebant festis conuiuia lauta diebus.
L. P istasis si qua est, digna est heroë marito,
C ultorem tamen & uitis suspirat, & horti,
E t cui sit cucumis, sit & unca cucurbita curæ.
E st quoq; spes, agiles sciat ut tornare catinos.
A t non Hermitis, nec Olympias, aut Conicle
H æc sibi coniugia, aut hos exoptant hymenæos.
C onicle consueta plagas, & retia ferre,
V enatorem amat, & uenantis amore tenetur.
A ucupijs capta est, hinc aucupis uritur igni
H ermitis, nec amica colo, sed & apta choreis.
H æ casus mihi sæpe suos, & uulnera nudant,
Quòd felix hymenæo, & quòd te coniuge felix.
N otus Olympiadis non est amor, & timet, & uult,
A st prohibet pudor, & duræ reuerentia matris,
I psa tamen concurrere equũ, & resonare sub armis
G audet, & è celsa immoritur spectare fenestra,
P ingit acu tamen, ut credas mugire iuuencum,
I n cœno grunnire suem, crepitare cicadas,

Vt modò

V t modò quum geminos filo discreuit amores,
H unc certare auibus risu mitem, & tamen alis
S æuire, & tacitum stillare in corda uenenum,
I llicet insolitum uolucres sentire calorem,
I llum arcu, facibusq; trucem mansuescere in herba,
S ed furtim celeres oculis iactare fauillas,
I llicet incensos errare per auia tauros.
E st inter natas fœcundæ prima Labullæ
N omine Formellis, non hac felicius hortos
V lla colit, nulli concedit munere fusi,
S eu ducat linum, seu mollis uellera lanæ,
S erica seu digitis promittat fila magistris,
A urea seu niuea texatur bractea dextra.
F elix sorte sua, Nymphaq; beatior omni.
I lli secretis fons est nitidissimus hortis
P omonis donum, matris tutela Labullæ,
M atris Hamadryadis, et amauit hanc quoq; Pomon,
P omon auus Fragolæ, atauus cerealis Acerræ,
V itiferæq; abauus non certa prole Casullæ.
C entum habet hic neptes, centumq; è stirpe nepotes
F ormellis, sed chara illi, non aduena fontem,
N auita non sitijt, auido quin captus amore
D eserat & patriam, & fessos ætate parentes.
V irginis hæc nunc fida comes, thalamoq; ministrat,
E t forma intoleranda, & pictis alta cothurnis,
Q uos illi suit ex auro miniosus Aluntas.
B landa tamen, facilisq;, & amata ad munera comis.

Mille adsunt huic deliciæ, & bona commoda ruris.
Vna mihi inuidiæ est cornix, cui noctua Bauli
Cesserit, atq; oculis Sabuloni graculus albis.
Hæc & aue formosa, & hera ô mihi chara salutat.
Obseruansq; fores, quis, ait, nunc ostia pulsat?
M. Cedam ego turturibus nigris, nostræq; columbæ,
Sitq; semel uidisse deam. L. Vel cesseris alno
Ad quam defoßi centum illi ex ære trientes
Seruantur, nunc illa domi parat anxia lactis
Candentem florem, misto & cum melle farinam.
Nox subigit succincta sinum, nudata lacertos
Præstringit uiolas albas, & lilia cana.
Parthenope tum culta manus miratur, ibi illa
Lacteolas, & thyrsiculos, & oluscula signat,
Inde latet, forma nimiumq;, & dote superba.
Verũ age, & hoc coniunx (fas est) requiesce sub arcu.
Nam defessa traho uix genua, & inepta canistri
Sarcina me grauat, & cliuo sudauimus ambo,
Nuper & hic cecinisse ferunt Meliseon, & ægras
Solantem curas, nec mitia fata gementem
Phosphoridos natæ, en hic è turribus altis
Fistula dependet, sæui monimenta doloris,
Signaq; certa manent, numeriq; per ora feruntur.
Phosphori nata quis heu, quis te mihi Phosphori ademit?
O mecum ô salices, mecum ô lugete myricæ.
M. Quin age pone & onus, & membra labore relaxa:
Nã grauida es Lepidina, et onus graue lãguida defers

Hæc

Hac quoq; Pompa uenit, uia nec capit ipsa Napæas.
Hic licet & spectare unà, & requiesse sub umbra.

POMPA QVINTA.

COLLOQVVNTVR MACRON & Lepidina. Planuris superuenit, quæ Pompam heroum ad nuptias conuenientium describit.

M. Vidula est quæ prima uenit, sed et una rosetũ
Fert Pesti, fert & uiolas hæc una Veseui,
Fuscaq́;, roscidaq́;, & uenosis lactea mammis.
L. O coniunx prima hæc, prima hæc, ne despice, quantũ
Et calamis ualet, & cantu, uerum una uideri
Non formosa cupit, luxum aspernata, procosq́;,
Asparago gaudet, fungisq́; operosa legendis,
Quos & heræ, quos & matri dimittat in urbem.
O mihi chara soror (potes & soror ipsa uocari)
Dic age, qui comites, quos & ducunt Hymenæos,
Planuri ô generosa, soror Leucogidis albæ.
P. Descendũt, soror, et nemora, et caua flumina currũt
Ad thalamos, mille antra deos uomuere, & ab altis
Montibus indigenæ Fauni proteruntq́;, ruuntq́;
Ad portas, iter ingenteis non explicat orcos,
Quos Acherusiacæ fauces, noua numina mittunt,
Stagnaq́; Baulorum, quos ostia pinguis Auerni
Emisere adytis, lacus & fluitantis Araxi.
Mira illis sunt ora, soror: radiantia fronti
Lumina: sulfureis fumus de naribus efflat:

Tempora per serpunt rami, mentoq; rigescunt
Hircosæ setæ, tum guttura, collaq; circum
Squalent, sulfureæ totoq; in pectore crustæ.
Cætera mēbra nigror merus occupat, et situs, et nox.
L. Me miserā, hinc etiam? procul ah procul. Pl. ô mea
Ad cryptā ferratus adest Aeronius, adsunt (siste,
Tercentum rapidi umbrones, totidemq; moloßi.
Ipsi abigent, tecti colla, & longa ilia ferro,
Ore latrant sæuum ualeant qui inhibere Typhoëa.
Mouerat Aenaria ferus hic, & monte reuulso
Raptabatq; iter, & littus pede celsus obibat.
Intrabatq; antrum, ecce Acron, ecce aspera proles
Lancusi Pelicon, & Marsicus armillatus
Deturbant antro, & femori caua uulnera figunt.
Ille per extremas præceps uix effugit undas.
L. Et fessa es mea Planuri, & liquidißimus amnis
It subter, sitienti & aquas, & pocula promam,
Proximaq; Vranie scorteum, & sua poma parauit,
Quæ mihi chara soror, forma prior, & prior annis,
Quodq; uides, summa procul innuit alta fenestra.
P. Aßideo Lepidina, & poma, & pocula sumam.
Mox tibi & heroas referam, summosq; Oriarchas,
Quos mirere soror simul, & uereare superbos.
Primus agit pompam Gaurus cum coniuge Campe,
Ingentemq; manu pinum fert, pendet ab alta
Hinc leporum grex, inde anatum, pòst ordine longo
Et damæ, capreæq;, & aper Leboride sylua,

Et perdix:

E t perdix nemore è Clanij,& uulturnius anſer,
A rdeaq́;,fulicæq́;,& grus lucrinide ab alga.
I pſe ebulo pinxitq́; genas,& pectora gypſo.
A t Campe aſparago crines redimita uirago
F rondentem à radice alnum fert ſtrenua,ubi omnis
P endet & autumnus,matura & fructibus æſtas,
P omaq́;,præcoquaq́;,& auro certantia mâla,
E t uiridi cum fronde pira,atq; cydonia cana.
P er medios uolitant ramos merulæq́;,ululæq́;,
P ippillat & paſſer,& dulce canit Philomele,
V rſulon inſequitur frontem inſignitus echino
I pſe humeris,pedibusq́; ingens,& cornibus ingens.
C ornibus ingenteis nutanti pondere ciſtas
C aſtanea è molli,ſorbisq́; uirentibus,idem
F ert humero crumeram nucis,& mulctralia lactis,
F ert lateri geminas immani uentre lagenas
S orbino è bimo,atq; ex anniculo uiridiſco,
E t dextra hinnuleos querula cum matre gemellos.
A læua coniunx felici prole Marana
L æta canit,ſociæ plaudunt ad carmina Nymphæ,
I pſa fauos,ac mella ſimul,macerumq́; lupinum,
P lurimaq́; in nitidis fert oua recentia quâlis,
H æc illa eſt felix,& coniuge digna Marana,
D octa & acu,docta & lino,doctiſsima lana.
D os illi,ingentes tercentum ad ſydera quercus,
T ercentumq́; nuces,quarum tria iugera campi
B rachia protendunt,mille & cum uitibus alni,

T ercentumq́; ſuũ armentũ, & nemus undiq; cinctũ
A rbuteisq; comis, & nucliferis pinetis,
E t quæ ſe multa circuntegit eſculus umbra.
H unc poſt incedit lentis Miſenius heros
P aßibus ipſe ſenex, iuuenum ſed uiribus uſus.
V ectibus hi ſublatum altè per brachia cetum
A ttollunt, caudaq́; iter, & ueſtigia uerrit
I mmanis fera, & informi riget horrida dorſo,
T um quaſſat caput, & minitanti tergore nutat.
F aucibus at tenebras ſimul & uomere, & ſimul ipſa
V iſa lues, pelaguſq́; haurire, atq; hiſcere cœlum.
O ccurrunt, trepidoq́; ſinu ſua pignora cælant
A ttonitæ matres, pauor hinc, hinc plauſus euntum.
I pſa uiam ſibi, quà greſſum fert, belluapandit,
A t tubicen uocat urgentem ad ſpectacula turbam.
C antantis longè ingeminãt nemora ardua murmur,
P aſtores tellure ſati, genſq; eruta ſulcis,
M onſtra cauete maris, ſcopuloſo & tergore cetum.
V ulnerat & cauda inſidians, & deuorat ore.
V os iuuenes celerate iter, & uim afferte lacertis.
H æc tubicen: turba ingenti clamore ſalutat
S ebethon: noue nupte nuces para, & indue ueſtem,
Q uam tibi Acerranæ muſco flauente Napææ
N euerunt, quam pinxit acu Pomelia, ut imo
F ronderet limbo patulis Satureia ramis,
S ibilet ut tenui de fronde locuſta ſuſurro.
I ndue & intextum buxo frondente galerum.

I n medio telas operosa obseruat Aragne,
D isponitq́; manu, uolitantem & captat Asilum.
I lle fugam parat, ast tenui interceptus amictu,
I mplicitatq́; pedes, & paßis instrepit alis.
L ydaq́; de tacito prodit tum turgida nido.
H unc iuxta coniunx Prochyteia incedit, & ore,
E t gestu spectanda, & pictæ tegmine pallæ,
N exilibus cochleis limbus sonat, horrida echinis
Z ona riget, uiridiq́; sinus frondescit in alga.
I n manicis querulæ ludunt per flumina ranæ,
Q uum subitò extremas interstrepit anser ad uluas,
T um linquunt medijs conuicia rauca sub undis
A ttonitæ, inde cauos referunt ad carmina rictus,
R aucaq́; limosæ meditantur murmura ripæ.
A uribus hinc oriens radiat Sol, splendet at illinc
L una pruinosis incedens candida bigis.
I psa manu speculum dextra fert, cuius in orbe
Q uum sese gemino inclusit Latonia cornu,
N octe quidem insidias Satyrorum, artesq́; procaces
D etegit, & cautis aperit noua furta Napæis.
I llæ iter occulto rapiunt per deuia passu.
L uce autem quum Sol speculo diffulsit, ibi omneis
C ernere erit curas, & facta infida uirorum,
Q uiq́; paret thalamo fraudem, litemq́; maritus.
H oc fertur dominæ rarum, ac memorabile donum,
Q uo secura sui tueatur fœdera lecti.
Claudicat hinc heros Capimontius, & de summo

C olle ruunt miſti iuuenes, miſtæq́; puellæ.
O mnis amat chorus, & iuncti glomerantur amantes,
I s lento incedit paſſu, baculoq́; tuetur
I nfirmum femur, & choreis dat ſigna mouendis,
A ſſuetus choreæ, ludisq́; aſſuetus amantum.
H as inter mihi nota Marillia cantat, ad alnum
C ogite oues, amat alnus, amant dominiq́;, gregesq́;.
R eſponſant, amat alnus, amant dominiq́;, gregesq́;.
S parguntur paßim è calathis uiolæq́;, roſæq́;.
E t caua Mænalios ſuſpirat tibia uerſus.
P ræcedit grauidis bis ſeptem onerata caniſtris
P ompa puellarum: pendent mantilia circùm,
A lba quidem, croceis ſed flaueſcentia uillis.
C uiq; ſuus comes hæret amans, cui corniger agnus
E x humeris graue pendet onus, ſua fiſtula cuiq;,
P laudit & arguta de ualle canentibus Echò,
S parge tuas Sebethe nuces, en colligit uxor.
P arthenope tua poma ſinu (uir ſeleget) effer.
A t iuuenum manus uſa humeris, & pectore anhelās
I ngenteis taurorum armos, ingentia aprorum
C orpora ſubuectat, duplici pendentia conto,
B is ſeptem capita hirta albis nutantia ſannis.
I ngeminant plauſus, & uox ſonat, exue nupta,
E xue gauſapinas, & nudo corpore ramum
E xcipe, puniceo præfert quem cortice coniunx.
E xue gauſapinas coniunx, ramoq́; ualenti
S terne aciem, clauſis uxorisq́; ingrue portis,

Comminus

C ominus arma ciens, telumq; in sanguine tinge.
F escennina crepant latis conuicia campis.
At lino felix, felixq; Ansatia fuso
O stentat rarum decus, ac uariabile textum
C ostalionis opus, telæq; insigne decorum.
H inc, illinc fluit amnis, opacaq; ripa uirescit
M argine cincta suo, ruptisq; immurmurat undis.
A pparet certo tenuis sed semita calle,
Q ua nigrum formica agmen trahit ordine longo.
F estinant aliæ, ut plenos populentur aceruos.
I lla redit rapto grauida, atq; è pondere fessa,
I nuitat sociam in prædam, ac sese ore salutant.
P ars condit terræ, atq; hyemi malè credit iniquæ.
E micat agmen agens, segetiq; infertur abactæ,
V t nunc iam uideas, nunc iam uidisse putaris.
I n medio positis clauduntur ouilia septis.
B alat ouis uacuam ad mulctram, & se calce tuetur,
V pilio at geminis sudans premit ubera palmis.
E ffluit hinc, illinc tepidus liquor, adiuuat uxor,
B landiturq; uiro, mulgetq; incincta capellam,
E t caua fumanti spumant mulctralia lacte.
F ilia parua focum bucca excitat: effurit intus
L actea uis, florem inde legunt trepidantis aheni.
P ost ubi concreuit liquor, ac deferbuit humor,
T unc parco sale contingunt, onerantq; canistris,
D ecoctusq; nouo lentescit caseus orbe.
C ircunstat pecus ignauum, fucusq;, culexq;,

Quos fumo puer, aut ramo frondente coërcet
S edulus, ipsa suo uariatur tela colore.
E gregium dominæ quondam, ac memorabile munus.
N on arbor frondosa cauis sic uallibus, hortis
S ic medijs protenta cucurbita, non adeò grex
A ltilium, dum scalpit humi, sequiturq; parentem,
O blectant oculos, & corda liquentia mulcent.
T ale decus telæ, talem præscribit honorem.
H os ego chara soror uidi, nouiq; Oriarchas.
M urronem fama est cum coniuge Tifatea
A duentare etiam, & centum properare quadrigis,
I lice frondentem caput, & colla ilice cinctum.
H unc centum ciceris grummos, totidemq; phaseli
C onuectare, fabæq; ingenteis uoluere aceruos,
H orreaq; annosæ Cereris, tum præla trecenta,
E t uini fontem, atq; lacus Lenæidos undæ
C urribus effluere, stagnare liquoribus arua
B accheis, ipsum ex alta fluitare Caserta
E uchion, in laticemq; lyæum abijsse Casoram.
V xorem uero assuetam Marcinida soli,
E t lini cultricem, olerumq;, & cannapis, illam
E t properare iter, & rhedas agitare uolanteis.
N e qua sit thalamis per se mora, ne mea, ne tu
C rede aliam, seu uere fabis, æstate phaselo
F ortius insudare, atq; inuigilare colentem.
I psa & acu insutas uestes iunco, atq; genista
D at dominæ, ipse & crateras nouũ opus Faberontæ
Legit

L egit heræ, & triplicem palmæ de fronde coronam,
F ictiliumq; operum decus immortale mitellam,
I ntinctamq; croco, & frondenti baccare cinctam,
E t mihi iuncta fide, & ceparum pulvica cura,
H oc & idem mea Panicoclis studiosa lupini
A duentare refert socia cum gente Veseuum,
O blitum cladisq; suæ, ueterumq; malorum,
F initimosq; heroas, & alta ex arce Cicalæ
H ircosum Capreonem hirco, Nymphaq; creatum,
S uccinctum rapis, & amictum tempora porro.
C urribus hunc corbes, atq; horrea auellanarum
D euehere, ipsum uda referentem carmen auena.
Rura meā te Amarylli tenent, ego uector in urbem,
D um redeo simul & Peponos cole, & allia uelle.
E x urbe ô Amarylli tibi noua munera porto,
F usosq;, flauamq; colum, pictosq; cothurnos.
A lternant socij, atq; iterant noua carmina ualles.
Nos dominæ siliquas, & corna rubentia, felix
O scula Sebethus feret, & feret oscula uirgo.
N os ferimus dulcem Peponum, & melimela beatis,
H i Peponum, & Melimela legent, thalamoq;, toroq;.
Ipse autem monte è summo sua dona Veseuus
D euectat triuium ad uetus, Artusiq; macellum.
I nuectusq; asino spargit sua munera plebi
D elicias ruris, pòst & digitalia, & aptos
V erticulos fuso, & tinnuleas uolsellas.
P lebs plaudit, uarioq; asinum clamore salutant,

B rasiculisq́;,apioq́; serum,nucibusq́; coronant.
M ox uecti grauibusq́; rotant uinalia contis
P lena horno,plena & bimo nitrata quadrimo.
I lla ruunt,ipse ex asino sua munera laudat.
L audantem plausu sequitur Vesuina iuuentus,
D issultantq́; cauæ,fauet de uallibus Echò.
L. Q ua facie mea Planuri,quo est ore Veseuus?
P. P orticia hoc mihi fida comes narrare solebat,
C armeli simul ad fontem dum rapa lauamus,
V entre quidem modico,at medio de pectore gibbum
P rotendit,quanta est Bauiæ cretatilis olla,
Q ua miscet suibus pultes,farcitq́; catinum,
Q uodq́; pudet,nullas res hic habet,& caret illis.
P ro quibus intumuit cucumis niger,inde Napææ
H unc rident,rident & Oreades,ille superbum
N utat,& inflexo quassat nigra tempora cornu,
Q uod longè horrescit setis hinc inde reflexis.
A t caluum caput,& nullo uestitur amictu.
S tant mento sentes,horrentq́; ad pectora dumi.
A h uereor soror,& dicam tamen,huius ab ore
C uruantur geminæ sannæ,quarum altera pontum
T etra petit,fluctusq́; ferox,& littora uerrit,
A ltera Sarastris fauces,saxa horrida Sarni.
A c tantũ non. L. Ah soror, ah mea desine, & istos
E narrare oriarchas,en uenit aurea Pompa.
E n cultæ Dryades,comptæ quoq; Oreades adsunt,
E t choreas agitare pares,& dicere uersus.

POMPA

POMPA VI.

DRYADES ATQVE OREAdes alternis concinunt: Macron & Lepidina colloquuntur.

D. TVrturibus si certa fides, certusq; columbis
Est amor, at uariat non mutuus ardor amantū.
O. Turturibus si certa fides, certusq; columbis
Est amor, & thalami sunt uincula certa mariti.
D. Fert filicem desertus ager, malè cultus & hortus.
Non filicem bene aratus ager, non cultior hortus.
O. Non rixam cultus thalamus, non culcitra litem.
Fert pacem thalamus cultus, fert culcitra somnum.
D. Somne iò, pax dulcis, iò cantate puellæ.
O. Oscula iò, amplexus & iò celebrate sorores.
L. Has coniunx, mea Planuris, sat nouit, at illam
Nosse nequit mea fida comes, mihi chara Patulcis
Culta comam, succincta sinus, & candida pectus,
Quæq; etiam roseo uer ipsum spirat ab ore.
M. Talis eras, quum te primum Lepidina sub ulmo
Cantantem uidi, croceis sic ipsa cothurnis
Saltabas, sic ora rosas, sic colla ligustrum
Florebant: memini numeros & uerba canentis,
Vrit me Macronis amor Neside creati.
L. Ipse refers, patula cantat meus ignis ab ulmo,
Vlmus amor Macronis, amor Macronis ab ulmo.
Alter erat croceus, alter tibi calceus albus,
Cingebat crines frondoso è subere ramus,

Et primo tonſore tibi noua barba nitebat.
M. Ipſa canis, querulæ rumpunt tua uerba cicadæ,
Et dixti, nec amant, & ſunt ſine amore cicadæ.
L. Ipſe arcu querulas ſtringis de fronde cicadas,
Et dixti, querulæ rumpant nunc uerba cicadæ.
Vt ſeſe ad choreas Macron mouet apta Patulcis,
Et niueis ſuris, nigrisq; Patulcis ocellis.
M. Sic memini, niueas nudaſti tum mihi plantas,
Ad fontem quum feſſa lauas, ego condor in ulua.
L. Ipſa canit formoſa Patulcis, amatq; Patulcis:
Me miſeram, ut triſtes ſurgunt ad tempora rugæ.
P. Parthenope Sebethon amat, Platamonis Halantum.
Vtraq; Nympha ſuum tenet, & fouet utraq; amantẽ.
Sola Patulcis amans, ſola eſt ſine amante Patulcis.
Illum Niſa tenet deſerti ad littoris algam,
Nigra genu, croceisq; genis, & lumine glauco.
Alba genu, roſeisq; genis, & lumine nigro,
Oreq; puniceo mœret deſerta Patulcis,
Expectatq; deæ non ſeram uindicis iram,
Et uenit ad choreas, nec iam deſperat amantem.
Niſa meum tandem reddes mihi Niſa Niuanum.
M. Vt languet formoſa, & amari digna puella,
Et ſua furta mihi narrauit ſæpe Niuanus.
Niſa illum ſtudijs auium ad ſua littora traxit.
Tu modò fac uiridem Ligurim de coniuge Panſæ,
Deperit hanc iuuenis, nunc hoc age perfice coniunx,
Coniuge de Panſæ dono ferat ipſa Patulcis.

Non

N on mora, quin retrahat celerẽ in ſua uota Niuanũ.
I pſa Patulcim adi, cura eſt mihi adire Niuanum.
L. O coniunx, ô Macron, ego hoc pro munere iam ſcis,
S cis tibi quid referam, referet ſua dona Patulcis.
M. E cce uenit formoſa, uenit decus heroinôn,
E t myrto diues, ſerpillisq́; inclyta uirgo,
C lara thymo, longeq́; etiam clariſsima melle
A ntiniana: ruunt huius fama undiq; amantes,
E t bona pars ſine dote petunt connubia Nymphæ.
I pſa ſeni blandita, ſenem cupit, huius ab ore
E t choreas agit, & carmen meditata per hortos
L æta canit: ſtupet ad ſepem mirata iuuentus.
H inc ſola incedit, paſſuq́; elata ſuperbo,
I nuitatq́; ſenem & ſuſpiria ridet amantum.
N ec noſti Lepidina deam? L. Quin ô mea cura,
N ondum notus eras, ſenſi ſub rupe canentem.
P rima illi uox, Eurydice, meaq́; optima coniunx
E urydice mihi ſolus amor: tum uerba notaui,
N unc numeros memini, quid amor iam deniq; ſenſi,
Quid ſit amor, quid hymen, quid ſint connubia noſco.
M. E ſt illi ſepoſtum opus artificis Melidoxi
F iſtula, ſunt numeri intacti cantoris Hymellæ.
D eſpicit hinc & oloris auenam, & carmina cygni.
T um ſeptẽ nitidæ ſunt præſto ad munera Nymphæ.
S edulaq́; Vranie ſcenam, atq; umbracula tendit.
I llam non aliâs ederæ cinxere uirentes
A ptius, aut roſeis inſedit fiſtula labris.

Quin numeros meditata canit noua carmina uirgo.

POMPA VII.

ANTINIANA HYMENAEVM *celebrans feliciter ominatur: Iuuenum ac puellarum chorus recinit: Macron ac Lepidina colloquuntur.*

A. *Dicite iò iuuenes, & iò geminate puellæ,*
Hesperus adueniet fausto cũ sydere, Nymphæ
Qui reseret thalamos, qui uincula nectat amantum.
Dicite iò iuuenes, & iò geminate puellæ.
C. *Dicimus, ô Hymenæe, iò Hymen Hymenæe.*
A. *Hesperus adueniet, socij qui fœdera lecti,*
Qui statuat leges, qui deducat Hymenæum.
Dicite iò iuuenes, & iò geminate puellæ.
C. *Dicimus, ô Hymenæe, iò Hymen Hymenæe.*
A. *Hesperus adueniet, chari desponsor amoris,*
Qui teneros lusus, & mutua gaudia monstret.
Dicite iò iuuenes, & iò geminate puellæ.
C. *Dicimus, ô Hymenæe, iò Hymen Hymenæe.*
A. *Interea adueniet dum uesperus aureus, & dum*
Flameolum, & roseos Hymen parat ipse cothurnos,
Omina dicamus thalamo, geniumq; citemus.
Gausapinas uirides, noua nupta, nouusq; maritus
Induite, & uiridem capiti geminate coronam.
Sint uobis anni uirides, uiridisq; iuuentus,
Et uirides horti, sint & uiridantia rura.

Dicite

D icite, iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
C. E uge iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
A. N aſcetur proles heroo ſanguine digna,
A ltera quæ tauros domet, & ſciat ordine plantas
D iſſerere, & lentam in quincuncem ponere uitem,
F elix & pratis, & felix ubere terræ.
D icite, iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
C. E uge iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
A. A ltera, quæ telas cum pectine ducat eburno,
D iſcernatq́; & acu ſyluas, & flumina ducat,
E t fuſo doci liq́; manu ingenioſa propago.
D icite, iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
C. E uge iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
A. N aſcentur heroës, & heroum inclyta pubes,
A cclidibusq́;, ſparoq́;, uerutisq́; apta iuuentus.
Q ui monſtra oceani, qui ſaxicolas Tritones
A uertant terræ, Sirenum & littora ſeruent.
D icite, iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
C. E uge iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
A. N aſcetur qui Mopſo, & Faunigenis Melibœis
D ent iura, & gregibus ſaltus & paſcua monſtrent
I pſi paſtorum reges, pecorumq́; magiſtri.
D icite, iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
C. E uge iò ſic fila neunt, ſic ſtamina uoluunt.
A. N aſcetur qui longinquis procul aduena terris
H æc adeat paſtor pauper loca, cuius ab ore
A rida uicini reſonent & ſaxa Veſeui,

Ipſæ quem pinus,ipſa hæc arbuſta uocabunt.
Ille alta ſub rupe canet frondator ad auras,
Paſtoris muſam Damonis,& Alpheſibœi:
Illi concedant hinc Tityrus,inde Menalcas,
Alter oueis,alter diſtentas lacte capellas,
Et mirata ſuos requieſcent flumina curſus,
Damonis muſam dum cantat, & Alpheſibœi.
Dicite,iò ſic fila neunt,ſic ſtamina uoluunt.
C. Euge iò ſic fila neunt,ſic ſtamina uoluunt.
A. Naſceturq; alius longo pòſt tempore paſtor,
Aduena & ipſe quidem,proprij ſed conſitor horti.
Auſit & hic tenerum calamo triuiſſe labellum.
Hunc & Damœtas,& amabit lyctius Aegon.
Alter oues niueas dono dabit,alter & hœdos.
Hic paſcet niueos herboſa ad flumina cygnos.
Miſceat ipſa ſuos paſcenti Amaryllis olores.
Hic & populea uacuus cantabit in umbra.
Vranie intactam cantanti iunget auenam,
Et cantum argutæ referent ad ſydera ualles.
Dicite, iò ſic fila neunt,ſic ſtamina uoluunt.
C. Euge iò ſic fila neunt,ſic ſtamina uoluunt.
A. Succedentq; alij Damones & Alpheſibœi,
Quiq; etiam tenui muſam meditentur auena
Paſtores edera inſignes,& arundine clari.
O mihi tum ut choreas agitare,& dicere uerſus,
Compoſitiq; ſenis mutæ applauſiſſe fauillæ,
Vt iuuet & notam tumulo inſtaurare querelam.

I pse senex tacita positus lætabitur urna.
D icite, iò sic fila neunt, sic stamina uoluunt.
C. E uge iò sic fila neunt, sic stamina uoluunt.
A. D icite, iò Hymenæe, iò Hymen Hymenæe.
C. D icimus, ô Hymenæe, iò Hymen Hymenæe.
I ò Hymen Hymenæe Hymen, Hymen Hymenæe.
F elix ô Hymenæe Hymen, felix Hymenæe.
L. O Macron, Nympha hæc lepido ut sermõe locuta est.
I lli mel labris, fauus illi stillat ab ore.
M. O coniunx, Nympha hæc longè est ditißima melle.
C entum habet hæc apium tabulata, examina centum.
L. N unc agedũ, ad thalamos ꝓperat nanq; undiq; põpa,
Q uæ Macron domino, dominæ Lepidina loquamur,
C onueniat, nanq; illa & forma, & dote superbit.
D os illi centumq́; boues, totidemq́; iuuenci,
T ercentum simæ cirnea matre capellæ,
C ornigeriq́; hœdi totidem, queis fronte sub hirta
A lbescunt maculæ, sunt cætera corpora fului.
C ustodes gemini Arctoa de gente Lacones.
M ille Theatinis errant quæ montibus agnæ.
P ræterea decus illud inenarrabile textum
F rondentis zonæ, cerasi de cortice nexæ,
A urato & iunco, & purpureis uiburnis,
E cuius medio pandens auis altilis alas,
E t scalpit terras, & pullos euocat ore.
I lli triticea tingunt sua rostra farina.
M ox fouet adductis saturos sua mater in alis.

E rgo quid domino, dominæ quid uterq; loquamur
D ic Macron, sua uerba suo sint munere digna.
M. Q ui tuus est & ubiq; comes, Lepor adsit & ipse
C um primis Lepidina tibi, & Venus illa loquenti.
L. R ura Lepos meus is coniunx colit, effugit urbem.
F orsitan & dominæ risum mouisse iuuabit.
M. S uauia sint quæcunq; feres Lepidina memento.
L. Q uinetiam geminata illi simul oscula tradam.
M. S ic dices, cape Nympha bonum qui me urit amorē,
O bbam lactis, & hæc fumanti farta canistro,
T ercentumq; ille cirnea matre capellæ,
M ille Theatinis errant quæ montibus agnæ,
B is grauidæ fiant anno, bis & ubera tendant.
S ic dicam, sume hos culto de margine fructus,
Q ui tibi notus amor nostri matrisq;, patrisq;,
C ornigeriq; illi geminos de coniuge fœtus
S uscipiant fronte albenteis, & tergore fuluos.
I pse mares uideas uno de uentre gemellos,
S is Macron illi, illa suo Lepidina Macroni.
H æc nos, & properemus, & ostia celsa petamus.

F I N I S.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI MELISEVS,

à quo uxoris mors deploratur.

COLLOCVTORES CICERISCVS *& Faburnus paſtores.*

C. H IC *cecinit Meliſeus, & hæc quoque ſigna doloris*
S *eruat adhuc corylus, uidi tua funera coniunx.*
N *on, ô non perij, cæſóque in cortice ſignat*
P *opulus. Ah moriens morientē Ariadna relinquis.*
F. P *rô facinus, tantum'ne tibi Meliſee dolorum?*
C *ui modò conuallesq́; cauæ, ſaltusq́; querenti*
R *eddebant, mihi te, quis te mihi Phoſphori ademit?*
O *mecum ô ſalices, mecum ô lugete myricæ.*
C. V *ox illi, gemitusq́; ſonant Ariadnan, & antra*
R *eſponſant Ariadnan, ibi miſerabilis, eheu*
T *e ſequor ô coniunx, alta & de rupe ſonantem*
D *eturbat, quæ chara ſeni pendebat ab ore*
F *iſtula, dumq́; cadit fluitans ſua reddit arundo*
E *t numeros, & uerba refert uocalis arundo,*
T *e ſequor ô Ariadna, morare Ariadna ſequentem.*
F. E *rgo ſenta iacet, ſpinoſisq́; obſita dumis*
I *lla quidem & Nymphis, & Muſis cognita auena?*
N *ec Corydon, nec Thyrſis eam, nec legit Amyntas?*

C. Quim legit, dum spirat adhuc sub rupe, Patulcis;
Et dixit, tibi Daphni, tibi noua munera seruo.
Cantabisq; senem ad tumulum, condesq; sepulchro,
Inde leuem calamum labris admouit, & alto
Corde dedit gemitum, cantusq; effudit amaros.
Seuerat ipsa suo segetem cum coniuge, & unà
Purgarat ualida segetem cum coniuge marra.
Ipsa suo segetem cum coniuge falce secarat,
Et grauidos torta culmos religarat auena,
Contuderatq; suo messem cum coniuge, & auræ
Iactarat fragilem socio cum coniuge aristam.
Interea socio demulserat aëra cantu.
Mox simul æstiua requierat fessa sub umbra,
Carpebatq; leues charo cum coniuge somnos.
Ah dolor, abreptamq; toro, auulsamq; lacertis
Coniugis, hanc rapuit uolucri Proserpina curru,
Clausit & æterno torpentia lumina somno.
Lugeat hanc desertus ager, desertus & hortus,
Et deserta teges, desertæ & compita uillæ.
In primis luge labor, heu labor irrite luge,
Et marræ, & segetes, fraudataq; præmia ruris,
Et uanam sine fruge operam, manuumq;, boumq;.
En squalent prata, & sua sunt sine honore salicta,
Extinctamq; Ariadnan agri, Ariadnan & ipsæ
Cum gemitu referunt syluæ, uallesq; queruntur.
Extinctamq; Ariadnam iterant clamantia saxa,
Et colles iterant Ariadnam, Ariadnan & amnes.

Conueniant

Conueniant ululæ ad questus, geminentq́; querelam,
Infelixq́; Ariadnan auis gemat ore sub imo.
Ipsæ etiam querulæ iungant suspiria frondes.
Duxerat ipsa leui fuso subtegmen, & ipsa
Tenuia sub celeri uersarat pollice fila.
Ipsa sua studiosa manu glomerarat in orbem,
Atq; hinc uimineis onerarat lecta canistris,
Dum tenui insertas orditur pectine telas,
Vnde uiro, unde & natis sua texta pararet,
Vnde sibi cultumq́; sinum, & mantilia cana,
Queis olus, intactamq́; rosam deferret in urbem.
Atq; aræ solitos uerno sub tempore flores.
Ah dolor, ah lachrymæ, uerrentem licia, & oras
Stringentem telæ, radiosq́;, & fila trahentem
Occupat atra manu, truncatq́; rigentia pensa
Immitis Lachesis, crinemq́; è uertice uellit
Purpureũ, & furua circum caput horret in umbra.
Quò radij? quò pensa? quis ô quis staminis usus?
Quò telæ studium infelix? quò pecten, & orsa?
O dolor, ô lamenta, gemat miserabilis eheu
Consuetus dominæ turtur, consueta columba.
Illa colum ducebat, ibi uestigia circum
Ludebant geminæ uolucres, ludentibus ipsa
Et cicer, & tenerum spargebat blanda cuminum,
Mulcebatq́; manu, gemat heu miserabilis eheu
De trabe mœsta sua, nidumq́; relinquat hirundo.
Dum telam stringebat, & acre sonantia lina,

E t cantu lenibat opus, tum flebilis ales
I ungebat socias lachrymoso carmine uoces,
M iscebatq; modos, gemat heu miserabilis eheu,
H eu gemat infelix Liguris, cui grata petenti
P urgabatq; nucem, contusaq; crusta liquabat
M ellis arundinei, uitreum & de fonte liquorem.
A d gemitum coëant lachrymosi compita ruris.
P astores Ariadnã, Ariadnam armenta querantur.
E xtinctamq; Ariadnam opacis buccula syluis
C um gemitu testetur, & antra Ariadnan, & ipsi
I ngeminẽt montes Ariadnã, Ariadnan & umbræ.
C laudite oues stabulis, stabulis cohibete capellas
F ormosæ ruris natæ, innuptæq; puellæ.
D um matres Ariadnã iterant, uos auia planctu
I mplentes, legite intactos, & iungite flores,
E t Solis luctum, & pueri lachrymantis amorem:
T exite & abscissos Veneris de fronte capillos.
P òst ubi iò Ariadnan, iò Ariadnan, & ipsum
I mplestis clamore nemus, hunc addite honorem
A d tumulum, pia uerba, acrem testantia luctum.
P ro fusoq;, coloq;, & uimineis calathiscis
H os flores, atq; hæc tibi serta Ariadna paramus
A d laurum, tumulo tibi quæ iam crescit, & ossa
A mplectens densa tumulum mox conteget umbra.
P ro limo, telaq;, & pro subtegmine, & orsis
H as lachrymas Ariadna, atque hæc tibi dona uoue-
E n lactis florẽ ad tumulũ, & redolẽtia mella, (mus.

Placamusq;

P lacamusq́; pios manes, & condimus umbram,
A eternum & ualeas Ariadna, æterna ualeto.
Nebat acu tunicam nato, indusiumq́; puellis,
F undebatq́; manu latices, dum pingit ab urna
S pargentem Sebethon aquas, dum labitur amnis,
P er salices strepit & ripis frondentibus aura,
M urmurat & tenui decurrens lympha susurro,
I psa sua lucem dextra insignibat, & auras
S pargebat flammis, radijsq́; micantibus atras
P ellebat tenebras, primo ut Sol splendet eoo
F ulgidus, & tremulis intermicat ardor in undis.
A h dolor, ah gemitus, fleat ô fleat excita syluis
E sculus, & duræ ueniant ad funera quercus.
F ormat acu dum quercũ, & mollibus esculus umbris
D um surgit uiridans, procul ah procul ingruit acta
T empestas erebo, uellit quæ funditus altam
E t quercum, & fractis discinditur esculus umbris,
E t tunicam, & tantos secum rapit Auster honores.
I nde repens lucem nox occupat, occidit & Sol,
E t radij, ipsa nouis Ariadna offusa tenebris
C aligat nocte, obscura & circundatur umbra.
C rudeles radij, quò lux, quò purpureus Sol?
C rudelisq́; dies? mecum ô mecum ite puellæ
A d luctum, mecum ite deæ, mecum ite sorores
N aiades, quibus illa choros iungebat, & unà
N udabat liquidis argentea membra sub undis.
H uc sociæ Dryades simul & celerate Napææ,

V mbrarum memores, choreæq; in montibus actæ,
E t questus geminate, & amarum intendite luctum.
S ol obijt, tenebræ exortæ, non pabula rorem,
N on imbrem sitiant segetes, non culta liquorem.
I n lachrymas abeant rores, imberq́;, liquorq́;,
V nde fluant queruli lachrymoso margine riui,
M urmuraq́; ipsa sonent Ariadnā, Ariadnan & ipsi
S uspirent cursus, udæq́; querantur arenæ.
L ux perijt, tenebræ offusæ, iam robora frondes
E xcutiant, folijsq́; leues spolientur & alni.
I psa comas laurus, tristesq́; auellite myrti.
D um frondes, folijsq́; comæ miscentur & auris
H uc, illuc agitantur, & excitus instrepit aër.
I pse aër, ipsæ frondes, folia ipsa comæq;
D um uolitant, strepit & miseris conquestibus aura,
T riste fleant Ariadnam, impulsaq́; saxa resultent
F lebilibus numeris Ariadnam, Ariadnan, ut ipse
I pse senex renouet luctus, & prodeat antro.
C. F inierat, lachrymisq́; genas, atq; ora Patulcis
L auerat, hic miseræ comites & pectora duris
P lanxerunt palmis, & saxa sonantia longo
I mplerunt clamore, & fœmineis lamentis.
T um senior gemitum ingentem dedit, & scidit albā
C aniciem, simul hos effudit pectore questus.
Arescat mihi ros, & apes sua mella negarint,
N on ô non mihi chara fauos quæ deliquet uxor:
T orpescant flores, pomum mihi deneget arbos,

N on ô non mihi poma manu quæ ſeligat uxor:
S qualeſcat ſeges, & meſſem mihi culta negarint,
N on ô non cererem mihi quæ mea uentilet uxor:
A reſcant horti, frugem mihi deneget hortus,
N on olus ô mihi quæ, non quæ mea tondeat uxor:
T orpeſcat focus, atq; ignes focus ipſe negarit,
N on ô non mihi farra foco quæ torreat uxor:
D iſpereant fontes, & aquas mihi deneget amnis,
N on ô non latices mihi quæ mea miſceat uxor:
T riſte ruat cœlo excidium pecudi, atq; capellæ,
N on fœtum dent armenta, aut mulctralia ſuccum,
N on ô non mihi lac quæ chara coëgerit uxor:
I nfelix cœlo exitium ruat, ut neq; lanam
V ellera dent, nullæ ueniant ad licia telæ,
N on ô non mihi texta manu quæ neuerit uxor:
D ira lues cœlo ruat, & ruat altus olympus,
S tragem agris, ſtragem arboribus, terræq; ruinam
D et ſuper, & medijs tellus internatet undis,
N on uxor mihi chara domi quæ ſarcula curet,
N on falcem quæ acuat meßi, ignisq; ſecurim,
N on ſocia gratorum operum, conſorsq; laborum,
N on heu quæ defecta ſenis locet oſſa cubili,
C antanti non quæ numeros, & uerba miniſtret,
P ulſantem non quæ digitis iuuet, & iuuet ore,
N on oculos quæ claudat amans, donecq; capillis
E xtinctũ, & lachrymis decoret miſeranda ſepultũ,
Q uæ memor æternumq; uale, uale ad oſtia dicat.

C. Haec Meliseus, & antro se condit opaco.
Ex illo latet, & cura tabescit, & annis.
Forsan & ipsa Faburne dies solabitur aegrum,
Mitescetq; malum, nec tanta silentia frustra.
Nuper ad extremam, foribus quae proxima, myrtum
Non expreßa quidem, tamen est uox reddita, lauri
Este mei memores, fontemq; inducite lauris
Naiades mihi cultae, & Solem arcete hyacinthis.
F. Nuper & ad ueteres Citrios, dum tondet anethum
Vxor, & ipse simul mentam, atq; sisimbria purgo,
Suspirantem illum, & querula cum uoce ferentem,
Intenti accipimus: longum ô defleta, quid umbra
Nec mihi nocte uenis, nec amica occurris imago?
Huc aures Cicerisce, uides quid coruus ab ipso
Impluuio, consuetus heri ploratibus ales,
Quid coruus secum incrocitet, meditetur & ore?
Et manes me me fugiunt, & uita grauatur.
Cur ô cur nostri non uos quoq; poenitet aurae?
C. Quin aureis ueterē ad postem, quà ianua hiulca est.
Admoueo? ipse sub haec coryleta Faburne maneto.
F. An potius, quà lotos, & alticomae cyparißi
Triste gemunt, scriptoq; dolent in cortice cedri?
Parcite apes, nisi triste nihil de rore legetis.
Inficere mei rores, & pabula questus.
Ah dolor, ah desiderium, non antra, nec horti,
Non imae ualles, non syluae, aut flumina seruant,
Non monimenta senis: quin hic quoq; signa dolorū

Tofus

Tofus habet memor & lachrymas, quas ebibit antè,
Nunc quoq; gutta refert, referunt & ſaxa dolorem.
C. Ille quidem flet adhuc, ſed multa Faburne leuari
Poſſe monent, numeriq; monent, & uerba querētis,
Quæq; ipſe in uultu ſpeculans, & uoce notaui,
Dum uacuam in foribus diſcreto uimine texit
Fiſcellam, & uario ſolantem ſe Orphea cantu
Coniuge cum ſocia pingit, memoremq; querelam
Quemcunq; ad iuncũ ingeminans, miſeratur amantẽ.
Mox ſubit, ô mea, quis nã? heu qs mea uulnera curet?
En audi. Mihi cur? cur ô mihi triſte minatur
Iris ab exortu? mœrent ſata, luget & hortus.
Tandẽ, ô tandẽ Aquilo nubes diſperget, & Auſtros.
Qui'nam, ô qui deſiderium & mea uulnera ſedet?
Orpheaq;, Eurydicenq; ſequentem intexite iunci,
Dum fiſcella leui circumfrondeſcit acantho.
Sæuit hyems dira, & pecori ferus ingruit aër,
Atq; apibus tandem, ô tandem miteſcet & aër,
Et Zephyri uer diffundent, quænã aura, quis ægrum
Solatur ueris tepor, aut noua mulcet hirundo?
Orpheaq;, Eurydicenq; ſequentem intexite iunci,
Dum fiſcella leui circumfrondeſcit acantho.
Areſcunt cœli uitio, atq; uredine prata,
Et ſyluis cecidere comæ: tandem, ô tandem imbres
Reſtituentq; comas ſyluis, & gramina pratis.
Qui nam ô reſtinguitq; ignes, & uulnera ſanat?
Orpheaq; Eurydicenq; ſequentem intexite iunci,

D um fiſcella leui circunfrondeſcit acantho.
H æc ſenior, ſuetam interea nec ſpernit auenam,
E t pateram exornat Nymphis, & mulctra Vacunæ.
F. N on amnes Ciceriſce, aut hæc quæ flumina cernis,
D ecreſcunt, non uſta calore, augentur ab imbri.
P oſt cœli tempeſtates, pelagiq; procellam
C omponunt ſeſe fluctus, & nubila cedunt.
T riſtitiæ quoq; meta ſua eſt. Meliſeus ab antro
P rodibit tandem ſegetis memor, & memor horti,
D iluet & raſtris curas, & falce dolorem.
C. Q uin potius quoniam uer appetit, & ſua curæ eſt
I nſitio, falcemq; illi, cuneoſq; paramus?
C ortice quoq; etiam lenteſcat uulnus, & udo
Q uæ ſuper ipſe linens imponat glutina libro.

F I N I S.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI MAEON.

SYNCERIVS ET ZEPHYREVS pastores queruntur apud sepulchrum Mæonis, mox à dolore in uoluptatem conuersi, amatoria ac pastoralia quædam canunt. Sub ipsius autem Mæonis persona Pauli Artaldi medici mors deploratur.

SYNCERIVS.



P se uides, quò tot Zephyree inuenta sepulchrum
Cuncta tulit, superat uix ah, uix est super umbra.

Z. Synceri, non umbra diu, non fama, nec ipsa
Extabunt monimenta, rogo uix pauca supersunt,
Mox eadem nox obscura caligine condet.
Quæ tumulo circùm increscunt uirgulta, uel alto
Ignea uis excussa polo, aut manus improba perdet,
Ossáq; nuda solo sparsa, atq; ignota iacebunt,
Ne post ossa quidem, nec fabula Mæonis ulla.

S. Hæc igitur Zephyree dies? hæc summa laborum est?
Quin potius quoniam nulli sunt Mæoni sensus,
Mæona nec lachrymæ'ue iuuant, aut carmen, eamus,
Ara uale, cineres magni pastoris auento.
Nos Mæon, nos te æternum saluere iubemus.

Z. Discedens ego terra tibi, quæ Mæona seruas,
Et desiderium, & lachrymas, meaq; oscula linquo.
Te Zephyri foueant molles, te lenior aura,
Mæonis & de qua frondescit amaracus urna.
Vsq; fluat liquor ille tibi, quo uulnera & ipse
Sanabat, quo Naiadum comebat & ora,
Fundebatq; deûm ambrosiam per rura, per hortos,
Aëris & medica purgabat ab arte uenenum,
Quo fuit & syluis olim tam notus, & urbi,
Et fama superauit Ocrim, iugaq; alta Mathesi.
Ipse uale æternum Mæon, mihi maxime Mæon.

S. Nunc agedum tenues calami, mea dulcis arundo,
Dij cœlo, terris umbræ, nos lenibus auris
Cantantesq; fruamur, & ocia læta sequamur.
Cura olerum, studiumq; herbarum, artesq; medendi
Viuentem iuuere, expreßi & Mæona succi.
Me compreßa iuuant labris labra, Phylli uenito,
Ipse inter frondes, coryletaq; densa latebo.

Z. Oscula me suppreßa iuuant, mea Lychni maneto,
Quà platani strepit umbra, sonat leue murmur aquai.

S. Non me tam leuat aura Canis sitientis in æstu,
Spirat Acilla suo quàm quòd de pectore anethum.

Z. Me risus fouet aura Philœnidis, aura cachinni,
Sordeat ut Philomela, apiumq; ad septa susurri.

S. Vidi ego picta manu, selectaq; fraga legentem.
Innuit & mihi, serta deus dum stringit in umbra.
Hic ibi tum femur hirsutum, setosaq; menta

Obstupui.

O bstupui, atq; oculos fruticoso in margine fixi.
Z. V idit me dum poma lego, arrisitq; legenti,
E t dixit mihi Nais: amant & poma Napææ.
H is ego tum impleuiq; sinum, obstupuiq; papillas,
P ectora dum limis oculis, & colla pererro.
S. S uaue, per æstatem ad fontem stat ubi unda, canorū
A gmen, & argutas ranarum audire querelas,
V ellera tum crispantem, & cornua lata mouentem
C irronem spectare, salit dum terga Macillæ,
M ox Rufan, mox Albigenã, mox Thyrsan, et Hypsan
A c iuxtà residere, cui tua gaudia narres.
Z. S uaue, per hybernum frigus, dum nox silet, ipsum
A d fœnile boum murmur, quum ruminat omnis
G rex simul, & pastæ suspirant pignora matres,
A udire, & saturi distenta sub ubera fœtus
D um ludunt, petit hic socium, fugit ille petentem,
A tq; unà recubare, cui tua pectora iungas.
S. H ic aries uillosus, & hirtis cornibus, aure
Q uadrifida, cui ter gemini lato inguine testes
H orrescunt, hic ipse aries gregis omnis, & omnis
V irq;, paterq; gregis, patrem hunc fœtura fatetur
A dmissura uirum: spes est gregis omnis in uno.
Z. M iraris taurum hunc, patrẽ hunc Lucania, & unum
I actat, habetq; uirũ: armenti laus omnis in uno est.
D ucit ab Herculeo genus & cognomina tauro.
H unc Dryades mirantur, amatq; & deperit illa,
Q uæ facie tauros, oculis capit aurea ceruos.

S. S it modus ô Zephyree: instat nox, ite capellæ,
I te & oues, age coge Lacon, age coge Lycarba,
L atratu & reuoca, cessit qui à matre, iuuencum.
Z. S ynceri hoc age, lecta sinu dum mespila condo,
I n thyrsum dum sorba suis cum frondibus apto.
H is gaudet tua Sila, probat mea Rufula sorbum.
S. E ia eia Saturisca, domum ad præsepia nota.
Quid segnes? eia ite, eia nox aduenit, eia
I te domum, insidijs nox opportuna luporum est.

FINIS.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI ACON.

ACON ADVLESCENS NApen à se amatam Nymphis præfert Naiadibus. Illæ ueneno ex oculis emisso Napen conficiunt. Vertunnus eam in Napum conuertit. Introducuntur itaq; Petasillus & Saliuncus pastores, fabellam hanc referentes. Deinde quoque rusticanas quasdam Melisei cantiones decantantes.

PETASILLVS ET SALIVNCVS COLLOCVTORES.

PETASIL.



Editæ Naiades Nymphæ, iam cedite, uincit
Pulchra Nape, petisq; oculis, nigroq; capillo.
Verberat his puer acer Acon, atq; increpit ore.
Illæ oculis conceptum atro sub corde uenenum
Inspirant: quo uicta Nape tabescit, ut altis
Tabescunt sub sole niues in montibus, & iam
Ponit humi languentẽ animã, morsq; occupat artus.
Hic ter Acon scidit ora, comamq; à uertice uellit.

E t clamore nemus compleuit, questibus auras.
C lamantem Vertunnus opaco è limite sensit.
A ccurrit pueri memor, & miseratus amantem,
I niecta tellure Napen tegit. Illa repente
I n bulbum conuersa, solo radicibus hæsit.
V estit eam folijs deus, & frondescere iussit.
H inc olus, hinc herbosa Nape turgescit in agris.
H æc nobis quondam pueris Melisæus ad ignem
N arrabat, quum rapa senex, poscamq́; probaret,
C ontusamq́; fabam sparsa condiret amurca,
M isceretq́; apio rutam, coriandron aceto.
S. N on puduit cantorem igitur resonantis auenæ,
C ui tot oues, pecoris tantum, mulctralia tanta,
P ellitum pastorem olitorum accumbere mensis,
V lpicaq́;, & ueteres ruptare ad prandia cepas?
P. I llum cepa recens, uiridisq́; cucurbita, captum
D ucebat, menteq́; sapor, succusq́; sisimbrij,
M unere quo uiridi recubans in cespite mecum
H æc cecinit, ueteres fassus per carmen amores.
H uc ades ô mihi chara, uocant te Ariadna ligustra,
T e myrti salicesq́; uocant: age chara uenito.
I pse tibi tenerum legi, seruoq́; phaselum,
I pse cicer, tibi sepositis rosa floret in hortis.
E n tibi cœruleus cucumis super hamite crescit,
C œruleus cucumis deuectus Arangide terra,
H ic ubi nigirides ranæ certare elephantis
P ræsidio culicum haud dubitant, & irudinis atræ.

Te manet

T e manet hic cucumis: propera, mecumq́; recumbe.
Q uin & campano de uellere textus & umbro
S upparus, & uiridi circumuariatus ibisco
T e uocat: hanc suit Alcidamas, distinxit & Alcon:
H ic & acu Morco similis, quem mater Acilla
I nstituitq́; colo, atq; apibus formauit alendis.
S upparus is tibi sepositus blanditur, & instat:
H ucades: En tibi grex Ariadna occurrit eunti.
D um properas lætæ plaudunt de fronde cicadæ.
H æc cecinit Meliseus, humiq́; hortensia dona
E uellens, mentastrum atrox, & sectile porrum:
S ustulit ipse humeris fascem & redolentis anethi:
M ox sese in monteis, & pascua nota recepit
A d ueteres lauros, fumosaq́; tigna Veseui.
I llinc & mihi fiscellas, & cymbia lactis
M ittit amicitiæ memor, & triuialis auenæ.
I dem pastorum cultor, pariterq́; olitorum.
P ost dulces quandoq; epulas iuuat esse lupinum,
E sse mulas, asprina iuuant, post lene falernum.
E t mea me quoties petit ore Biturrica, quantum
R uta iuuat, quàm labra iuuant redolentia porrum,
S cilicet ille satur scrutis, & lactibus agni,
A c sale continctis hœdorum clunibus, atrum
L audat olus, acreis ruptat de gutture bulbos.
S. *E t nostri Petasille greges sensere canentem*
I n syluis Meliseon, adesaq́; saxa sonorem

Dum referunt, tacitæ cantum ſtupuere Napææ,
Et, mirum, feſſæ uocem tenuere cicadæ,
Proſtratæq; ſolo iacuere ad carmina uaccæ,
Oblitæ cytiſum pecudes, ſaturcia capellæ.
Incipit hinc: Ariadna pyro mihi gratior ipſo,
Quod ſuperat uel odore roſas, uel fraga colore:
Dum pectus foueoq; manu, tractoq; papillas,
Non me mulctra iuuant, non lactis plena recocti
Fiſcina, non hœdus dum ludit ad ubera matris,
Buccula non, cupido dum blanda admugit amanti.
Deſierat: plauſere boues, plauſere iuuenci
Mugitu: ſocio reſponſant antra fauore,
Conuallesq; cauæ reſono nemora auia cantu.
Mox iterũ: Dulce in pratis dum gramina tondent
Cernere capreolos, uariato tergore, pictis
Diſtinctos maculis: Mater uocat uſq; pauenteis:
Sectantur trepidi ueſtigia matris anhelæ:
Ludunt & ſaturi circum ubera nota gemelli.
Suaue per æſtatem liquidam mulcentibus auris,
Dum tectæ ramis uolucres connubia miſcent,
Pandentemq; alas, caudamq; ad terga rotantem
Pauonem ſpectare. Vocat Iunonius ales
Conſortem thalami: ſpeculoſa uolumina uerſat:
Cauda micat: medijs fulgent ſua ſydera pennis.
Venit amans, cupidis miſcent ſimul oſcula roſtris.
Iungit amor geminos, geminataq; gaudia gliſcunt.

Inter

I nter utrosq; suos Venus ipsa accendit olores.
A t mea quum liquidos Ariadna recedit ad amnes,
A lbentemq; pedem, nudatq; ad flumina suras,
G enuaq; sub uitrea candent argentea lympha,
E t fungis alni candentius, & niue corni,
P opulus & niueos quos iactat in aëra flores:
T unc mihi corda liquant uel mella Sicanidos hyblæ,
M ella fauis Heliconis, & anteferenda Libyscis,
E t succo siculæ stillant quem cortice cannæ.
Finierat: simæ rupere silentia capræ,
R uperunt & oues, simul & cum matribus agni.
B alatum referunt colles, Gauriq; recessus,
E t Cumæ uacuæ, & cryptæ graueolentis Auerni,
A ntraq; Musconis: & opaca sepulchra Tuennæ.
Hæc ait, & latis humeris quæ buccina pendet,
I nflat eam labris turgentibus. Illa frementi
I nuoluit cœlum gemitu. Quo concita syluis
E rumpit clamore suum gens horrida setis,
H orrida grunitu, & tundentibus aëra sannis.
Ipse manu glandem spergens citat ore, crepatq;
O ra per & dentes rictu glans hausta uoraci.
L ambentes catuli circunstant ubera matrum.
M ox abit ad fagos: sequitur simul undiq; pubes
A rmentalis: agris regnat Meliseus in ipsis,
N odoso incubens baculo, & stans imperat. Adstant
V mbronum generosa cohors, turmæq; laconum,

L atratuq; lupos arcent, & limine fures.
Hæc memini Petasille: iuuat meminisse: uel urnam
C andentis lactis precium ferat, ô mihi si quis
H unc iterum det uidisse, atq; audisse canentem,
D et calamos modulare, leuemq; inflare cicutam.
P. O mihi si quis eum sistat Vulsonis in antro
R ursus & ad Mopsi salices, aut rura Salenti,
I lle sibi uitulum precium ferat: eligat agnum
C ornipetam, cui lana pedes descendit ad imos:
R ursus & ipse suos recinat Meliseus amores,
A ut quum Delioli pratis, Minionis ad alnum
H æc dolet, & socias ranæ iunxere querelas.
Ad corylos Ariadna canit, subtegmina ducens,
D um canit assuetas miscet philomela querelas.
C oniugis absentes hæc dum suspirat amores,
I ngeminat memorem nati philomela dolorem.
D umq; uiri barbam meminit, setosaq; menta,
H ic philomela grauem sustollit in aëra questum.
D umq; thorum queritur, fraudataq; gaudia lecti,
M œsta silet philomela, facitq; silentia luctus,
S uspirantq;, redolentq; simul. Quo carmine captæ
F ormicæ, tacitum dant læta per agmina plausum.
A d fluuios me torret amor, fax urit ad amnes.
O mecum ueteres ranæ renouate querelas.
Dum tibi promitto noctem, meaq; oscula coniunx,
D elitiasq; paro gregis, & noua munera porto:
Dum

D um lauor ad fontem, ſudataq; pectora tergo,
E t filicem necto crines, ac tempora circum,
E cce lupum ad caulas, agnumq; ex ubere matris
E ripit, & tacitus latebroſa per auia tendit:
I pſe ſequor, noctem in nimbis per inhoſpita duco,
E t mea te coniunx exclamans, pectora plango.
O mecum ueterem ranæ reuocate dolorem.
Dum tibi de uiridi uiſcellam uimine texo,
V irgaq; cœruleo miſcetur candida iunco,
F lauaq; ſupremum circundat linea textum,
E t limbum croceo ſubtexunt flore corymbi,
E cce per impluuium demiſſo fune, pedumq;
E t picturatum buxi de fronde galerum,
F iſcellamq; decus texturæ, & ruris honorem,
S urripiunt fures: ah monſtra pudenda Brigantum.
E xcutior ſomno trepidus latrante Cynandro.
D um crudo perone mihi pes ſternitur alter,
I ngruit atra cohors murmur. Subroditur alter
P ero, nec à morſu pollex defenditur ægro:
E xclamo, lachrymanſq; genas & pectora tundo.
O mecum queſtus ranæ geminate recenteis.
Dum fœtus geminos uaccæ candentis, adulti
S pem gregis, ad fluuios, & prata uirentia duco:
D um mihi promitto ſoboles ad aratra, iuuencos,
A d mulctram uitulas, ad dolia dona Lyæi,
D umq; ſero cytiſum uaccis, arbuſtaq; pango,

A tq; ferens canto ad fulcos, uinetaq; pangens
A d foueas, ipfi mecum experiuntur & agni.
L udunt ad fentes infirmis cornibus hœdi.
A h dolor, ah lachrymæ, fonuere tonitrua cœlo:
D ifcurrêre faces, ignitaq; tela corufcant:
D e cœlo tacti fœtus, armenta, gregesq;,
E t tactæ uites, auulfa & ftiua ferenti
A ttonitu. Vix ipfe fuper turbatus, & amens,
S tragem inter pecorũ frugumq; relinquor, & atris
A mbuftus flammis iaceo. Vix colle propinquo
L apfa pales tutatur, humi tollitq; iacentem.
O mecum folitas ranæ inftaurate querelas,
E t luctum geminate, nouosq; intendite queftus.
C oncidit hic. Ipfi fimul ingemuere iuuenci,
I ngemuere & oues, cumq; ipfis matribus agni:
I ngemuere capræ, ipfis & cum matribus hœdi:
D emifere comas quercus, liquere palumbes
E t quercus: frondemq; nuces pofuere, columbi
D eferuere nuces: ramos fregere myricæ,
D eferuere & aues nidum, & cum prole myricas:
D eferuitq; & apis flores roremq; cicadæ:
E t ranæ mutis fecere filentia buccis.
H æc Saliuncus, & hæc referebat arundine clarus
E t calamis Petafillus, uterq; infignis auena.
I nterea afparagosq; legunt, fungumq; recentem,
B oletosq; fequuntur, & altercantur utrinq;

Conditura

Conditura ſuo quæ ſit miſcenda ſapore.
Tecta & uterq; ſubit, nigro ſqualentia fumo
Hirſuti Labeonis: hic & miſcere falernum
Aſparago docuit, docuit piper: hic boletis
Incoctumq́; pyrum, mentæ ſylueſtris aceruum,
Alliaq́; adijcere, & contritum ſerpillum:
Poſtremo querulis oleum ſtillare patellis.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN HIS PONTANI heroicis continentur.

IN PRIMO Vraniæ lib.

Generatio

IN QVINTO Vraniæ lib.

IN METEOROrum libro.

IN PRIMO LIBRO DE HORTIS HESPERIDUM.

IN SECVNDO libro de Hortis Hesperidum.

FINIS.

BASILEAE IN OFFICINA Andreæ Cratandri. Anno M. D. XXXI.



IOAN. IOVIANI

PONTANI

CARMINVM, PARS SECVNDA:

IN QVA,

Amorum, libri duo.
De amore coniugali, libri tres.
Tumulorum, libri duo.
De diuinis laudibus, liber unus.
Hendecasyllaborũ, seu Baiarũ, libri duo.
Iambici uersus de obitu Lucij filij.
Versus lyrici, ad res uarias pertinentes.
Eridani libri duo.

Basileæ apud And. Cratandrum. Anno
M. D. XXXI.

PETRVS SVMMONTIVS LECTORI S.

HABES *amice lector, præter Vraniam, Hortos, & Bucolica, reliqua omnia Pontani carmina, unũ hoc in uolumen collecta: in quod nos (ne quid ex illius carminibus deesset) inemendata etiam quædam, necdum perfecta, ut Eridanum Sapphicosq́;, cum alijs à Pontano ipso emendatis, congeßimus. Atq; ea quidem opuscula non semel supprimenda esse cogitauimus: sed planè uidebatur impium, uenerandis tanti uiri scriptis, quem uiuum omnes meritò coluimus, audaces post obitum manus inferre. Boni igitur consule, quisquis ea leges: intercisi morte operis, inemendatiq; rationem habeas: occurre quæso qua decet æquitate calũnijs, rerũ humanarũ memor. Quum præsertim tot alia eiusdem extẽt opera, egregia illa quidẽ, atq; exculta, quæ pro his paucis exorare ueniam uel facilè poßint. Quod uero ad codicis fidem spectat, Pontani ex archetypis quatuordecim hos Elegorum, Lyricorumq́; libros accurate transcriptos scias: plenum sanè atq; integrum unumquodq; opus, eoq́; ordine digestum, quo archetypos ipsos Pontani manu scriptos inuenimus. Reliquum est, ut enarratiunculas quasdam, quas propter rerum nouitatem inserendas necessariò duximus, legere non graueris.* Vale.

LOCORVM

LOCORVM IN HOC OPERE obſcuriorum explanatio, autore Petro Summontio.

Tempora Buſuluniana. Petrus Buſulunus Tarraconenſis, Alfonſi regis Neapo. patrimonij procurator, & ob id ipſum pleriſq; odioſus.

Victoria mater Pij Pont. Max.

Tiſbe nomen puellæ à Leonte adamatæ, cuius domus prope fontem erat.

Cermenis rupes in Mineruæ promontorio.

Fabæ ſors regia. Martinalitijs cœnis regem ſorte fabæ, quæ placentis includitur, creari, nota eſt noſtri temporis conſuetudo.

Antiniana & Patulcis. Neapoli mons ab occidente imminet, ſalubritate & uillarum frequentia nobilis, in quo locus eſt Antinianum nomine, ubi Pontanus uillam habuit: hoc etiam in monte Patulcium eſt, ad ſecundum ferè ab urbe lapidem, in uia, cuius adhuc ueſtigia extant, Puteolana, clarum ſepulchro Maronis, quod ſæpe Pontanus ſub Patulcis Nymphæ nomine celebrans ad Vergilium ipſum alludit.

Tumulus Hydruntinorum ciuium. Pontani ætate Mahometem Turcarum regem miſſo in Italiam exercitu Hydruntum expugnaſſe, cæſis crudeliter oppidanis, nota hiſtoria: horum deinde oſſa Alfonſus Calabriæ dux pulſis hoſtibus, receptoq; oppido, pie ſepeliendа curauit.

Caiæ puellæ, & Blandia nympha. Caius & Blandus, fluuij sunt Senenses. (timis.

Tebenna & Tanager: ille mons, hic fluuius in Picen

Capimontij recessus. Capimontiũ, locus nõ procul Neapoli, in collibus urbẽ à Septentrione spectantibus, agris uillisq; cultißimus: quem in Francisci Puderici gratiam (quòd ibi uillam haberet) celebrat.

Mergillina uilla est in uia Puteolana, ad mare, in radicibus Pausilypi, iuxta Cryptã Neapolitanã, quam Actius Syncerus Federici regis munere poßidet.

Labulla riuus est, qui per cuniculos Neapolim ingreditur, à labro (ut Pontano placuit) dictus, siue, ut alij uolunt, à bulliendo. Non omittenda hoc loco Delioli mentio uidetur, qui fons est in uia Acerrana, nõ multum Neapoli distans, Pontani & ipse carmine illustratus. Hunc Alfonsus Calabriæ Dux, magnificis excultißimisq; ædificijs exornauit, ac Pogium regale appellari iußit.

Sebethus fluuius toties à Pontano decantatus prope Neapolis mœnia labitur. Huius Virgilius, Statius & Columella meminerunt. Quod quidem nomen sine r litera proculdubio scribendum est: tametsi sciam qui Sebethrus per r legant. Testis est, ut alia omittam, tabella marmorea uetustißima, Neapoli in murorum fundamentis reperta, quæ hoc habet:

P. MEVIVS EVTYCHVS AEDICVLAM RESTITVIT SEBETHO.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI LIBER AMORUM primus, cuius titulus est, Parthenopeus.

LIBRVM ALLOQVITVR.


I M unus lepido meo sodali,
N on dura nimium Libelle fronte,
S ed qualem teneræ uolunt puellæ
I nter blandicias, iocosq; molles,
C haris coniugibus suis inesse.
L egem uersiculis dedere nostris
A etas, & malè sobrius magister,
V t tantum teneras ament puellas,
V t sint uirginibus nihil molesti,
V t molles, lepidi, leues, iocosi.
Q uos uxor canat in sinu mariti,
Q uos coniunx legat in sinu puellæ,
Q uos discant pueri, senes & ipsi,
S i qui sunt pueris ineptiores,
E t castos fugiunt, timentq; uersus.
N unc ad te redeo Libelle: felix,
I felix, pete nobilem sodalem,
I nter nequitias amoris omnes
L udentem in gremio suæ Cicellæ:
C uius lacteolo sinu tumenti
S urgunt aureolæ duæ papillæ:

Quas fecit manibus ſuis Cupido,
Maternas imitatus ipſe mammas.
O quid coniuge dulcius uenuſta?
Aut quid charius optimo marito?
Quales ſunt Miniatus, & Cicella.
Sed te ne nimium morer Libelle,
Feſtina Miniatum adire noſtrum,
Qui te tam facili uidebit ore,
Vt poſt millia baſiationum,
Dignum te faciat ſinu Cicellæ.
Hanc tu malueris Libelle ſedem,
Quàm ſi ſcrinia regis ampla dentur.

AD FANNIAM.

Candidior niuea Veneris mea Fannia planta es,
Et Charitum tenero lactea crure magis:
Auroræ prælata coma, prælata nitore:
Hebe munditijs ceſſerit ipſa tuis:
Ceſſerit aſpectu Lede, Hermioneq́; papillis,
Flora genis: cedat Tyndaris ore tibi:
Nigraq́; formoſo furata es lumina Amori,
Et per te cæcus dicitur ille puer.
Naiadum illecebris quum ſis laſciuior, & ſit
Vſq; comes dictis gratia blanda tuis,
Ambroſia hinc teneris ſtillat tibi roſcida labris,
Ambroſia hinc roſeo ſpirat ab ore tibi.
Huius in amplexus ſuperi properate: ſed ipſe
Preueniam, nec tu bella puella neges.

Magna peti fateor, uerum mihi magna petenti
Contingat niueo pectore posse frui.
O mihi si liceat partes tractare latenteis.
Cedite dij, hac uincam conditione deos.
O bona non tractanda homini: bona digna rapina
Cœlicolûm, superis ô bona digna locis.
Deficio, gelidis suffundite tempora lymphis,
O desiderij lenta cupido mei.

CARMEN NOCTVRNVM
ad fores puellæ.

Sic mihi crudeles isti placentur ocelli
Qui me luminibus surripuere suis.
Vt nulla è cunctis æquè formosa puella est,
Nec quæ sit misero tantum adamata mihi.
Nil formæ natura tuæ, nil cura negauit,
Vna supercilij si tibi dempta nota.
Nam quamuis molli semper sis dedita amori,
Nulla proterua magis, nulla benigna minus.
Quum tibi sint placidi mores, sint mitia corda,
Nulla benigna minus, difficilisq; magis.
Nam quid dura tuum sic me contemnis amantem?
Neglectumq; tuas despicis ante fores?
Ipsa fugat primas nox intempesta tenebras,
Nulla tamen nostro mota dolore uenis.
Frigida sæuit hyems, immitis & ingruit aër,
Exclusum pateris me tamen esse foris.
Fannia solue fores, mea Fannia, Fannia quæso

Solue fores, quæso Fannia solue fores.
Et me quem gelidus Boreas contraxit & imber,
In tepido foueas dulcis amica sinu.
Quod rogo, nec magnum est, & amor sibi mutua pos
Mutuaq; amplexus gaudia poscit hyems. (scit,
At tu quæ dominæ seruas dilecta cubile,
Me miserum, dormis scita Lepilli diu.
Si dormis, tibi sit facilis somnusq; quiesq;:
Sin uigilas, posti te rogo deme seram.
Scis etenim, quid noster amor, quid spes mea de te,
Quid mihi promittat quæ tibi tanta fides.
Me miserum, dormis nimium iucunda Lepilli.
Surge age de molli, surge Lepilli toro.
Nam se quamprimum terris lux candida præfert,
Seq; dies roseo suscitat oceano.
Sed tibi quid feci crudelis somne? quid, inquam,
Dure meas frangis somnule delicias?
Te decuit, nostris olim deuicte querelis,
Lumina iam dominæ deseruisse meæ.
An ne deûm mentes, an liuor numina uexat?
Quos iuuat & nostra commoditate frui.
Nam te, si inuidia crudelis somne uacares,
Par fuerit mores noctis habere bonos.
Nox facilem cupido semper se præbet amanti:
Nox iuuenum curis obsequiosa fauet.
Illa meos quotiens custodem fallere iussos
Clàm tulit ad lectum, quo iacet illa, pedes?

Et quotiens, uigili quamuis cum matre iaceret,
Illa meo femori iunxit amica femur?
At tibi somne tuis semper sopor absit ocellis
Imprecor, & semper lumina aperta geras.
Quæq; papauereis tecum fers pocula succis,
Rupta cadant, & sis peruigil ipse diu.
Salue difficili subnixus pessule posti,
Limina quiq; tua claudis iniqua sera.
Vos mihi nunc faciles aditus præstate roganti,
Ad dominamq; meam pandite quà sit iter.
Vos ego Panchæo supplex uenerabor odore,
Floribus è uernis, pictaq; serta dabo.
Vobis myrteolo spargam de flore liquorem,
Vobis de roseo lympha madore fluet.
O malè, quòd fletu nequicquam absumor inani,
Despectasq; meas pessule lente preces.
Sic tibi nec longæ caries, nec ruga senectæ
Officiat, nec te sentiat ignis edax.
Sic tibi nec raucæ stridet quæ lamina serræ,
Nec queat ulla tibi sæua nocere manus.
Furtiuus clauso sensim te subtrahe posti,
Vt pateat moto cardine laxa foris.
Sed mihi qd lacrymæ prosunt? quid uota? preces'ue?
Roboribus duris nulla subest pietas.
Crudeles postes, crudelis ianua, tuq;
Tam malè grate meis pessule delicijs.
Vos situs obducat: uobis non æqua securis

Sæuiat, & cuneis instet acerba manus.
In uos irati procursent undiq; amantes:
Ingerat hic lapides, inferat ille faces.
Ergo ubi tam duræ consumpsi tempora noctis,
Mortua quid prodest membra referre domum?
Hîc moriar, sit & hæc mihi funeris autor acerbi
Ianua, sint tumulus limina & ipsa meus.

AD FANNIAM.

Puella molli delicatior rosa,
Quam uernus aër parturit,
Dulciq; rore Memnonis nigri parens
Rigat suaui in hortulo:
Quæ mane primo roscidis cinctos folijs,
Ornat niteteis ramulos,
Vbi rubentem gemmeos scandens equos
Phœbus peragrat æthera.
Tunc languidi floris breue & moriens decus
Comas reflectit lassulas.
Mox prona nudo decidit cacumine,
Honorq; tam breuis perit.
Sic forma primis floret annis, indecens
Vbi senectus aduenit,
Heu languet oris aurei nitens color,
Quod ruga turpis exarat.
Perit comarum fulgor, & frontis decus,
Dentesq; flauent candidi.
Pectus papillis inuenustum languidis

Sinus

Sinus recondet sordidus,
Quod nunc eois lucidum gemmis nitet,
Tenuisq́; uestit fascia.
Nullas amantis audies mœsti preces,
Duram querentis ianuam.
Non serta lentis fixa cernes postibus,
Exclusi amantis munera.
Sed sola noctes frigido cubans toro
Nulli petita conteres.
Quin hoc iuuentæ floridum atq; dulce uer,
Breuemq́; florem carpimus.
Post lustra quinq; iam senectus incipit,
Latensq́; surrepit modò.
Quare meorum ô aura suauis ignium
Dies agamus candidos,
Noctesq́; diuæ conteramus integras,
Quæ mane lucet Hesperus.

AD PVEROS DE COLVMBA.

Cui uestrûm niueam meam columbam
Donabo ô pueri? tibi ne Iuli,
Num Cœli tibi? num tibi Nearche?
Non uobis dabimus mali cinædi.
Non uos munere tam elegante digni.
Quin ite illepidi atq; inelegantes.
Ales nam Veneris nitore gaudet:
Odit sorditiem, infacetiasq́;:
Insulsos fugit, & parum uenustos.

S ed cui nam cupis, ô Columba, munus
D eferri? scio: nam meam puellam
A mas plus oculis tuis, nec ulla
V iuit mundior, elegantior'ue.
H æc te in delicijs habebit, hæc te
P ræponet nitidis suis ocellis.
N ec tanti faciet suam sororem.
H uius tu in gremio beata ludes,
E t circumsiliens manus sinumq;
I nterdum aureolas petes papillas.
V erum tunc caueas, proterua ne sis,
N am pœnas dabis, & quidem seueras,
T antillum modò tam uenusta poma
D e tactu uities: & est Diones
T utelæ hortulus ille dedicatus.
N umen lædere tu tuum caueto.
I mpune hoc facies uolente diua,
V t quum te roseo ore suauiatur,
R ostrum purpureis premens labellis,
M ellitam rapias iocosa linguam,
E t tot basia, totq; basiabis,
D onec nectarei fluant liquores.

QVERITVR DE INGENIJ TENUITATE.

A ërij montes, & mollia prata, nemusq;,
Et uos carminibus flumina nota meis:
Quòd me tam gracilem uoluistis ferre poëtam,
Indignor,

Indignor, magnæ laudis amore calens.
Nam mihi iam pridem tenues agitantur amores,
  Attritamq́; sequor uatibus ipse uiam.
Intactos ausus necdum contingere fontes,
  Arduus & summi carpere montis iter.
Hic ubi Pierio recubans Lucretius antro
  Concinuit Latio carmina digna sono,
Acrarum Siculus fœcundo pectore uates
  Rerum naturæ condidit autor opus.
Sed tamẽ ante diẽ quicquid properatur, acerbũ est,
  Maturumq́; suo tempore quicquid erit.
Omnia fert ætas, & perficit omnia tempus,
  Nec serum quicquam tempus & hora ferunt.
Prima uelim teneris intendat amoribus ætas,
  Cantet & ad citharam nostra Camœna suam.
Ac primum teneros miretur Fannia uersus,
  Quos mea demulcens pectora dictat amor,
Lasciuumq́; prius me sentiat Vmbria uatem,
  Gaudeat & nostro carmine lector amans.
Sera meis ueniet, ueniet si fama libellis,
  In precio quum sit nostra senecta suo.
Tunc ego Castalias (uiuam modò) pronus ad undas
  Perfundam sancto labra liquore senex.
Quatuor & referam digesta elementa figuris,
  Primum ignis, post hunc aëris esse locum:
Terra sit ut media mundi regione locata,
  Nixa suis opibus, pondere tuta suo.

Interualla tenens distantia partibus æquè,
Bruta quidem, & solido sorte recepta loco:
Quam pater Oceanus spumantibus abluit undis
Amplectens, medio dissociatq; freto.
Sint duo præterea, quorum sublimis ab Arcto,
Imus ab opposito dicitur axe polus.
Hos circum immensi uoluatur machina mundi,
Nec tamen impositum sentiat axis onus.
Deniq; gignendis quænam sint semina rebus,
Vnde suos ortus ædita quæq; trahant.
Vnde pauor ceruis, rabies atq; ira leonum,
Raucaq́; cur cornix, & bene cantet olor.
Quid calidi fontes imbri, quid noctibus Hammon
Ferueat, & medio frigeat usq; die.
Quem dederit rebus finem natura creandis,
Centauri nunquid, Scylla uel esse queant.
Cur non luna suo, sed fratris luceat igni.
Quid uehat & Procyon, quid uehat ortus Equi.
Felices animæ fatis melioribus usæ,
Cura quibus primis talia nosse fuit.
Non illis studium gemmæ, non dira cupido,
Diuitis aut auri perniciosa sitis.
Sed superûm casto rimabant pectore templum.
Quîs superis nunc est uita beata locis.
At mihi seruitium, & tristis iam uita paratur,
Illaq́; libertas pristima surripitur.
Immatura meæ nec parcunt fata iuuentæ,

Nec

Nec peream, tu me Fannia chara iuua.

HYMNVS IN NOCTEM.

Nox amoris conſcia, quæ furenti
Ducis optatam iuueni puellam,
Grata dijs magnis, & amica blandæ
Nox bona lunæ.
Quam colunt unam Geniusq́; Hymenq́;,
Et ſuo gaudens Erycina nato,
Quum ferus diras acuit ſagittas,
Tendit & arcum.
O uoluptatis comes, & miniſtra,
Quæ bona ex te fert thalamus, torusq́;,
Quas ſopor fert illecebras, iocosq́;,
Deliciasq́;.
Quas ſimul iuncti faciunt amantes
Inter amplexus, trepidumq́; murmur,
Inter & ludos, tenerasq́; rixas,
Dum furit ardor.
Dum micant linguis, animæq́; florem
Ore deducunt querulo, pariq́;
Concidunt motu, reſoluta poſtquam
Grata libido eſt.
Tu quies rerumq́;, hominumq́; ſola,
Tu graueis curas, & amara feſſæ
Amoues menti, & refoues benigno
Pectora ſomno.
Tu reddis mundo redimita frontem

S yderum ſertis, reficisq; grato
R ore perfundens uiolaria, agros
Frugibus exples.
D a meis finem dea magna uotis,
E t quod optamus liceat potiri,
N e uoret triſtis penitus calentes
Flamma medullas.

AD MVSAS.

Nymphæ quæ nemorum comas uirenteis,
A tque undas Aganippidas tenetis,
E t ſaltus gelidos uirentis Hemi,
V os ô Theſpiadum cohors dearum,
V eſtris me ſocium choris & antris
V ulgi auertite dentibus maligni.
E t me Caſtaliæ liquore lymphæ
S parſum cingite laureis corollis,
C antantem modò Sapphicis labellis.

AD FANNIAM.

Q uid mihi tam multas proponis Fannia pœnas,
Et cupis in tantis excruciare malis?
S it ſatis interdum grauibus me affligere uerbis,
Et miſerum de me ſumere ſupplicium.
N on ego ſeruitium dominæ tam mite recuſo.
Ah pereat ſi quis uincula & ipſa timet.
L uminibus ſed dura meis te ſubtrahis, & me
Excludit poſita clauſa feneſtra ſera.
S ed nunquam potui lacrymis, aut fletibus ullis
Efficere

Efficere, ut nobis mitior ipsa fores.
An quia te à teneris dilexi puriter annis,
Hoc meruit de te perfida longus amor?
Quid si me alterius cepissent lumina? quid si
Altera in amplexus isset amica meos?
Hoc nocuit misero, seruisse fideliter uni:
Hoc nocuit, tanta semper amasse fide.
O pereat quicunq; colit tenerasq́; puellas,
Et duræ sequitur militiam Veneris.
Et mihi si posthac fuerit quæ gratia tecum,
Dilanient auidi tum mea membra lupi.
Tum mea membra auido discerpant gutture corui,
Effodiantq́; oculos, qui mihi causa mali.
Ah ualeant ueneres, ualeant mala gaudia amores:
Casta placent, luxus desidiose uale.
Iam mihi Francisci tunicam, chordamq́; parate:
Iam teneant nudos lignea uincla pedes.
Quàm iucunda mihi ieiunia? quîs ego cœlum
Emeream, quum me soluerit atra dies.
At tu tunc nostros flebis deserta labores,
Quum subeant Veneris dulcia furta meæ:
Quum subeant dulces quas tecum ducere noctes,
Sæpe admirata es, lassaq́; facta prior.
Sed quid tum lacrymæ? qđ tũ tibi uota? preces'ue?
Quem semel expuleris non reuocatur amor.
Non mihi chara quidem poteris, non bella uideri:
Non, si sic fieri Iuppiter ipse uelit.

Et licet in te alius diues suspiret amator,
Exemplo fuerit cautior ille meo.
Acne quem lateat quàm sis non mitis amanti,
Sæuitiam dicet parua tabella tuam.
Quam legat & iuuenumq; chorus, doctæq; puellæ,
Et quicunq; tuam sensit amor pharetram.
Fannia despectos semper fastidit amantes.
Hoc illi uitium mater iniqua dedit.

PHILIPPI AD FAVSTI-
nam epistola.

Quam tibi maluerim præsens Faustina salutem
Littera sollicitæ nuncia mentis habet.
Si qua uidebuntur scriptis temeraria nostris,
Hoc constans ueri pignus amoris erit.
Consilio regitur quisquis moderantius ardet.
Inconsultus erit, si quis amare uolet.
Hoc mihi turpe putem, sapiens si dicar amator.
Quiq; amor est alijs, sit furor ille mihi.
Forma minor certe quàm nostra insania uestra est.
Sed pudor iste mei causa furoris erit.
Quamuis & facie ueteres heroides æquas,
O non humano nata puella toro.
Hermionem laudant, quòd erat spectanda capillis,
Et sibi Apollinea fecerat arte comam.
Hocq; Clytemnestre potuit formosa uideri,
Candida quòd roseus sparserat ora color.
Sola Helene in terris, sola eius forma probatur.

Sed

Sed tamen huic Helenæ quid nisi forma fuit?
Quum tibi præsertim sint doctæ Palladis artes,
Sit comes ex omni gratia parte tibi.
Adde, quòd & fastus semper contemnis iniquos:
Tyndaridum tota est dicta superba domus.
Vidi ego te in primi spatiantem limine templi.
Ille locus nostri uulneris autor erat.
Et uidi, & perij, gelidoq́; in pectore dixi:
Non hæc templa mihi, templa salutis erunt.
Ignibus urebar tacitis, ut Vesuuia rupes,
Vndaq́; in Oëtis Thermopylea iugis.
Non tamen audebam tacitos aperire dolores.
Ingenium metuens casta puella tuum.
Donec qui teneris pertentat corda puellis
Vulnera nostra tibi cæca retexit amor.
Fecit, & optares communeis pascere flammas,
Iniecitq́; tibi mutua uincla Venus.
Nam neq; Abidei iuuenis, Sestæq́; puellæ,
Aut in amore alio tanta reperta fides.
Milanion nostros nequeat sufferre labores,
Hyleam quamuis senserit ille manum.
Non labor huic fuerat uarios contemnere amores,
Vna sed Iasidi cura placere suæ.
At mea quum multis placuisset forma puellis,
Huic uni, dixi, noster inhæret amor.
Tu quoq; ne formæ quicquam iam deesset honestæ,
Mansisti in nostra Laodomia fide.

Illius absentem retinebat Troia maritum,
    Troia cinis misero Protesilaë tibi.
Interea uultus illi referebat amatos
    Cerea formati dulcis imago uiri.
Huic & blanditias, huic & dilecta ferebat
    Oscula, cognati hæc pars erat æqua tori.
Hanc etiam noctes thalamo complexa fouebat.
    Tantus in absenti coniuge sæuit amor.
Et frustra miseri pulsabant limina amantes,
    Floridaq; obductis serta dabant foribus.
Sicq; diu uiduo permansit fida cubili,
    Hinc etiam cineres ingemitura uiri.
Hoc castam decuit, sic expectare decebat:
    Virginis hæc fuerant conscia signa bonæ.
Tunc mea felices implebant carbasa uenti:
    Vnus eram de quo diceret omnis amans.
Ipsi ridebat cœlum mihi, & ipsa fauorem
    Spondebant rebus fata benigna meis.
O quotiens Solem cernenti intercidit illud:
    En quanto melior sors mea sorte tua est.
Dicebam lymphis: quæ nunc sic curritis undæ
    Vos rapidum certe contineatis iter.
Dicebam syluis: quæ nunc sine fronde rigetis
    Vos nunc formosas indueretis opes.
Fronderent colles, florerent gramina, nostra
    Si bona nouisset, mellificaret apis:
Nidum auis in syluis, oblitaq; semper amati

Coniugis,

Coniugis, extrueres Halcyonea mari.
Scylla patrem cupias, Tereu gaude in Philomena,
In ſcopulis Echo, flore Hyacinthe nouo.
At uos nunc undæ, quæ ſic iam curritis undæ,
Currite, feſtinum iam celeretis iter.
Et uos ô ſyluæ, quæ nunc ſine fronde rigetis,
Gaudete arenteis depoſuiße comas.
Arerent colles, ſqualerent gramina, noſtra
Si mala ſentiret, mella relinquat apis:
Nidum auis in ſyluis, memor & tibi ſemper amati
Coniugis, erueres Halcyonea mari.
Scylla patrem fugias, Tereu mœre in Philomena,
In ſcopulis Echo, flore Hyacinthe tuo.
Cor dolet, & gelidus torpet ſub pectore ſanguis.
Sed tamen inuitum dicere cogit amor.
Mens abit, & mutis iam lingua in faucibus hæret,
At dolor iratum cogit acerba queri.
Vnde meas primum ſumam Fauſtina querelas?
Quod mihi principium, qui mihi finis erit?
Vana fidem, & caſti fregiſti iura pudoris.
Vana deos teſtes fallere uana potes?
Ingrata & miſeri contemnere munus amantis,
Obſequijq́; potes non memor eſſe mei?
At quondam Libycis leo dum mugiret arenis,
Saucius Androcli munere ſenſit opem.
Inde comes ſocio permanſit fidus in antro,
Et precium uictus raptaq́; præda fuit.

Quumq́; cruentasset Romanum cæde theatrum,
Abstinuit medicas ille ferire manus.
Scilicet humanis aliena est gratia rebus,
Iustius ingenium debet inesse feris.
Quid si me longæ premerent incommoda uitæ?
Inficeretq́; meum cana senecta caput?
Non sic Tithono coniunx eoa relicto,
Est illum uiduo passa iacere toro.
Quamuis ille senex, quamuis foret ipsa puella,
Non tamen ipsa suum spreuit iniqua senem.
Sed lacrymis charum satiabat mœsta cubile,
Quum iuga luciferis manè ligaret equis.
Indoluitq́; suos lucem deposcere currus,
Officio cupiens præposuisse torum.
Nec minus Auroræ, quàm summo grata tonanti,
Olim Dircæis nox geminata iugis.
Scilicet huic teneri suberat quia cura pudoris,
Atq; fides constans, ingenuusq́; pudor.
Sed caue neglectos, quos nec periura uereris,
Nulla quidem læsis gratia cœlicolis.
Testis Apollineæ Neptunnia mœnia Troiæ,
Dardaniumq́; genus, Dardaniusq́; cinis.
Testis, qui falsi propter periuria nati,
Indidit Aegæo nomina uana mari.
Si non iuratæ spreuisset tela Dianæ,
Cydippen frustra commonuisset amans.
Hoc est quòd miseras deterrent fulmina gentes,

Hoc dedit irato tela trisulca Ioui.
Vidi ego quæ Veneris fallendo iura resoluit,
Perfidiæ pœnas sæpe luisse graues.
Vidi & quæ roseo fuerant suffusa rubore,
Pallida, & in lentas ora reuersa genas.
Et nitidos olim dentes mutasse colorem,
Proq́; coma niueam surgere caniciem.
Sed prius aut Mauro ueniam fera præda leoni,
Meq́; uel irati sorbeat unda maris,
Aut mea Caucaseæ discerpant membra uolucres,
Aut Diomedeis deuorer in stabulis,
Quàm tibi uel minimo fuerint periuria damno:
Sis periura licet, si modò bella manes.
Hanc faciem uitient dentes? hunc frontis honorem
Canicies? decus hoc ruga senilis aret?
Parce Venus, non est, mea non periura puella:
Non periura quidem, si qua puella leuis.
Hoc uitium formæ est, cunctis hæc menda puellis:
Si uitium leuitas, nulla puella bona est.
Te meminisse decet, dum coniuge sæpe relicto
Mauortis cupidi dulce cubile petis.
Nec contenta deo, nemorum deserta colebas,
Et tibi Marte tuo charior alter erat.
Nec foret Aeneas, si non Simoëntia rupes,
Conscia delicijs esset & ipsa tuis.
Si quid peccatum est, si quid meruisse fatetur,
Iuppiter in nostrum pœna sit ipsa caput.

Pœna feros animos, & nescia corda remitti,
Pœnaq́; Salmoneum, Pyrithoumq́; decet.
Pœna deos ausum debellauisse Typhœa,
Pœna decet Nioben, Biblyda pœna decet.
At non pœna decet iurantem uana puellam:
Sit pœnæ hoc illi, pœnituisse, satis.
Pœnituit: tu parce pater: nam sponte fatenti
Lex fauet, & magno est gratia magna tibi.
Tu quoq; uita tuo si quid peccauit amanti,
Da ueniam: merui nil ego: iußit amor.
Iußit amor: magno quis enim non cedat amori?
In Cycnum, in pluuiam, qui iubet ire Iouem.
Nam subit illius felicis temporis hora,
Quum mihi suspirans talia uisa queri,
Nec poterant ipsi succurrere uerba petenti:
Quippe diserta recens uerba premebat amor.
O utinam, & uercor ne sim tibi uilis in isto,
Mutua sit de me cura futura tibi.
Qualiscunq; tamen seris licet urgear annis,
Vnus eris quem me semper amare iuuet.
Tu meus unus eris, quamuis meus esse recuses:
Sis licet alterius, tu meus unus eris.
Interea tumidis stillat tibi riuus ocellis,
Humentesq́; rigat candida gutta genas.
Ipse ego solando lacrymas super ora cadenteis
Siccabam digitis anxius usq; meis.
Iurabam demens fallendi nescius artis,

Quum

Quum mens certa mihi, certus & esset amor,
T ecum compositæ uenturum ad fata senectæ,
Mansuramq́; meam tempus in omne fidem.
T ecum post cineres, post dona ingrata sepulchri,
Traiecturum una flumina nigra rate.
I pse idem, mea sis eadem cupioq́; rogoq́;,
Mutua utrinq; fides, firmus utrinq; & amor.
C ura eadem mihi sis, eadem tibi cura Philippus.
Hoc sibi & ipsa fides, hoc quoq; poscit amor.

AD FANNIAM.

Amabo mea chara Fanniella,
O cellus Veneris, decusq́; Amoris,
I ube isthæc tibi basiem labella
Succiplena, tenella, mollicella,
A mabo mea uita, suauiumq́;,
F ace istam mihi gratiam petenti.
A h quid lenta tuum times maritum?
N e time, leuiter suauiabor.
A pes ut tenero studens liquori
L ibat summa Thymi, aut Crocon rubentem,
S umma uix tibi suxerim labella:
I sthæc dico labella mollicella,
Quæ me tam facient cito beatum,
Q uàm fiam cito, si neges misellús.

AVRAM ALLOQVITVR.

Aura syluarum, nemorumq́; cultrix,
C ynthiæ fessæ gelidum leuamen,

O quies laßis fugientibusq́;
Pana Napæis.
G rata pascenti niueas capellas
P ropter Amphrysi uenerantis undas,
S eu colit gratum nemus, atq; amati
Daphnidis Idan.
C ynthio semper dea grata, semper
D ulcis illius comes, ô laborum,
O quies æstus Cephalo uirenti in
Vertice Hymeti.
L inque florenteis dea blanda colles,
S iue in umbrosos gelidosq́; saltus
M ænalos, aut Parthenio in antro
Lenta uagaris.
S iue Spartanis celebrata Nymphis
T aygeta, aut molles Phrygiæ recessus,
S eu tenent uerno Zephyro tepenti
Littore Baiæ.
H ic ubi nostri quotiens amores
M e sine, & lympha fruitur salubri
F annia, heu torpet gelidus sub imo
Pectore sanguis.
Quæ modò in molli studiosa arena
L udit, & circum niueæ sorores
C ursitant, pictas uario legentes
Littore conchas.
Qualis in uernis Erycina pratis

Gratijs

Gratijs certans, ſtudio recenteis
Deligit flores, modò ſe fluenti
Abluit amni.
Interim occulto latitans fruteto
Faunus, armentiq́; deus magiſter,
Ebibunt molles auido fouentes
Pectore flammas.
Huc age & greſſus moueas uirenteis,
Floribus nectens croceos capillos,
Pinnulis afflans roſeos odores,
Ambroſiamq́;.
Sed leues tecum uolitent Amores,
Quisq́; candenteis iaculans ſagittas,
Sed meum certent facibus cruentum
Vrere pectus.
Vrar, & centum pariter ſagittis
Figar, ac de me cupiant triumphum,
Vel leuem immitis modò ſentiat ſi
Illa fauillam.
Sed quis heu noſtris calor in medullis
Feruet? en quali exagitamur æſtu?
Tu meos ô nunc releuans calores
Aura uenito.

DE QVALITATE AMANTVM.

Miſer, qui amat, uidetq́; quod cupit nunquam:
Magis miſer, qui amat, uidetq́;, nec tangit:
Miſerrimus, qui amat, uidetq́;, tangitq́;,

Nec tangit, ut uult, nec sibi gerit morem.
Expertus hanc sententiam miser dico.
At cui tot insunt commoda, ac facultates,
Dijs is est profectò amans adæquandus.

AD PVELLAS.

O dulces animi mei lepôres,
Solæ deliciæ meæ Camœnæ,
O plus quàm Veneris papilla bellæ,
Et Nympharum oculis uenustiores,
Amabo, mea basiate labra.
Da mi basia Gelliana mille,
Da quot Lesbia iam dedit Catullo.
His addas uolo millies trecenta.
Da dulcis totidem Medulliena.
O desiderium mei furoris
Phyrne, confere labra cum labellis.
Pugnent humidulæ per ora linguæ.
Innitens manibus, meoq; collo
Pendens, in numerum & modum columbæ
Cœli sydera uince basiando.
Hyblæo Glyca suauior liquore,
Sime uel digito semel lacessas,
Cordis deliquium mei uidebis.
Sed me nunc animus meus relinquit.
Ah me nunc fugis, ah fugis miselle,
Clitimam petis, & petis Velinam,
Quî fiet, miser ut duobus unus

Viuas

Viuas pectoribus? redi miselle.
Nam si Fannia uiderit uagantem,
Inuitum capiet, tibiq; pennas
Victrix eripiet: redire nunquam
Ad me tu poteris, moriq; coges.

AD CHARISIVM.

Fannia formosa est, Charisi Fannia pulchra est,
Totaq; mollicula est, totaq; lacteola est.
Et quum lucidulos in me conuertit ocellos,
Tota Venus, tota est Fannia nequitia.
Basiaq; humidulis quum sumit rapta labellis,
Tum mihi de cœlo spargitur ambrosia.
Hæc mihi præripuit sensus, & amara uidendo
Vulnera dat, lacrymis excubat illa meis.

QVERITVR ANTE LImen puellæ.

Hîc me marmoreum faceret deus, hîc ego saxum
Quod premeret pedibus Fannia dura suis.
Nam quotiens sacri peteret pia limina templi,
Per mea membra suum saxea ferret iter.
Et quotiens festis redeunt sua sacra diebus,
Limine prodiret conspicienda suo.
Tunc ego marmoreus quamuis, nec sensile saxum,
Gauderem nitidis ipse premi pedibus.
Nam nihil est cœli subter regione creatum,
Quod non delitias norit habere suas.
Quòd si quid Venerem, Veneris seu spicula nescit,

Durities artus induat illa meos.
Et si te biduum cogar caruisse, necesse est
In speciemq; abeat nostra figura rudem.
Vna dies tantum est qua te non Fannia uidi,
Et sine iam uideor sensibus esse meis.
Altera quàm uereor ne sit lux inuida nobis,
Et sim de nostro nomine pondus iners.
Quicquid ero, merear quum de te Fannia maius,
O saltem strophium poßit id esse tuum,

AD BACCHVM.

Nunc hederis sertisq; nouos innecte corymbos,
Nunc tua circundent tempora Bacche rosæ,
Nunc uiridis flauas suspendat pampinus uuas,
Ingeminetq; nouas ebria mensa dapes.
Nam mea Parnasi rediens è collibus audet
Ludere Romanis Calliopea modis:
Inq; choro iuuenum molli saltante puella,
Sopitos longo tempore ferre sales.
Aoniumq; mouet circum tua pocula plectrum,
Eu ohe Bacche, canens, ad tua festa ueni.
Tu quoq; nobilibus precium iam Laure poëtis,
Laure tuum nobis porrige fronde decus.
Et mea Phœbeis ornentur tempora sertis,
Vt merear nomen uatis habere noui.
Stultus ego, fieri credam qui fronde poëtam.
Non Laurus uatem, sed sua Musa facit.

LVDIT POETICE.

I am ſatis eſt molli reſidem luſiſſe ſub umbra,
Noſtraq; Nympharum ſcripta tuliſſe choris.
Nunc iuuat & forteis Troiana in prælia fratres,
Dardaniosq; iterum ducere in arma duces.
Nunc iuuat & multa fœdatum cæde Patroclon,
Hectorea raptum commemorare manu.
Aeacide ut telo cecidit ferus Hector, ut arcu
Tabifico Paridis concidit Aeacides.
Ferueat ut nimium confidens Troilus armis,
Vulneret incautum Theſſalis haſta latus.
Vtq; Neoptolemi diſiecta ſit Ilios armis,
Vt Priamus patrios corruit ante deos.
Scilicet in magnis quærenda eſt gloria rebus,
Hinc ueniant capiti laurea ſerta meo.
Quòd ſi forte animis reſpondent carmina noſtris,
Vel Crœſi fuerint uilia regna mihi.
Felices nimium, fortunatosq; poëtas,
Et qui Penea tempora fronde tegunt.
Vna dies ſatis eſt hominum delere labores:
Vatibus at certe morte carere datum.
O utinam & noſtri fugiant nigra fata libelli,
Et ſit perpetuo non ſine honore rogus.
O ſi poſt cineres & me quoq; iactet alumnum
Vmbria carminibus non inhonora meis,
Vmbria Pieridum cultrix, patria alta Properti,
Quæ me non humili candida monte tulit.

Vigia quem gelidis placidus circumfluit undis,
Et Nar ſulphureis fontibus uſq; calens.
Hic ubi me uiridi puerum ſub ualle canentem
Audijt irrigui cœrula Nympha loci,
Atq; ait: antra puer muſcoſi fontis, & iſta
Tecta petas: en hæc quæ tibi ſerta paro.
Si mecum hoc uiridi libeat conſidere prato,
Tu mea cura puer, tu meus ardor eris.
Hanc tibi nos dabimus, ne ſis modò durus amanti,
Quam dederat nobis Delius antè lyram.
Plura locuturam ſubitus deterruit horror,
Immerſitq; ſuis fontibus illa caput.
Liber adeſt, quem maturis uindemia ramis
Cincta uocat, lateri dolia plena ferens.
Hunc circum Satyri uolitant, uirideſq; Napææ,
Ebrietaſq; rubens, & maleſanus Amor,
Ac reſidens pando uetulus Silenus aſello:
Cui comes à dextra parte Priapus erat.
Tympana pars, alij quatiebant terga iuuenci,
Pars canit, & choreas ducit utraq; manu:
E quibus hæc unus lingua titubante ferebat,
Vt reor à calamis Pan Tegeæus erat.
Primus deuictis rediens Lenæus ab Indis,
Impoſuit capiti ſerta nouella ſuo.
Primus pampinea docuit de uite liquorem
Exprimere, & puris dulcia mella fauis.
Primus & inſtituit plenis conuiuia menſis,
Inſolitaſq;

Insolitasq; mero concelebrare dapes.
Per te blanda Venus, per te iucunda uoluptas,
Et sine te lusus, deliciæq; iacent.
Bacche quies rerum, terror quoq; Bacche gigantũ,
Subsidium uictis iam propè Bacche deis.
Hinc Thebas canit, & Semelen, interq; canendum
Vrceus huic ansa deficiente cadit.
Quem de more humeris suspensum semper habebat,
Ille dolet sitiens, præq; pudore tacet.
Ridet turba frequens, in primis ridet & ipse
Euchius: at comites indoluere senis.
Sed te dum Phrygiæ deterrent claßica pugnæ
Ad ueteres lusus ô mea Musa redis.
Nunquid dura nimis tibi Martia castra uidentur,
Otia quæ semper, deliciasq; colis?
Scilicet in nobis est consuetudo magistra.
Hæc studia, hæc artes ingeniosa facit.
Quòd si consuesces paulum sudare sub armis,
Mox tibi fidenti Martius ardor erit.

QVERITVR DE NIMIO
& nouo amore.

Ecce nouum nobis indicit Cypria bellum,
Ecce alias in me sumit Amor faculas.
Mater iò, iuuenem quis me tibi dulcibus annis
Eripit, & mœstos ingerit in cineres?
Nam mea crudeles tetigerunt corda sagittæ,
Atq; animam petijt uulneris asperitas.

Mater iò, mea mater iò succurre dolenti,
 Mater iò, migrat spiritus in tenebras.
Et tu chara tuo soror ô dulcißima fratri,
 Ac per quam fuerat uiuere dulce magis,
Iamq́; uale, & cineres fratris germana repone,
 Curabisq́; pias funeris exequias.
Cinnamâ si insano dilexi semper amore,
 Et placuit præ te fœmina nulla mihi,
O tantum liceat miseræ sperare fauillæ,
 Vt post nostra tuus funera uiuat amor.
Quamuis causa meæ fueris tu mortis acerbæ,
 Crimina non tua sunt, culpa sed est Veneris.
Nam mihi, quod castam decuit præstare puellam,
 A te seruata est semper honesta fides.
Non precium mihi te, fuluum non abstulit aurum,
 Quæq́; animos capiunt munera magna leues.
Sed quid liuenteis in me conuertitis hydros,
 Infaustasq́; faces, Tisiphonea cohors?
Parcite crudeles Erebi Ditisq́; ministræ,
 Et Canis, & Stygij lurida cymba senis:
Parcite, non uestrûm est manes retinere poëtæ,
 Elysia est nobis nanq; parata domus.
Illic nos nitidi manet aurea Musa Catulli,
 Cuius adhuc etiam Lesbia in ore sonat.
Cui tantum dicunt hi se debere libelli,
 Quantum nec charo filia blanda patri,
Quam iuueni ardenti multa cum dote maritam
Perducit

Perducit chari coniugis in gremium,
Illa ſuo grates perſoluit læta parenti,
Quòd dederit nomen coniugis ac dominæ.
O quicunq; meum comitati funus amici,
Viuite felices commemoresq́; mei.
Etſi quando nouos tulerit Campania uates:
Nanq; illa & domus, & patria Pieridum eſt:
Illa mihi puero ſedem, ſtudiumq́; Camœnæ,
Illa mihi nomen contulit ac dominam:
Dicite me iuuenem periiſſe in amore, meæq́;
Vnica quòd fuerit fœmina cauſa necis.

ALLOQVITVR SVSPIRIA & lacrymas.

O iucunda mei ſuſpiria nuncia cordis,
O oculi nunc iam flumina, non oculi,
Hæc mandata meæ conſtanter ferte puellæ,
Gaudeat ut ſolita eſt fletibus illa meis.
Senſiſtíne graues immitis Cinnama pœnas?
Senſiſtíne meus quàm miſerandus amor?
Perfida me crucias, quum poßis ſola iuuare.
Heu heu nam per te perfida nunc morior.
Quàm leuiter poteras fató ſubducere amantem.
Sed moriar: titulus ſit mihi mortis Amor.
Si non magna ſatis, periiſſe in amore puellæ,
Quantulacunq; tamen gloria dulcis erit.
Pallidus à miſero ceßiſſet corpore langor,
In uultū ſi quid dulce notaſſet amor.

In uerbis si mite aliquid: spes omnis amantum
Ex oculis: oculi nil nisi triste ferunt.
Ore Arabum nemus inspiras, uer ore remittis,
Vnde tibi nomen Cinnama dulce fuit.
Oscula si summis saltem mihi pacta labellis,
Concessum ambrosio si semel ore frui,
Languidulis animã poteras tum reddere membris,
Et nudum inferno me reuocare lacu.
Non mala Persephone letum properasset acerbum,
Non iuueni pallens Styx adeunda foret.
Non Phlegethonteæ sentirem incendia ripæ,
Eumenidumq́; angues, terrificumq́; canem.
Sed tecum charæ duxissem blanda iuuentæ
Tempora, subq́; tuo factus amore senex.
At tu sancta Venus nostro succurre labori.
Tu dea, tu uati Cypria parce tuo.
Diligat illa suumq́; & amans suspiret amantem,
Et iungi cupiat pectora nostra suis.
Proq́; meis lacrymis totidem succende fauillas.
Omnia sint illi cognita nostra mala.
Quem fugit cupiat, quem non est passa iuuare,
Nunc amet, uratur sic magis inq́; dies.
Sancta fauet, iamq́; & placidis arrisit ocellis,
Aureolumq́; dedit lux mea basiolum.
Basiolum nigra quo me reuocauit ab unda,
Atq; animam fessis reddidit articulis.
Quo sine non Arabum syluæ, non rura Sabæa,

Ambrosiæ

Ambrosiæ spiret nec sine mollis odor.
At tibi seruati tanto pro munere uatis,
Sudabunt tepidis thurea dona focis.
Et tibi cantabit laudes mea tibia: per te,
Cinnama dura prius, Cinnama facta bona est.

AD CINNAMAM.

Quum me cogit amor quicquam maledicere de te,
Dispeream, si non Cinnama discrucior:
Discrucior: uerum tanto succendor amore,
Vt peream, si non quæ uelit ira loquor.
Pœna tamē præsto est: nā uix dum lingua locuta est,
Quum mihi fit subitò flebile cordolium.
Pœnitet & charam dictis læsisse puellam,
Ac misero in lacrymas uertitur ira mihi.

DE SVAVITATE AMORIS.

Blanditijs amor est, & succo mollior omni,
Melle quoq; est dulci dulcior ac melior.
Hoc condimento cœlestis mensa deorum
Vescitur, idcirco gratior ambrosia est.
Nanq; ubi non amor est, ubi non miscentur amoris
Suauia, nil lauti, nilq; lepôris inest.
Hæc iuuenes cantent, quibus est Cytherea benigna:
Nam mihi felle malo tristior & grauior.

AD CINNAMAM IRATE.

Pauxillum quòd amas me Cinnama, num bene uelle
Plus tibi quamq; oculis credis inepta meis?
Non amo te, fateor (quid enim simulare necesse est?)

Si mihi nec bene uis, nec bene uelle cupis.

AD CINNAMAM DE eius inclementia.

Ecquem lacrymulis impones Cinnama modum?
Quando mi misero requiem dabis improba? uides
Ignibus exuri me, nec tu proijcis aquam.
Crudelis quæ nec tuo amanti porrigis opem,
Et nec tantillum miseret te perfida mei.
O ego non felix, qui tam crudeliter amo,
Nullaq; me redamat, sed contra mi malè cupit.

AD CINNAMAM BLANDE.

Da mihi basiolum mea Cinnama, quale furenti
Ante hac nulla uiro fœmina surripuit.
Cumq; meis pariter coniunge labella labellis,
Pro serpente mihi sit uaga lingua duplex.
Morsibus in blandis desit dens, murmura desint,
Exclususq; uaga spiritus ex anima.
Lasciuum satis est quod mollis Francia libat,
Verum hoc aureolum est Cinnama basiolum.

AD SEIPSVM EXHORTA tio ad nouos amores.

Quingentas solitus quum sis adamare puellas,
Nunc ab amore tuo quid Iouianc uacas?
An quia difficilem sese tibi Fannia præbet?
Et rigidos mores forma superba facit?
Quum tot sint faciles, sit copia mollis amorum,
Quære aliquam tibi quæ sponte placere uelit,

Quæ tibi se dedat, cui sis & charus ocellus,
Cui dicas, iam iam Fannia nulla mihi est.
Ipsa tibi dicat, mea lux, mea uita, meus flos,
Liliolumq́; meum, basiolumq́; meum:
Charior & gemmis, & charo charior auro,
Tu rosa, tu uiolæ, tu mihi leuis onyx.
Deliciæ, cultusq́; meus, mea gaudia solus,
Corq́; meum, & præ te nil iuuat esse mecum.
Et quingenta simul capiat tunc basia raptim,
Et sine mente oculos uoluat agatq́; suos.
Ac linguam querulo quum suxerit ore trementem,
Exanimis collo pendeat ipsa tuo.
Tunc dices, amor est succo iucundior omni,
Dulcior & melle est, suauior ambrosia est,
Nec tibi quingentas fuerit sat amasse puellas.
Nil numerus certe, nil in amore ualet.

AD THALIAM.

Sexcentas age basiationes,
Da nostro mea compatri Thalia.
Quem nos plus oculis amamus unum.
Nanq; est dulcior Attico liquore,
Et quem Sicaniæ tulere cannæ,
Ac nostris propè charior medullis:
Quando non alius sodalis unquam
Dilexit magis unicum sodalem,
Quàm nos ipse amat, atq; amamus ipsum.
Si non sunt satis hæ osculationes,

Fac sint mille ducenties ducentæ.

AD ANTONIVM PANORMITAM.

Antoni decus elegantiarum,
Atq; idem pater omnium lepôrum,
Vnus te rogat è tuis amicis,
Cras ad se uenias, ferasq́; tecum
Quantumcunq; potes facetiarum,
Et quicquid fuerit domi iocorum:
Nam tantum sibi risus apparauit,
Quantum Democrito diebus octo,
Profundi satis & super fuisset.
Quod tecum patulo cupit palato
Perridere suapte risione,
Condita leuitate ineptijsq́;.

AD LAVRENTIVM MINIATVM.

Vxoris nitidæ beate coniunx,
Cunctis coniugibus beatiorq́;,
Quid sentis age de meo libello?
Nobis dissere: nunquid à Catullo
Quenquam uideris esse nequiorem,
Aut qui plus habeat procacitatis:
Non dico tamen elegantiorem.
Sed certe meus hic libellus unum
Doctum post sequitur suum Catullum
Et Caluum, ueteremq; disciplinam.
Non multò minor est nouis poëtis.
Saltat uersiculis canens minutis

Hoc

Hoc quod non sonuere mille ab annis
Musarum citharæ, & Lyæi puellæ.
Qui se euadere putidam culinam
Et tegmen poterit negare Thynnis,
Fœtenteis neq; uestiet Siluros,
Studebit pueris placere ineptis,
Siqui Castaliæ specus liquores,
Parnasi neq; dum bibêre fontis,
Doctas sed fugiet manus uirorum,
Et qui Castalio sinu recumbunt,
Contentus Miniate, si molestus
Non sit uel tibi, uel tuæ Cicellæ.

IN ANTONINVM CINAEDVM.

Antonine cinædule
Huc ad nos redeas: nanq; per Herculem
Istas turpiculas nateis
Si te prenderimus iam usqueadeo malis
Virgis exagitabimus,
Vt par sit sceleri supplicium tuo.
Audes tu media uia
Me præsente meæ comminitarier?
Audes tu niueas rosas
E nostræ gremio tollere Cinnamæ?
Post hæc tam malè, pallium
Nixus surripere, atq; in teneris manus
Immiscere papillulis?
Quòd si compulerit me furor improbus,

Disces postmodo quid fiet,
Tam bellas manibus tangere fœminas.

AD VICINOS.

Vicini moneo, bene ac pudicè
Seruetis mihi uos meam puellam,
Ne se conferat ad suos amicos,
Quos omnes amat impotente amore:
Nec mirum, quia mentulatiores.
Quin & si cupitis probi uideri,
Tales passeribus salaciores
Longè à coniugibus mouete uestris.
Et tu si sapis ô puella nequam,
Istos desere pessimos amicos,
Et mecum maneas bona & pudica.
Nam iuro tibi per tuam Serapim,
Tecum continuas iacere noctes
In multa recubans fututione.

AD PERILLAM PVELLAM.

O solatiolum meum Perilla,
Dic quid Cinnama nostra rure fecit
Hos sex continuos dies? ualet ne?
Nam quidam mihi pessimus cinædus
Dixit, quòd tenerum pedem catella
Dum ludit nimium procace morsu
Illi presserat, & domi manebat
Expectans medicos ab urbe missos:
Quare te rogo per tuos ocellos,

Illos præuenias, probeq; cures,
Ne qua se nimium licentiosos
Præstent, dum cupiunt boni uideri:
Nam bracis sine, pallio tumenti
Manu uix retinent utraq; penes
Infestos pueris, puellulisq;.

IN MALVM POETAM, QVEM
mutato nomine Vtricellum uocat.

Non sunt carmina, sed cacationes,
Quæ se scribere iactat Vtricellus.
Est merdosius omnibus latrinis,
Quod se scribere iactat Vtricellus.
Obtura miserum Camœna nasum,
Ne te carmina tam cacata lædant.
O merdosa poëmata, ô quid unquam
Erit uel fuit his magis cacatum?
Quamprimum medicos mei sodales
Ad me ducite: nam maligna febris
Dudum me tenet, ut dij deæq;
Isti dent mala multa, qui nec unquam
Scribit carmina, sed cacationes.

DE IMPROBITATE
puellæ suæ.

Irata est quotiens mihi puella,
Tristis me uocat aridum poëtam,
Et lassum minima fututione,
Indoctum Veneris, maliq; penis.

Post hæc in triuijs, in ore uulgi,
Irridentibus omnibus puellis,
Dicit tam malè me esse mentulatum
Quàm uel pumilio, puérue trimus.
Quam ob rem constitui meas querelas
Deferre ad Venerem, inq; ius uocare,
Nam quis tam patiens amator esset?
Quòd si sensero ius mihi negari,
Hellespontiacum deum precabor,
Partes suscipiat meas, uelitq́;
Pro me, quod minimum facillimumq́; est,
Vlcisci facinus manu seuera.

IVLIO FORTI SICVLO.

Iuli pars animæ secunda nostræ,
Quid non me pateris meas Camœnas
Omnes proijcere ignibus cremandas?
Quarum depereunt graues labores.
Et perdo miseras subinde chartas.
Nam quamuis ueterum diesq́; noctesq́;
Euoluam monumenta Iuliorum,
Attritiq́; adeò mei libelli,
Vt nil à solea deesse credas,
Semper nostra tamen Thalia friget.
Cuius nequitias, ineptiasq́;
Nolis lædere uel putare nullas:
Nec me sordidulum uoces poëtam,
Si non posthabito facetiarum

Lusu

L usu, carminibus uacem seueris.
N am quum desierint graues Catones,
E t sint tempora Busuluniana,
A equum quis putet esse laude sacra
S celestos celebrare Tarracones.

IOAN. IOVIANI
PONTANI LIBER SEcundus Parthenopei.

MAGICA AD DEPELLENDVM amorem ad Theodorum Gazam.



Ite caput Lenæe, hedera redimite uirenti,
Tuq; nigram tenebris nos adoperta comam,
L anguida nunc facili componite lumina somno,
Fessaq; securus occupet ossa sopor.
T u modò tincta puer lethæo dilue somno
Pocula: sic tristis nanq; fugandus amor.
A n mage Thessalicis tentem medicamina uerbis?
E t rumpam magico uincla ueneficio?
S tant aræ, lectæq; suis è collibus herbæ,
E t succi, & magicis carmina ficta sonis.
T um geminæ sacro rorantes imbre cupressi,
Inq; sepulchrales cedrus adusta rogos.
N ec lunam nox prona negat, nec sydera desunt

Bis genibus, nota bis ueneranda prece.
Rore pio conſpergo caput, dic uerſus in ortum,
Hæc quater, & læuo mox pede tangis humum.
Vincula nunc hæc ſoluo, atq; hæc ut uincula ſoluo
Carmine ſic noſtro cede ſolutus amor.
Cerea ut hæc gelida dureſcit forma ſub unda,
Dureſcant rigido corda ſepulta gelu.
Carmine Iaſonios fugit Medea penates,
Carmine & hoc fugias corde repulſus amor.
Puluere quo ſterilis quadrupes ſua corpore uerſat,
Tu quater hoc ipſo puluere ſparge caput.
Cyzicea mox tinge & aqua: quater amne fluenti
Dilue, ut extincto cedat amore calor.
Dic Lethe bona uerba, precare obliuia Lethen,
Lethæo merſas tingat ut amne faces.
Fallor? an incipiunt triſtes diſcedere curæ?
Pacatoq; uenit mollior aura ſalo?
In portum mea uecta ratis, retinacula ceſſant.
Libertas portu tutior ipſa mihi eſt.
Libertas cui cedit Amor, cui mater amorum,
Aſcræas inter maxima uirgo deas.
Iam tandem ad Muſas, antiquaq; ſacra reuertor,
Et uatem accipiunt templa operata ſuum.
Pieriæ aßiſtunt aures mihi grata canenti,
Et plaudunt numeris Aonis antra nouis.
Sed mihi nec ſine te dulces Theodore Camœnæ,
Caſtaliusq; iuuat nec mea labra liquor.

Et tua

Et tua iam pridem cinxerunt tempora Musæ,
Insignemq́; hederæ circuiere comam.
Communes igitur Musæ, communia nobis
Sunt studia, atq; eadem fata duobus eunt.
Me quondam patriæ casus nil triste timentem,
Cogit longinquas ire repente uias.
Castra peto, tenerisq́; uirum confessus ab annis
Tyrrhenas didici sub Ioue ferre niues.
Mox ubi composito redierunt ocia bello,
Et repetit patrios Martia turba lares,
Excepit Rhodio quondam fundata colono
Parthenope studijs semper amata meis.
Te quoq; Turcaicæ fugientem uincla catenæ
Eiecit patrio Thessalonica solo.
Iactatumq́; diu diuersa per æquora, tandem
Agnouit Phrygio condita Roma duce.
Nunc eodem, quo me fato Campania tellus
Delicijs pascit terra beata suis.
Hic ubi nos longæ producere tempora uitæ,
Et resides annos claudere fata uelint,
Et quum maturis ætas nos soluerit annis,
Inijcietq́; auidas Parca maligna manus,
Tum mistum cinerem cõmuni onerare sepulchro,
Amborumq́; unus contegat ossa lapis.

BOPHILLVS ADVLESCENS
alloquitur Phiellam amicam.

Si quisquam infernas cupiat prænoscere pœnas,

Si quisquam Elysij dona beata poli,
H ic faciles uultus, ille indignantia cernat
Lumina, in exitium nata Phiella meum.
A urea pacato diffundis tempora uultu,
Aurea tranquillo pax & ab ore uenit.
D um loqueris, toto discedunt nubila cœlo,
Verna quies roseo est, uernus in orbe decor.
C andida felices sustollant lintea nautæ,
Quoq; petant portus aura ministrat iter.
M agnetem & gelido surgentis axe Triones,
Quosq; sequatur habet tuta carina deos.
Quòd si quem placidis facilis dignaris ocellis,
Nectaris huic fontes, ambrosiæq; fluunt.
I llic delicias, illic ludosq; iocosq;,
Mille uoluptates, gaudia mille geris.
F ortuna potes inuita fecisse beatum
Quemq; uelis: miserum, quemq; beasse uelit.
A spice diuinas humano in corpore dotes.
Nil mortale tibi: digna puella polo es.
A tq; utinam inuideant ne te cœlestia nobis,
Et noua Phœbeo sydere flamma mices.
O bene, quòd ueteres mutarunt numina mores.
Vertit amatorem fabula nulla Iouem.
I n te non taurum, non ille subiret olorem,
Non Danaës rutilam solueret in pluuiam.
S ed nitidus blando cœtu comitatus amorum
In thalamum ueheret dia puella suum.

Et tua gemmali posuisset membra cubili
Illa deûm requies, deliciumq́; Venus.
Hoc melius, nunc ille iocos, nunc audit amantes,
Et iuuenum curis, quas tulit, ipse fauet.
Ille mihi de te spondet quæcunq; rogarim,
Teq́; meo pepigit candida Nympha toro.
Tu quoq; iunge pios fido cum coniuge amores:
Ipse etenim & coniunx, ipse & amator ero.
Qualis Chaoniæ deuinctus amore maritæ,
Nescit amans uolucris fallere iura suæ.
Nec te tam formæ capiat decor iste superbæ,
Vt tua commorint tædia iniqua deos.
Si facilis quondam Daphne Peneia fuisset,
Non staret duris frondea limitibus:
Nec tam crudeli fato rapuisset amantem,
Sortis Anaxarete causa modusq́; suæ.
Et mihi nescio quid blandis promittere ocellis,
Et mihi nescio quid dulce uidere loqui.
Vtq́; supercilio spondes, nutuq́; loquaci,
Nonnihil ipsa meis mota uenis precibus.
Nec nomen capiat te uirginitatis inane.
Nullis illa quidem est inclyta temporibus.
Illi uirginitas, illi sua cura pudoris,
Si qua puella deis casta facit superis.
Virginitas tua Cydippe, tua Menali diua.
Nos modò naturæ dulce sequamur iter.
Atq; utinam in priscos redeant noua secula mores,

Aurea quîs Latio regna fuisse canunt.
Quum paßim uirides nullo custode per herbas,
Ibat amatori iuncta puella suo.
Non quem dura parens, non quẽ pater improbus illi,
Mutua sed placido iunxerat ore Venus.
Atq; ita composito iungebant fœdere curas,
Vna fides, unus lectus & unus amor.
Tecum ego muscosis habitarem diues in antris,
Atq; idem lectus arbor & herba foret.
Arbor compositas iaceret recubantibus umbras,
Præberet mollem cespitis herba torum.
Et circum querulo streperent uirgulta canore,
Et streperet querula qui salit amnis aqua.
Luderet & suauis demulcens ore querelas
Attica frondosis ales in arboribus:
Sic mecum fixis hæreres nixa lacertis,
Lasciuis relegens oscula blanda iocis:
Mutua sic placido traheremus gaudia lusu,
Et regum magnæ despicerentur opes.
Hæc ille, & sæuus quæcunq; coëgerat ardor,
Quæcunq; & didicit uerba disertus amans.
At Nymphe uarios immutans ore colores,
Paulatim uictas iam dabat ipsa manus,
Illius & fixis hærens pendebat ocellis,
Vritur, & taciti signa furoris erant.
Et conata loqui, singultim pauca loquuta est,
Deq; uerecundo fugerat ore color.

Ac furtim laxis foribus progressa parabat
Currere in amplexus chare Bophille tuos,
Quum mater sæuis cumulans obiurgia dictis
A specula natam iußit abire suam.
Sic quos iunxit amor, tristis custodia soluit.
O nullo uacuum tempore quisquis amat.

QVERITVR DE BAIANIS balneis.

Annua Baianis redeunt spectacula lymphis,
Et medicas aperit terra salubris aquas.
Littoraq́; arrident teneris spectanda puellis,
Et suus est illis undiq; mistus amans,
Littora non unquam nostras solantia curas,
Sed semper sæuis addita causa malis.
Quid iuuat ingratos membris depellere morbos,
Si curas animo tristitiamq́; datis?
Hinc ego quum uestro quæsissem à fonte salutem,
Vulnera non ipsi perpetienda tuli.
At uos ô toto dispersi littore nautæ,
Nunquid & hac uecta est nostra puella rate?
Quos tenuit fontes? aut quas petit improba thermas?
Quos'ue habuit comites? quem'ue secuta ducem?
Infelix auibus locus hic, undæq́; nocentes.
Me miserum uolucri non nocet ipse deo.
Atq; utinam hæc nunquam tetigisset littora uictor
Alcides oris missus ab Hesperijs.
Viderat ille gregis præda ex Balearide pompam,

Vnde & Pompeius nomina uicus habet.
E cce furit totis infecta per agmina castris,
Perq; omneis sæuit mors inopina uias.
I psa suis spargit manibus pestemq; luemq;,
Exatiatq; animum cruda nouerca suum.
N il medicæ prosunt artes, cantataq; uerba,
Aut è Marrubijs herba reuulsa iugis.
P rocumbit, supplexq; Iouem Tirynthius heros
Orat, & intonso de grege mactat oues.
E xquiritq; deûm pacem, Nymphasq; precatur
Quasq; uirens Gaurus, quas & Auernus habet.
A udijt hic genitor natum, audiuere sorores,
Quæq; salutiferas fundit Araxis aquas.
N am paßim toto manarunt littore lymphæ,
Erupitq; cauis fontibus auxilium.
S ulphureæq; micant undæ, scatuitq; sub antris
Fumidus & medicas extulit humor opes.
N ec mora, iussus aquis lauit se exercitus illis,
Tristis & ex omni corpore pestis abit.
F orte Amor in Nymphen Læborida tela parabat,
In quam Vulturnum fixerat antè deum.
A enariæq; procul secreta in rupe sedebat,
Dum cauet insidijs callidus arte locum.
A udijt hic dum læta Ioui canit æquore toto
Miles, & Herculeis uocibus aura fauet.
A ura fauet, gratasq; dei perducit ad aures.
Quantum opis his illis uis & inesset aquis.

Spem

Spem capit admonitus lucis, charæq; salutis,
Captaq; restitui lumina posse sibi.
Nanq; olim pharetra nimium pueriliter usus
Torsit in armiferam spicula acuta deam.
At Pallas pueri telum auersata retexit
Aegida, uipereas explicuitq; comas.
Hinc puero riguere oculi, uisq; ipsa uidendi
Tabuit, atq; hebeti lumine ab inde ferit.
Consilio Veneris tamen atq; ex arte Cupido,
Ipse uicem & fratris munera frater obit.
Arcum stringit Amor, moderatur tela Cupido,
Laxandiq; arcus signa dat ipsa Venus.
At cæcos iocus incessus, inceptaq; cæca
Dirigit, & fraudes illecebrasq; parat.
Ac subitò auratæ fulxere per aëra pennæ,
Et uolucer celsa mouit ab arce deus.
Huc postquã uentum est, medicis & constitit undis,
Et tepido lætus margine sedit aquæ,
Mox arcum ardenteisq; faces uolucresq; sagittas
Deposuit, misero cognita tela mihi,
Incubuitq; genu duplici, tum flumina palmis
Haurit, & infuso lumina rore lauat.
Terq; quaterq; oculis amnem suffundit: at illi
Luxit, & auxilium Tullia lympha dedit.
Hinc nunc tam certo meditatur spicula iactu,
Acrior & multò quàm fuit antè ferit.
Nec tantum uolucri præfigit pectora telo,

Sæua ſed ex oculis uulnera multa parat.
His ille inſidias fallax, his retia tendit,
His capit, & captos ſub ditione premit.
His ego, me miſerum, triſti ſeruire puellæ
Cogor, & æternum uincula dura pati.
Atq; utinam primis mater me fleſſet ab annis,
Et rapta è cunis funera noſtra forent,
Non ego tam multos ſentirem in amore dolores,
Seruitium & quererer regna ſuperba diu.
Nec turpis de me per multas fabula gentes
Iſſet, & ingenij fama ſiniſtra mei.
Ah pudeat uatem, pudeat pia ſacra colentem,
Nequitiam & Veneris turpia caſtra ſequi.
Cingite uictrices Laurus: mihi gloria parta eſt:
Ceßit amor, uacuo eſt pectore pulſa Venus.
Effracti cecidere arcus, ruptæq; catenæ,
Liberaq; erepto ſunt mea colla iugo.

DE INFELICITATE GEneris hominum.

Non ulla terris habitat aut pax, aut quies.
Inferna diræ & luctus occupant loca.
Exercet in mortalibus regnum metus.
Regnat libido, fraudis & ſcelerum caput.
Quæ prima fulget homini infelix dies,
Comitem profundo ducit ex erebo ſimul
Dolorem & ægritudinem: ô ſortem aſperam,
O dura fata, & ſemper in peius malum.

Nemo

Nemo beatus. Ille diuitijs fluens,
Inops habendo: hunc sceptra terris præferunt,
Ipse est sui impos, & quibus præest, timet.
His ficta uirtus limes ad summum est bonum,
Et pandit oris squalor ad superos uiam.
Hæc illa squalens dira & infelix plaga.
Cocytiæ fauces inexorabiles,
Phlegethontis ignes, gurgitesq́; Acherusij.
Hæc Tantalea sitis, iecurq́; fœcundum,
Et membra diri Ixionis torquens rota.
Sed quid recensens plura in immensum trahor?
Sumus hic tot Inferi, quot homines uiuimus,
Suusq; quisq; dirus est erebus sibi.
Nobis amores, & libido pectoris,
Et una non unius obstetrix mali,
Humana facies, cuius ex oculis fluit
Amor, odium, pax, ira, spes, metus simul,
Et quas gerit cruenta Tisiphone faces.

CASIM FONTEM AEGRO tus alloquitur.

Rura tuis qui nostra rigas humentia lymphis
Quàm procul heu misero nunc mihi Casis abes.
Tu nunc muscosa placidus sub rupe uagaris,
Redditur & fluxu lenior aura tuo.
Altaq́; prætexit uirides tibi populus umbras,
Et mille in folijs dulce queruntur aues.
At me nunc tristi fessum Campania morbo

Detinet, & uenas urit anhela sitis.
Nec prodest uiridi totiens te ornasse corona,
Cinxisse & capiti plurima serta tuo.
Nec prodest dulceis totiens cecinisse querelas,
Numinis & causas edocuisse tui.
Nanq; dies aderat, sceptrum quo cepit olympi
Iuppiter, hoc diuis prandia lecta dabat.
Tum puer Idæus dum pocula grata ministrat,
Spectaturq́; suo digna rapina Ioue,
Atq; inter mensasq́; deûm laudesq́; superbit,
Et tanto facies conscia teste placet,
Incautus labente gradu Carchesia fudit,
Multus & è patera fluxit hiante liquor:
Qui præceps summa cœli de parte uolutus
In terras larga constitit uber aqua.
Ad quæ subridens genitor, monumenta manebunt
Certa puer, casum testificata tuum.
Amnis erit, quà nunc grati effluxere liquores.
Casis erit fonti nomen honosq́; tuo.
Oscula tum puero raptim libauit: at illi
Fulsit sydereus sparsa per ora color.
Has ego blanditias, memini, cantare solebam
Fusus ad herbosæ fluxile murmur aquæ.
At tu longinquos nimium summotus ad Vmbros
Aoniæ nunc es immemor ipse lyræ.
Nec mihi nunc solito præbes de margine riuos,
Arida nec suetus temperat ora liquor.

Solaq́;

S olàq; languentis sensus mihi restat imago,
Quum mens furtiuas ægra requirit aquas.
I nterdum somno dulceis haurire liquores,
Et madido uideor pellere ab ore sitim.
H æc mihi dat somnus solatia, dum Canis ardet,
Et graue siccatos sydus hiulcat agros.
A t uos Pierides uestro succurrite uati.
Profuerit fonteis sæpe bibisse sacros.
V os mihi Persephonen cantu placate: moueri
Nanq; potest: mouit Bistonis antè lyra.

LAVDES CASIS FONTIS.

C asis Hamadryadum furtis iucunde minister,
Et cupidis rupes semper amica deis:
A d quem sæpe sui linquens secreta Lycæi,
Pan egit medios sole calente dies,
M ænalioq; tuos impleuit carmine montes,
Et septem cecinit fistula blanda modos.
Quum passim iunctæq; manus, & brachia nexæ
Ducebant placidos Naides ante choros,
C arpebantq; hilares iuxtà uirgulta capellæ,
Hœdus & in molli subsiliebat humo.
Quinetiam defessa iugis si quando Diana
Egit præcipites per caua saxa feras,
H ic posuitq; latus, uiridiq; in margine sedit,
Et uitreo flauas lauit in amne comas.
T e Bacchus, te Phœbus amãt: tibi carmina Nymphæ
Dulcè canunt: tibi se comit amata Dryas.

Pelignosq́; ſuos ſi quando & rura relinquit,
Laſſa ſubit fonti Calliopea tuo,
Et lenem querula carpit ſub fronde quietem,
Quà cadit arguto murmure lympha fugax.

AD PIVM PONT. MAX.

Sic tua Pæonijs uincantur tædia ſuccis,
Phœbeæq́; leuent languida membra manus:
Sic tibi & in Turcas aſsit uictoria mater,
Et Solymam redigas ſub ditione domum:
Da precibus facileis aures, uatiq́; faueto
Vates, neu pietas ſit tua dura mihi.

AD MARINVM TOMA-
cellum ſodalem.

Fata uocant, lux alma uale, iam deleor: at tu
Inferias uati ſolue Marine tuo.
Oſſa quoq; in patriam miſeræ tranſmitte parenti,
Accipiat cineres teſta paterna meos.
Et ſoror ingratæ perſoluat iuſta fauillæ,
Spargat & è lacrymis noſtra ſepulchra ſuis.
Illa etenim tellus, quæ me genuitq́; tulitq́;,
Contegat, & grata membra reponat humo.
Officium face amice pium, manesq́; piato,
Atq; Arabo noſter ſpiret odore rogus.
Viueret ô utinam frater tuus, ipſeq́; tecum
Vidiſſet potius funera noſtra Leon.
Ille meos flentis dextra clauſiſſet ocellos,
Iunxiſſet geminas & mihi rite manus.

Oſſaq́; iuſsiſſet molli requieſcere terra,
Et data perpetuum paxq́; quiesq́; foret.
Ille meos obitus uerſu fleuiſſet amico,
Redderet & uati carmina mœſta ſuo.
Sic mihi mors nec amara foret, nec ſæua timerem
Fata, nec Alectò quas gerit antè faces.
At tu, ſi qua tui ſupereſt tibi cura ſodalis,
Fac madeant lacrymis funera noſtra pijs.
Te dulceis deflere iuuet luſusq́; iocosq́;,
Quos mea non ultra Muſa ſepulta canet.

DE QVERCV DIIS SACRA.

Hæc uetus & multos quercus ſeruata per annos,
Si fas eſt uati credere, numen habet.
Nanq; ſub hac iacuit miſtus Naretide Nympha
Pan, montanicolæ captus amore deæ.
Menalon ille ſuum, dilectaq́; rura Lycæi,
Parrhaſiæq́; procul liquerat antra domus.
Venerat huc uirides ſtringit quà Vigia ripas,
Et patrium riguo perluit amne ſolum.
Vidit eam liquidis dum ſe fouet inſcia lymphis,
Et feſſa æſtiuo membra calore leuat.
Tum perijt, ſæuæq́; animum fixere ſagittæ,
Vſsit & Aetnæus pectora adeſa calor.
Ac ſubito hirſuto demiſſa eſt fiſtula collo,
Et paſtorali carmina uoce ſonat.
Nympha decus nemorum, ſacro quæ fonte lauaris,
Candidaq́; in nitido flumine membra rigas,

Brachia sunt niueo tibi candidiora ligustro,
Collaq́; montana non minus alba niue,
Purpureoq́; genas suffundens dia rubore
Tingis punicea lilia cana rosa.
Qui tibi sic lucent per quos ego perdor ocelli,
Nimirum eoi luminis instar habent.
O scula si liceat teneris sumpsisse labellis,
Vilis Hymetos erit, uilis & Hybla mihi.
O si quæ uitreis referunt se membra sub undis
Contigerim, ô cupido membra fouenda sinu.
Nec tu sperne deum, cui seruit Nonacris ora,
Cinctaq́; montanis Itala terra iugis.
Pana deum pecoris cuncti uenerantur agrestes,
Quiq́; tenent alij rura nemusq́; dei.
Ipse ego lac docui distento ex ubere capræ
Exprimere, & fuso cana colostra sero.
Per me etiam tenero sunt mista coagula lacti,
Inclususq́; suo caseus orbe fuit.
Quin etiam tenuis lanæ felicia texta,
Intonsa & docui carpere uellus oue.
His mihi muneribus superata est luna beatis,
Venit & in nostrum candida diua torum.
Aspice quàm pingues agni, quàm lætus in agro
Hœdus, & in molli luxurietur humo.
Hi tibi munus erunt, longumq́; intacta per æuum
Fistula, Nonacrijs inuidiosa deis.
Pro qua quid non fecerunt Heliceq́;, Lyceq́;,

Cylleneq; alijs dura puella procis?
Hac tu cantabis laudes pecorisq; tuasq;,
Hac mecum dulceis experiere modos.
Illa deum fugiens humili sublapsa salicto
Delitet, & surda reijcit aure preces.
Quid faciat? qua spe miserum soletur amorem,
Infelix? quanam leniat arte malum?
Omnia tentanti frustra, uiresq; paranti,
Obtulit optati casus amoris opem.
Quercus erat late patulis densißima ramis,
Diues, & intacto uertice sacra comam.
Fama manet, Faunos hic discubuisse madenteis
Sæpius, & lætos hic agitasse choros.
Inde loco metus, ac longos uenerata per annos
Sylua manet: medius præterit antra liquor,
Antra racemiferis semper uestita corymbis,
Semper syluicolis antra petita deis.
Huc dea post æstus, uenandi fessa labore,
Venerat, & molli lassa quierat humo.
Cui labor, & strepitus riui salientis, & umbra,
Optatos somnos & leuis aura facit.
Forte greges illuc, umbra ut uiridante leuaret,
Ducit, & ipse cito Pan petit antra pede.
Ecce uidet stratam cupidus per gramina Nymphen:
Constitit, & tacita gaudia mente rapit.
Mox sensim, summaq; pedes suspendit in herba,
Et presso nullus redditur ore sonus.

V t tetigit niueæ ſemota cubilia Nymphæ,
Et timet, & faciles huc agit, hucq́; manus.
S ubducit retegitq́; ſinus, nudatq́; papillas,
Hinc genua in molli lenta recuruat humo.
B landitur femori digitis, collumq́; genasq́;
Libat, & amplexu pectora nuda fouet.
I ungit & os ori, mox ad ſua gaudia pergit,
Et ſperata diu re ſibi uota capit.
I lla ubi ſe captam dulci reſoluta quiete
Sentit, ab oppoſita prælia ueſte mouet.
V erum ubi nec precibus, nec ui permouit amantem,
Paulatim uicta eſt, depoſuitq́; metum.
I uuit opus, facilemq́; deo dea præbuit: inde
Sæpius ad gratum uenit amica locum.
H inc arbor ſacrata dijs: quod mille tabellæ,
Antraq́; uotiuo munere culta docent.

DE CAMINO MONTE ET
Muſarum latebris, ad Eliſium Gallutiū.

Quiſquis ades uenerare locum, uatiq́; faueto,
Dum canit, & dictis credite, uera canit.
I am ſuperaddiderat frondoſum Pelion Oſſæ
Titanum cœlo pernicioſa manus,
T urbaq́; cœleſtum miſero confuſa pauore
Cedebat, nullo bella parante Ioue,
Quum ſacer Aonidum chorus, imbellesq́; puellæ
Aethera præcipiti deſeruere fuga.
N on illis Helicon, non multo nomine clarus
Parnaſu

Parnasus tutos exhibuere lares.
Antra petunt, notasq; domos liquere, metuq;
Longa pererratis finibus arua tenent.
Accipit hospitio fessas mitissimus amnis
Lyris, & hospitio sedulus addit opem.
Mons fuit & scopulis & uallibus undiq; cinctus,
Cuius ad ima cauæ plurimaq; antra iacent.
Huc natas Iouis ille leui placidissimus alueo
Deuehit, & tacitis abdidit in latebris.
Sed neq; Mnemosynes partum, prolemq; tonantis
Mons tacitam potuit continuisse diu.
Vndiq; nam sese ramis canentis oliuæ,
Palladioq; suum cinxit honore caput.
Tum patulas ulmos Lenæo uestit amictu,
Humidus & liquidis undiq; fluxit aquis.
Grataq; posteritas montem dixere Camœnum,
Vt nunc mutata parte Caminus eat.
Quoq; deæ latuere, locum dixere Cauellas,
Templaq; sublimi constituere iugo.
Quare agite & sacros Musis referamus honores,
Reddamusq; pijs debita thura focis.
Et tu Pieridum cultor, quem lenia Phœbus
Iussit Dirceæ plectra mouere lyræ,
Cinge comam lauro, citharamq; intende Camœnis
Galle, Aganippei gloria magna chori.
Elisioq; sui resonent montesq; lociq;,
Oppida quem dominum Gallutiana colunt.

AD LEONTEM TOMA-
cellum ſodalem.

Ecquid in abſentem quereris malè fortis amicam?
Nec linquit curas Anthionea tuas?
Et deſerta graui reſonant num littora planctu?
Ipſaq́; de lacrymis humet arena tuis?
Ac miſer in caſſum uotis tibi Nerea placas,
Scilicet ut reduci uenerit illa rate?
An mare, longinquoq́; abſens Trinacria tractu,
Extinxere tuas igne tepente faces?
Sed neq; tam facili percuſsit uulnere quenquam
Ille ſagittifera qui ualet arte puer,
Vt non poſt multos ſanandum liquerit annos.
Letalem didicit nanq; ferire locum.
Nimirum & ſæuas paſcit Trinacria flammas,
Nedum ſit facibus terra aliena tuis.
Adde quòd & Veneri tellus accepta, ſuisq́;
Teſtatus quondam ſedibus altus Eryx.
An formoſa nouæ ſucceſsit Delia curæ?
Atq; nouo ceſsit uictus amore uetus?
Spirauitq́; tuis uotis felicior aura?
Illuxitq́; tibi gratior hora Leon?
Viciniq́; fauet fontis cuſtodia Tiſbe?
Et ſoror, & charo mater amica tibi eſt?
Quæq́; tuo inuidit nuper fortuna ſodali,
Hæc tibi felices porrigit æqua manus?
Nanq; ego quum facilis dominæ tentarer amore,

Impleretq; meam lenior aura ratem,
Inuida præripuit lętæ mors gaudia menti,
Fregit & in medio quassa carina salo.
Hinc ego blanditias, ipsumq; Helicona reliqui,
Meq; ipsum damno, deliciasq; meas.
Nec me ni tristes curæ subeuntq; premuntq;,
Omnis & à mœsto uate recessit amor.
Deq; meis quondam nugis, lusuq;, iocisq;,
Nil mihi nunc reliquum est, nil nisi triste queri.
Nec me delectant dulces uelut antè Camœnæ:
Illa quidem secum meq; measq; tulit.
At tu, cui præbet faciles Amathusia natos,
Dulcia naturæ munera carpe Leon.
Venturamq; memor fato properante senectam,
Non ingrata tuo dona refer Genio.
Sitq; omnis sine nube dies: tum deniq; dices,
Vixi: nunc ô mors nil nocitura ueni.

FRIGORE INVITATVR ad uoluptatem.

Bruma riget, Cauriq; fremunt, stat densior aër,
Iuppiter & gelidas fundit ab axe niues.
Pocula nunc lususq; decent, pinguesq; lucernæ:
Arida uos pueri subdite ligna foco.
Igne ferox lenitur hyems, ubi mollia circùm
Lesbia, & annosum spumat in orbe merum.
Vino pelluntur tristes de pectore curæ.
Hic liquor ingrato corda dolore leuat.

Hic deus afflictis requiem, spemq; addit egenis.
I puer, & larga prome falerna manu.
Me iuuat inter uina (fouet nam Bacchus amorem)
Ebria consertis oscula ferre labris:
Molle femur tractasse manu, tractasse papillas,
Dulciaq; in tenero bella mouere sinu.
Tum mihi sit non una satis: tum si tibi iungar
Fannia, quas dederim, quas tulerimq; uices?
Tum si blanda meis uenias retinenda lacertis,
Quos tibi dem amplexus Lautia, quos'ue dabis?
Tene ego si teneam, quales mea Lautia motus
Expediam, uel quot sim ferus ipse modis?
Molle Pharitæo spirabit lectus odore,
Quem dat Pellæo condita terra duce.
Lintea sudabunt roseum perfusa liquorem,
Myrteolæq; fluet lucidus humor aquæ.
Interea miscere puer ne desine Bacchum
Sæpius, atq; alijs demere uincla cadis.
Senio adest, rabidusq; canis, uenus aurea cuia est?
Arceli arbitrium te penes omne meri.
Ille nouem cyathos Musarum lætus honore
Ebibat, hic Charites, tergeminumq; chorum,
Ille suæ potet dilectæ basia Nymphæ,
Et læto absentis nomen in ore sonet.
Lusibus his nam gaudet hyems: his læta terenda est
Bruma: uenit rapido mors inopina pede.

MILII

MILITIAM HVIVS TEMPO
ris damnat: ad Nicolaũ Mariam Buxu-
tum, equitem Neapolitanum.

Castra ſequi, laudemq́; iniuſtis quærere ab armis,
Hoc eſt æterno bella mouere Ioui.
Militiæ quondam partes ac iura fuerunt,
Tutari patriæ dulcia tecta ſuæ:
A ſocijs arcere minas, pepuliſſe tyrannos,
Hoſtis & incurſus continuiſſe uagos.
Hinc Decij, forteſq; Fabi, clariq́; Metelli,
Ac letum Pauli, Scipiadumq́; decus:
Cannarum hinc tumuli, cæſoq́; dracone ſuperbus
Regulus, ac duri Cimbrica palma Mari.
Hinc pontem fregiſſe ferox ſua nomina Cocles
Iactat, & exuuias Coſſus ab hoſte refert.
Atq; alius uicto redit in Capitolia Gallo,
Et ſpolia antiquo reddit opima Ioui.
Ille triumphatis præſcribit iura Britannis,
Et Rheni tumidas ponte refringit aquas.
Ille etiam rubri penetrauit ad æquoris undas,
Et uictor primus Parthica ſigna fugat.
Hic Dacas, Cilicemq́; ferum, Pœnumq́; rebellem
Ducit uictrices candidus ante rotas.
At nunc quid bello petitur, niſi præda? nec hoſtem,
Sed ſocium uita eſt expoliaſſe decus.
Hinc Mauri nos claſſe premunt, hinc Turca fugaci
Vectus equo, & Scythici caſtra cruenta ducis.

Nos tamen in socias ferrum conuertimus urbes,
Et de cognato sanguine præda iuuat.
Quid miles precio? quid mercennarius ensis
Dignum Romana laude fideq; dabit?
Excessisse acie pulchrum est, ubi dextera ferrum
Abijcit, atq; auro tela repulsa cadunt.
Non iaculis, aut ense ferox uictoria, uerum
Infami quæstu bellica palma uenit.
Aurum per medios deducit signa maniplos.
Amisit partes Mars ferus ille suas.
Ipsi ductores precio sua prælia uendunt,
Et cedunt precio castra fidesq; ducum.
Hinc mihi Pierides studium sacrosq; colendi
Vates, delicijs nomina grata meis.
Hinc nobis Buxute decus, laudemq; paramus.
Pro castris Helicon, pro duce Musa mihi est.
Nec tu non primæ iuuenis cum flore iuuentæ
Arma capis, patria pulsus ab ipse tua.
Deseris Italiam, pronoq; per æquora cursu
Hesperios portus, littora Ibera petis.
Illic quum geminos ageret discordia reges,
Fouisti partes strenuus ense tuas.
Mox contra flauos direxti tela Britannos,
Quum premerent forti Gallica regna manu.
Ocia nunc Musæq; iuuant, dulcesq; recessus,
Et scripta antiquis carmina docta uiris.
Hoc sapere est Buxute, frui melioribus annis,

Cum libris fieri carminibusq́; senem.
C *astra alios ac bella iuuent: nos læta colamus*
Ocia, & Aoniæ fila canora lyræ.
V *ita bonum commune quidem est: bene uiuere solus*
Nouit, qui ingenij dona beata colit.

AD MVSAM DE CONVERSIONE *Sebethi in fluuium.*

O *nec docta nimis, necdum satis apta cothurno*
Musa, sed ad teneros ingeniosa sales.
D *igna Amarantheis crines intexere sertis,*
Et madidam Aßyrio tingere rore comam,
A *c gelidos circum fontes, per gramina læta*
Virginibus mistos ducere nata choros.
D *um licet, & uirideis suadet decedere in umbras*
Phœbus, & argutum concitat aura nemus,
H *uc placidum ad fontem ripæ subeamus opacæ,*
Quà sua Sebethos candidus arua rigat.
H *inc non uulgatos fontis referemus amores,*
Quos legat in nomen Fannia nata meum.
A *mnis arundinea uelans tua tempora mitra,*
Et dolor, & charæ Doridos aptus amor,
Quis tua tam riguo mutauit membra liquore?
Nunc amnis, certe candidus antè puer.
F *orma tibi nocuit, nocuit placuisse puellæ,*
Iraq́; cœrulei quàm malè nota dei.
L *ittore cōstiteras: illuc quoq; cœrula Nymphe*
Currit in amplexus Nympha decora tuos.

Halcyones testes, testes uineta Veseui,
Vos pariter socio secubuisse toro.
Lectus erat frondes, & opaci gramina campi,
Vmbra erat antiquis myrtea sylua comis.
Sylua comas frondosa dabat, quæ lenibus auris
Spirabat Zephyro sollicitante nemus.
Tum uolucres lætis concentibus aëra miscent,
Et raucum illisis murmurat æquor aquis.
Forte inter uirides Nereidas una loquaci
Ore, sed & Nereo fida ministra fuit.
Vidit ut hæc molli capientes littore somnos,
Nerea non fictis sedula rebus adit.
Ille autem irato properans ad littora curru,
Cœrula cœruleis per uada currit equis.
Cuius ob aduentum resonant Tritones in antris,
Candidaq; in scopulis læsa remugit aqua.
Excita Nympha latet, te somnus perdit inertem,
Cœrulaq; in membris fuscina iacta tuis.
Flerunt Noleæ, flerunt te Sarnides undæ,
Fleuit discißis mater Acerra genis,
Et Stabias Nymphas, inconsuetumq; Veseuum
Tunc etiam lacrymis immaduisse ferunt.
Scilicet is teneræ recolebat furta iuuentæ,
Et memor antiqui mœstus amoris erat.
Multos hunc perhibent crudeli funere menses
Confectum specubus delituisse suis.
At postquam in rabiem dolor hic se uertit acerbam,

Vindex

Vindex ex antris prosilit ipse cauis,
E *ructansq́; uomit fumantis pectoris ignes,*
Ignibus & latos undiq; uastat agros.
I *amq́; insurgebat ponto, tumidumq́; per æquor*
Iactat ab incensis saxa liquata iugis.
Q*uum subitò ex alto uox reddita, numen aquarum*
Sebethos fonti est nomen honosq́; suo.
N *ec mora, quà iacuit, uitrei fluxere liquores,*
In laticemq́; abeunt membra soluta nouum.
E *puero liquidus fit fons, fit numen & idem*
Ex homine: hinc subitis in mare currit aquis.
T *alibus ille ferox uictus mentemq́; repreßit,*
Imposuitq́; suæ Bacchica serta comæ,
L *ætior & campis duxit de monte choreas,*
Concinuitq́; nouo carmina digna deo.
H *æc tibi quæ canerem molli resupinus in umbra*
Aedidit imparibus nostra Camœna modis.
T *empus erit charos quum dicemus Hymenæos,*
Vt sit iuncta tuo Parthenopea toro.
I *nterea nostri nomen titulusq́; libelli*
Pro tibi promisso munere pignus erit.

FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI DE AMORE CONIVGALI LIB. PRIMVS.

ELEGIAM ALLOQVITVR.


Vc ades, & nitidum myrto compesce capillum,
Huc ades ornatis ô Elegia comis,
Inq; nouã uenias cultu prædiuite formã,
Laxa fluat niueos uestis ad usq; pedes.
Molle micet tenues inter dilapsa papillas
Quæ legitur rubro lucida gemma mari.
Perq; humeros leui demissa monilia collo
Addeceant: aurum serica uestis amat.
Aurea subductum constringat fibula pectus,
Aureaq; in limbo fila rigente micent,
Quaq; moues, Arabum spires mollißima nardum,
Lenis & Aßyrio sudet odore liquor.
Tecum etiam Charites ueniant, tua cura puellæ,
Et iuuet insolita ducere ab arte choros.
Tu puerum Veneris primis lasciua sub annis
Instruis, & studio perficis usq; tuo.
Et quotiens lasso ducit reses ocia neruo,
Hunc placido refoues candida Nympha sinu.
Hinc tibi perpetuæ tribuit Cytherea iuuentæ
Tempora,

Tempora, neu formæ sint mala damna tuæ:
Hinc iuuenum curis, & dulci conscia furto,
Blanditijsq́; capis pectora cuncta tuis.
Ergo ades, & cape diua lyram, sed pectine molli,
Sed moueas dulci lenia fila sono.
Nam tibi Mercurius pater est, tibi sedula mater
Eurymie cantus nosse, lyramq́; dedit.
Quinetiam tu experta nouos (ni fallor) amores,
Dulcia supposito gramine furta probas.
Nanq; ferunt patrios uectam quandoq; per Vmbros
Clitumni liquidis accubuisse uadis.
Hic iuuenem uidisse, atq; incaluisse natantem,
Et cupijsse ulnas inter habere tuas.
Quid tibi lasciuis puer ô formose sub undis?
Delicijs mage sunt commoda prata tuis.
Hic potes è molli uiola iunxisse coronam,
Et flauam uario flore ligare comam:
Hic potes & gelida somnum quæsisse sub umbra,
Et lassum uiridi ponere corpus humo:
Hic & adesse choris Dryadũ, & salijsse per herbas,
Molliaq; ad teneros membra mouere modos.
His iuueni succensus amor, formamq́; secutus
Et facilem cantum, quo capis ipsa deos,
Tecum inter salices, sub amicta uitibus ulmo,
In molli iunxit candida membra toro:
Inter & amplexus lassi iacuistis uterq;,
Et repetita uenus dulce peregit opus.

Quo mage pauca meo Nymphe concedis amori,
Quosq; legat uersus nostra puella cane.
Haec ego, quum subitò uisi ridere penates,
Et noua fulgenti lumina adesse domo.
Astitit, & risu facilem confessa, deditq;
Adueniens animi nuntia signa sui,
Deq; sinu fluxere rosae, mollesq; hyacinthi,
Et uiolae, & rubro lilia mista croco.
Tum cecinit, plectroq; fidem percußit eburno,
Et liquidam socio temperat ore chelyn.
Desine diuitias uersu conferre beato,
Et faciem precio uendere uelle tuam.
Non ego laudarim, cupias si uate relicto
Diuitis argentum culta puella sequi.
Forma bonum coeleste, auro quam uendere non est,
Nam miser è terra fodit auarus opes.
Et canos formosa time, celeremq; senectam,
Ante diem cupidis quam deus esse iubet.
Aurum crimen habet, aurum prae carmine dulci
Sordeat, ingenij fide puella bonis.
Odi etiam fastus: quid enim fastidia prosunt?
Hinc odij ueniunt semina mille procis.
Dum temnit Glaucum formae confisa superbae,
Dum latet, & surda reijcit aure deum,
Ceruenis obriguit, saxoq; in membra recepto,
Perpetitur tumidi uerbera saeua maris.
Nunc quoq; signa manent patrijs malè fida carinis,
Quae

Quæ procul abducto uela rudente ferunt.
Neu studium tibi sit peregrinos quærere cultus.
Contenta est facies simplicitate sua.
Sint compti crines, nitido sit uestis amictu.
Munditijs capitur deliciosus amor.
Pauca loqui studeas, uerum tibi pauca loquenti
Sit pudor, & niueo qui decet ore rubor.
Libertas oculis neu sit, fac tempora serues,
Quîs capitur, captus quîs retinetur amans.
Sitq; uni placuisse satis: crudelius ures.
Artibus ingenuis forma iuuanda bona est.
Forte aderam, quum læta Venus Dodonide sylua
Sedula non solita poneret arte comam.
Dum fingit crines, speculum dum consulit, illi
Ludebant similes ante pedes uolucres.
Et modò plaudebant pennis, modò dulcia miscent
Oscula, cumq; suo murmura grata sono.
Laudauit dea mitis aues ab amore fideq;:
Exemplum certi dixit amoris erunt.
Sed neq; te capiat iuuenis, cui picta capillum
Sit coma, cui nimia quæritur arte decor.
Hic uanas captatq; auras, mutabilis huic est
Mens, & in incerto qui leuis errat amor.
At uates, cui numen adest, cui Delphica serpit
Laurus, & arguto carmen in ore sonat,
Ille tibi coniunx ne uelis, non esse recuset,
An ne comes, lateri sit comes usq; tuo.

Dumq́; tibi placuisse uelit, non horrida uitet
Prælia, non Scythici littora adire maris:
Non illum gelidi remorentur signa Bootæ,
Non usta aßiduo sole Libystis humus.
Coniugijq́; fidem seros perducet ad annos:
Tecum amet, & socio uiuet amore senex.
Et tibi sint faciles anni, nec amara senectus,
Obsequio dulcis functa puella uiri.
An'ne iuuet residem frustra duxisse iuuentam,
Expertem grati credula coniugij?
Quin potius laudanda fores, si coniuge charo,
Si Veneris placidis ipsa fruare bonis.
Vt sine aqua fluuius, utq́; est sine frondibus arbor,
Vt sine sole dies, nox sine luminibus,
Sic turpis sine amore pari, sine coniuge lectus.
Delicijs ille est, illecebrisq́; locus.
Ipsa meum teneris noctu complexa lacertis
Clitumnum, cupido demoror usq; sinu.
Nocte etiam uiduo solam cessare cubili
Ipsa uetat noctis quæ dea finit iter.
Nec Veneri lux grata adeò, quàm gaudia noctis.
Túne deas dubites scita puella sequi?
Hæc & uirginea tetigit mea tempora lauru:
Laurea nam dextræ sceptra Elegia gerit.
Tum liquidis dilapsa notis, quaq́; ipsa recedit,
Linquit odoratæ mollia signa comæ.
Dum spirant ignes, capiunt dum incendia uires,

Et dea tam facilem ſpondet in arte chelyn,
T u quoq; blande puer, in me noua uulnera tenta.
Deprecor imperij non ego iura tui.
V re acer, fige indomitus, neu parce pharetris,
Neu tepeant modica pectora noſtra face.
T um mihi mollis eat uerſus, tum læta ſonabunt
Carmina, tum dulcis profluet ore ſonus.
T u quoq; materiam, ſæuoq; alimenta furori
Da, curis requies una Ariadna meis.
N éue oculis inimica ueni, neu dura precanti,
Per ſpem coniugij, uinclaq; noſtra rogo,
V el miſeranda tibi eſt arſuri flamma mariti,
O ſocij conſors chara futura tori.
H æc precor, hæc utinam nitidis argenteus alis
Annuat, & digiti pignore firmet Hymen.

CARMEN NVPTIALE,
Tibicinem alloquitur.

H os numeros tibicen ama, atq; hos incipe cantus,
Et placidos feſta concine luce modos.
P rimus Hymen trucibus molliuit corda puellis,
Atq; animos facili contudit arte feros.
P rimus inexpertos uinclo ſociauit amores,
Legitimo ſtatuens debita iura toro.
E t primus gratæ decerpto flore iuuentæ,
Primitias Veneris & ſua dona tulit.
H os numeros tibicen ama, atq; hos incipe cantus,
Et placidos feſta concine luce modos.

Hic docuit lentis innectere colla lacertis,
Atq; renudato iungere membra sinu:
Hic rixas, pacemq; simul, nunc ore recluso,
Et nunc consertis oscula ferre labris:
Hic lingua titubante loqui, dum spiritus udo
Gutture, dum querulo ducitur ore sonus.
Hos numeros tibicen ama, atq; hos incipe cantus,
Dum texunt uirides laurea serta fores.
Hoc primum uirgo didicit bene culta magistro,
Et femur & lateri conseruisse latus.
Atq; inter questusq; leues, & murmura nota,
Nunc has, nunc alias arte nouare uices,
Dum gratus resilit membris tepor, imaq; uenis
It uenus, & fesso corpore languet amor.
Hos numeros tibicen ama, atq; hos incipe cantus,
Dum texunt uirides laurea serta fores.
Quis fulgor? deus ecce deus: nunc ore fauete.
Desine & impariles tibia ferre modos.
Sanctus adest, cœtusq; suos inuisere gaudet,
Castaq; coniugio nectere uincla parat.
Atq; hæc ut placitis firmet connubia uotis,
Talia diuino sancit ab ore deus.
Has ego felici iungo nunc omine dextras.
Dic iuuenis, dic tu bella puella, placet.
En placet, ore tuos iuuenis nunc excipe amores.
Oscula neu uirgo prima dedisse neges.
Conuenit: dedit hic, accepit & illa: pudicum

Hoc eſt : quid uultus ſcita puella rubes?
Atq; oculis animum fas eſt, atq; ore fateri,
Gaudia neu tacito uirgo reconde ſinu.
Cætera nox, & nos, & amor, lectusq́; docebunt.
Hæc tu nunc fidei pignora certe cape.
Quàm bene, quòd digitis aurum perlucet in iſtis.
Anulus hic uobis quod ſcit uterq; dabit.
Ite pares, paribusq́; animis in uota iuuentæ,
Et ſua concordi reddite iura toro.
Iungat amor quos iunxit Hymen, tædæq́; iugales.
Quæ iuuenes, teneat hæc quoq; cura ſenes.

CARMEN NVPTIALE.

Heſperum alloquitur.

Exorere, optatumq́; uiro, optatumq́; puellæ,
Et gratum thalamis Heſpere tolle iubar.
Tuq́; tuos Erycina toros uiſura, canoras
Iunge & aues, rutilas præfer & ipſa faces,
Qualis adeſſe ſoles ſanctis celebrata Hymenæis,
Quum timet à cupido nupta nouella uiro.
Quos dea concilias, rixamq́; in gaudia uertis,
Et tenerum florem carpere amica doces.
Tecum amor, & caſto gaudens concordia lecto,
Cumq́; ſua ueniat gratia iuncta fide.
Sancte Geni nardoq́; comam perfuſe madenti,
Feliciq; aßis hora benigna pede.
Heſper adeſt, uideo ecce faces, Hymenæeq́; clamat
Vulgus, & omnis iò turba Hymenæe uocat.

Ipse deus spargitq; rosas, spargitq; hyacinthos,
 Ac sua nimirum munera lætus obit.
Ipse & adest, agitatq; faces, Hymenæe uocate,
 Dicite iò ter, iò ô Hymenæe ió.
Quicquid odoris habent Arabes, unctiq; Sabæi
 Secum habet, atq; suo spirat ab ore deus:
Deq; coma sertisq; fluunt quoscunq; liquores
 Assyrio ueniens deuehit orbe ratis.
Ipse choros mistus pueris, mistusq; puellis
 Ducit, & ad numerum crura manusq; mouet.
Vos celebrem cantate deum, atq; Hymenæe uocate,
 Dicite iò ter, iò ô Hymenæe ió.
Nympha uenit: præit ipse deus, præeuntq; sorores,
 Idaliæ, atq; nouem Thespia turba deæ.
Scilicet assuetasq; domos, assuetaq; uisunt
 Limina, & est uatis sedula cura sui.
Cernite ut apposito moueant uestigia gressu,
 Et plaudat felix agmen ouante lyra,
Dum choreas, dum plectra mouent euantia diuæ,
 Dicite iò ter, iò ô Hymenæe ió.
Iam uenit, cohibete modos: iam tibia siste,
 Hæsitat ad primas iam noua nupta fores.
Atq; hanc cunctantemq; gradus, atq; ora rubentem
 Admonet his Erato, dulciaq; ora mouet.
Ne dubita, sustolle pedem, felixq; marito,
 Et felix natis, ô mea limen adi.
Fortunata domus tibi erit, sanctiq; penates,

Candidus

Candidus in primis, & sine lite torus.
I sq; etiam coniunx, cui præ te & munera Crœsi,
Et diues rutilis sordeat Hermus aquis.
H is Erato: subit ornatis Elegia capillis,
Candida punicea conspicienda toga.
N e lacrymis, ne fœda oculos formosa nitenteis:
Ad pacem, ad lusus chara puella uenis,
D eliciasq; tori molles, dulcemq; quietem:
Quid tua singultu pectora rupta sonant?
A spice ut hærentes in te defixit ocellos,
Vt miser è lacrymis liquitur ipse tuis.
N il iuuenis miserere, uetat te flere Hymenæus,
Et nox delicijs prima futura tuis.
E rgo age ne'ue uiri amplexus, neu gaudia differ
Longius, & charos aurea uise lares.
E n bene habet: placidos intrasti dia penates,
Dexteraq; est cupido tam bene iuncta uiro.
I te simul, capite amplexus, & colla ligate,
Vt natos uideant pignora chara suos.
I ungantur suaq; ora simul, resolutaq; uenis
Molliter irroret languida membra Venus.
C omplexi, quales hederæ sua brachia nectunt,
Chaonis & qualis oscula iungit auis.
N eu dulcem cohibete animam: pax, rixaq;, murmur
Alternent: neu dens linguáue ponat opus.
C laudite iam postes, iam lectus cepit amantes.
Mutua quid testes gaudia differimus?

S olus ades genialis Hymen: te murmura testem,
Te lacrymas, risus, prælia, nosse decet.
N os aliò: capite optatam post bella quietem,
Dum redigens abigat somnia grata dies.

VXOREM ALLOQVITVR.

Qualis ab Herculeis surgens complexibus Hebe
Visa est erepta uirginitate queri,
Quum lacrymis suffusa genas, impexa capillum
Non oculos coràm est ausa leuare suos:
T alis manè mihi somno digressa mariti
Et queri, & lacrymis ora Ariadna mades.
S cilicet & pudor est huius tibi causa doloris,
Vtq; putas, meritò te tua damna mouent.
S ed tamen est Veneri quod debes, nec tibi soli
Nata, sed & socij sunt tibi uincla tori.
I n partemq; uiri cessit pudor: utitur ille
Hac sibi permissi conditione tori.
N on est quòd doleas, mutata pudore uoluptas
In partem cessit chara puella tuam.
V tere sorte tua, neu te tibi subtrahe flendo,
Gaudia neu tristi perdere mente uelis.
Quid resides annos iuuet exegisse? iuuentæ
Munera cur nullo colligis ipsa sinu?
E t fructum flos iste dabit: tu gaudia carpe
Quæ coniunx, quæ te carpere iussit amor.
H ic pudor atq; Venus thalamo iunguntur in uno.
Hæc sunt legitimi uincula honosq; tori.

Et

Et Venerem saluo potes exercere pudore,
Et pudor agrestem præterijsse notam.
Quæ nisi rusticitas, lusus fugisse iugales?
Quærit Hymen lusus, gaudia lectus amat.
Rusticitas inimica toris, malè grata maritis.
Comparat hæc lites: pacis amicus amor.
Blanditiæ thalamo gaudent, thalamis Hymenæus,
Tu fac blanditijs usa ferare nouis.
Andromache armati fertur petijsse mariti
Oscula, & est blando molliter usa uiro.
Illum Bistonij redeuntem è munere Martis,
Excipit in molleis uxor amata sinus.
Oraq́; ab ore fouet, multoq́; madentia siccat
Puluere, & amplexus datq́; capitq́; nouos.
Festa deûm genitor summo celebrabat olympo,
Conueniunt omnes diq́; deæq́; simul.
Inter cœlicolas forma præstabat Apollo.
Vincebat cunctas Lux in honore deas.
In Lucem conuersi omnes iuuenesq́; senesq́;:
E facie Phœbi quæq; puella perit.
Illum exoptabant iungi sibi: at ipse dolebat
In facie fixus lucida Nympha tua.
Lux quoq; non notos paulatim concipit ignes:
In uultu, inq́; oculis signa dolentis habet.
Nec sine Luce sua choreas agitabat Apollo,
Nec mouet ad numeros hoc sine Nympha pedes.
Crescit amor, quantoq́; magis iam crescit, amoris

Vis patet, & tanto proditur ipse magis.
Nam sibi dum cupidisq; oculis, nutuq; loquuntur,
Et malè furtiuas dant capiuntq; manus,
Illa rubet, stupet hic, numerosq; oblitus uterq; est,
Atq; imperfecto uerba tenore cadunt.
Cognita res facilesq; Iouis peruenit ad aures.
An mea non illos iungere cura potest?
Et Phœbo digna est, inquit, Lux coniuge coniunx,
Digna Iouisq; domo, digna tonante nurus,
Et Luci coniunx, coniunx si debitus ullus,
Non alius Phœbo dignior esse potest.
Dixerat, & dextra Phœbum, Lucemq; sinistra
Iam tenet, & iussus carmina pangit Hymen.
Iam Phœbus sponsæ sponso Lux oscula præbet,
Optatoq; parant iungere membra toro.
Tum Phœbus, mea Lux, Lux ô charißima, dixit,
Quæ tibi prima uelis munera, posce, dabo.
Illa uiri iniectis collo suspensa lacertis,
Hæc tua te coniunx munera prima peto,
Ut tibi nec sine me, mihi tecum scandere detur
Auratos currus, luciferasq; rotas,
Ut tecum optatoq; sinu, cupidisq; lacertis,
Amplexuq; tuo conspicienda ferar.
Me sine nulla dies, nulla & sine Luce uoluptas,
Nulla Venus sine me sit tibi, nullus amor.
Annuit his Phœbus, Phœbi Lux candida curru
Fertur, in amplexu conspicienda uiri.

L audaturq́; sinu coniunx perlata mariti,
Et meritò felix conditione sua est.
T ūne deas, Lucemq́; sequi formosa recuses?
Exemplum nec te dura mouere potest?
E t breuis est ætas, breuis est & forma puellis:
Illa uolat, paruo hæc tempore nulla manet.
H eu quæ nos fortuna manet? miseranda senectus,
Et morbi comites, quæq́; dolenda ferunt.
F rustra præteritos olim reuocaueris annos:
Carpe diem, & Genij munera redde toro.
H oc tua te uel forma monet, uel coniugis ardor:
Hoc lex coniugij, uinclaq́; amoris habent.

VXOREM ALLOQVITVR
de militia conquerens.

N on ego diuitias coniunx, aurumq́; secutus
Ad tua constiteram limina amata procus:
S ed mores, sed pura fides, sed gratia traxit,
Et formæ quòd erat candida fama tuæ.
H is ego permotus connubia grata petebam,
Et tali felix coniuge uisus eram.
F auit Amor, teneriq́; parens insignis Amoris,
Et sua coniugio uincla parauit Hymen.
O mihi felices noctes, lucemq́; beatam,
O mihi blanditijs gaudia plena suis.
E rgo ego uota bonis Laribus, Genioq́; ferebam,
Placabam & multa numina sancta prece.
I nuidit bellorum autor, qui pace repulsa,

Concutit Aemiliæ ſanguinolentus agros.
Sæue pater, tua tela precor, tuaq́; arma reconde:
In Veneris niueos feſſe recurre ſinus.
Illa tibi ignotasq́; uices, ignotaq́; ſeruat
Gaudia, delicias lente morare tuas?
Mars propera, ſic poſcit amans, ſed terge cruorem,
Et tua ſepoſita corpora ueſte tege.
Illa quidem tibi tota uacat, dum coniugis artes
Lemnos habet, dum uir fulmina nigra quatit.
Quid ceſſas uiolente, tuosq́; moraris amores?
Me miſerum falſò nomen amantis habes.
Te belli, te cædis amor, non mollia tangunt
Oſcula, non gratæ dulcia ad arma uices.
Immemor amplexus, et murmura blanda relinquis
Immemor? ô mira ruſticitate deum.
Non tibi poſt iuuenilem operam, miſtasq́; querelas
Succurrit lenis laſſa per oſſa ſopor?
Non facilis poſt bella quies? fruſtraq́; capillum
Nunc colit, & roſeo ſplendet ab ore Venus?
Heu heu crudeles coëunt ad ſigna manipli.
Heu heu non ſegnes miles obarmat equos.
Militiam ſequitur uates, fert tela maritus,
O graue coniugium, Pierideſq́; malas.
Ocia Pieridum fuerant, requiesq́; maritis.
Non mihi coniugium, non mihi Muſa ualet.
Sed neq; me uel tela mouent, uel letifer hoſtis,
Aut iuga perpetua continuata niue.

Tu

Tu coniunx, tu sola moues, tu causa dolorum,
Qua sine nec uideor uiuere posse mihi.
Lux grauis, at grauiora manent me somnia noctis,
Somnia imaginibus nigra futura suis.

AD VXOREM.

Parce meum coniunx absens temerare cubile,
Castaq́; legitimi fallere iura tori.
Néue alij compone, leues imitata puellas,
Neu mihi sint fidei pignora uana tuæ.
Qui primus lateri ferrum crudele reuinxit,
Mouit & audaci ferrea bella manu,
Illi sint tristes diræ, cineremq́; reuellat
Ianitor, & rabida deterat ossa fame.
Ille mihi charos iuueni detraxit amores
Durus, & à domina iußit abesse mea.
Ferrum hosti, cupido noceat cur ensis amanti?
Tela absint: felix me mea tæda iuuet.
Tu tamen interea chari memor usq; mariti,
Pro reditu coniunx plurima uota dabis.
Aßistatq́; tibi soror, & sanctißima mater,
Absenteis curas quæ leuet usq; uiri.
Et tela noctes, & acu traducere lucem
Exemplum fidei Penelopea docet.
Illam non longi mutarunt tempora cursus,
Non simili ad Troiam prælia gesta mora.
Casta mane: neu te lusus, neu munera uincant.
Coniugij dotes uita pudica facit.

Siue domi tristes fuso solabere curas,
Siue foras festæ tempora lucis agent,
Coniugis occurrant animo tibi mille labores,
Me cœli pluuias sydera iniqua pati.
Forsitan & lateri sæuum quis dirigat ensem,
Et quæ præterea mille timenda time.
Dum uir abest, neglecta sinus, incompta capillum
Mœsta sedet uidua Laodomia domo.
Sæpe illam Aemoniæ blandis adiere puellæ
Alloquijs: cultus indue dia tuos,
Neglectas dispone comas: quid lucida fronti
Gemma, quid à digitis anulus omnis abest?
Non cultus capit illa suos, non lucida fronti
Gemma micat, digitis anulus omnis abest.
Quid non Euadne, Thebas urgente marito,
Impia quum fratres traxit ad arma furor?
Ah quàm difficiles egit noctesq; diesq;,
Ah quàm omnis miseræ pectore sensus abit.
Non choreæ, cantusq; iuuant, non porticus illam
Publica, non templis uota, sacer'ue dies.
Euadne quid sola domi, quid pensa, columq;
Vsq; trahis? lacrymis humidaq; ora rigas?
Me miseram cui læter abest, cui dextera cesset,
Cui colar, & formæ debita cura meæ est.
Ergo inter famulas, lanæq; addicta trahendæ
Squalida neglecto delitet in thalamo.
Vtraq; laudata est, exemplumq; utraq; fidæ
Coniugis,

Coniugis, & casti certa fides thalami.
Sed neq; sic te exempla mouent, ut non magis ipsa
Coniugis officio sponte fruare bono.
Quodq́; decet castas, sola uirtute magistra
Exequere, & per te quid decet ipsa sapis,
In partemq́; uenis nostrorum sponte laborum,
Remq́; domi, & natos qua licet arte iuuas.
Forsitan & nobis quæ sit mens ipsa requiris,
Né ue tui mihi sit mutua cura times.
Non ita nos facili iunxit concordia nexu,
Vt sine te coniunx ulla sit hora mihi.
Nec sic nostra leui firmata est pignore dextra,
Non sit ut in nostro pectore prima fides.
Vt præsens mihi sola quies, sic pectoris absens
Vna tenes curas, tu regis una uirum.
Sed dabitur, quum læta feret pax ocia nobis,
Reddere tam charo munera coniugio.
Tum liceat thalamoq́; frui, socioq́; cubili,
Mutuaq́; in tacito gaudia ferre sinu.
Tum noua suscipient uires incendia rursus,
Rursus & inijciet uincula castus Hymen.
Interea memor ipsa tori, sanctiq́; pudoris,
Spe modò uenturi tempora falle uiri.
Nec spes destituet: nanq; ultima ducitur æstas,
Candida quum celeri sub pede musta fluunt.
Frigidus Illyricis Aquilo dimissus ab oris,
Admonet hibernas haud procul esse niues.

Defunctusq́; dari sibi postulat ocia miles,
Et parat ad patrios arma referre lares.
Ipse mihi uideor iam primæ ad limina portæ,
Iam thalami cupidas uictor ad esse fores.
Teq́; meos inter collapsam uita lacertos,
De desiderio languida facta mei.
Atq; ubi mens rediјt, longo sermone referre,
Quantum difficile est coniuge abesse suo.
Implicitamq́; humeris, atq; oscula grata ferentem,
Vix rediјsse tibi credere posse uirum.
Quod tu sancte, toros celebras q Hymenæe maritos,
Annue, & his precibus candide diue ueni.

ANIMVM SVVM ALLOQVITVR.

Heus ibis, sine me tamen ibis, quo duce quæso
O anime? an'ne amor est qui tibi monstrat iter?
Scilicet ille uiæ tibi duxq́; comesq́; futurus,
Et dominæ tecum commodus hospes erit.
I felix, felixq́; redi, felicior hospes.
O utinam qui te, nos quoq; ferret amor.
Me miserum, quanti montes, & flumina quanta
Amplexus prohibent chara Ariadna tuos?
Quid tecum Arne mihi, quid cum Rhenoq́; Padoq́;,
Aut quid cum telis Mars uiolente tuis?
O pereant ensesq́; feri, galeæq́; minaces:
Pax ades, & uincto prælia Marte uacent.
Pace coronati ludunt ad pocula amantes,
Inter & insanos uina ministrat amor.

Atq; aliquis memor abſentis coniuiua puellæ
Cantat: dumq́; canit, ebria turba fauet,
Sollicitaq́; choros planta implicat: adſonat udis
Tibia,& aurato pectine pulſa chelys.
Pace Ceres Bacchusq́; uigent: tum uinitor uuas,
Tum meſſor ſpicas,grataq́; poma legunt.
Aßidet his coniunx, poſito quæ ſedula fuſo
Optatasq́; dapes,uinaq́; inempta ferat,
Et nunc ueloci meſſem diuentilat aura,
Impleat ut ſpolijs horrea triticeis.
Et nunc calcatis ſpumantia præla racemis
Diluit,ac multo decoquit igne merum.
Nunc legit arbuteos fœtus,& olentia poma,
Quæ ferat in calatho filia parua domum.
Et nunc ſelectis matura cydonia ramis
Decutit,& filo deligat inde breui.
Festa dies redit,ornata cum coniuge coniunx
Prodit,& agreſti dat ſua uota deo.
Primitias,mollemq́; hœdum cum pinguibus agnis,
Quæq́; tegant ſacras plurima ſerta fores.
Inde domum læto comitatur fiſtula cantu,
Splendet ubi appoſito menſa benigna mero.
Ipſa uiro coniunx,uxoriq́; ipſe miniſtrat,
Et plaudit dominis ſedula turba ſuis.
Vina diem celebrant,uino ſomnusq́; Venusq́;
It comes,& Veneri gaudia nota ſuæ.
O qui me Boreas, ô qui diuús ue,deús ue

In gremio sistat pulchra Ariadna tuo.
Bacche ueni memor ipse tuæ, sed contine ab ista,
Meq; feras curru Bacche benigne leui.
Ipse tuas referam laudes: tu gaudia mœstis,
Tu requies fesso es, te sine dulce nihil.
Ipse seram uites, ulmo quas rite maritem,
Ipse traham lenta sarcula dura manu.
Ac circa leuibus uinclis intenta puella
Subliget intortis brachia uiminibus.
Non tamen ut falcem'ue manu, rastros'ue lacertis
Incutiat: fortis sit labor iste uiri.
Tunc iuuet inter opus raptimq;, interq; laborem
Oscula de roseis grata tulisse labris.
Tum sparsos libet ad frontem componere crines,
Turbatasq; manu restituisse comas.
Felices Arabum gentes, quibus uxor in armis
Astat, & audaci strenua fertur equo.
Illa sudes, hastamq; uiro, iaculumq; ministrat,
Adiuuat, & nulli non fauet ipsa loco.
Communisq; utriq; labor, fortunaq; belli,
Atq; idem casus, uitaq;, morsq; manent.
O mihi si coniunx, ô si galeamq;, sudemq;
Ipsa geras, forti quàm lubet esse mihi.
Castra placent, date tela mihi, perq; arma tubasq;
Iam iuuat audaces conseruisse manus.
Dum lateri meus ignis adest, non ipse uerebor
Solus in aduersos corpora ferre globos:

Solus

Solus & urgenti clypeos opponere turmæ:
Mille licet feriant, mille repellet amor.
Me miserum néue ora calor, neu frigora lædant,
Atterat heu molles neu grauis hasta manus.
An mihi iam fuerit dulcis uictoria tanti,
Vt tibi sint formæ damna timenda tuæ?
Té ne ego sustineam rapidi fera sydera Cancri,
Tê ne grauis hyemis continuare niues?
Té ne imbres Eurosq́;? procul sit gloria belli,
Rursus in aërios prælia abite Notos.
Et rursus pax alma redi, cui blanda uoluptas
Sit comes, & felix omnia cantet amor.

QVERITVR DE EXPEDITIONE obeunda.

Musarum quondam Bacchiq́; domestica cura,
Ipse tuam colui candide Phœbe lyram,
Assuetus riuisq́; sacris, & rure beato
Compositæ mentis ocia grata sequi:
Quum Veneris placidos componebamus in usus
Carmina, quîs esset conciliandus amor.
Nunc uates ad bella trahor, Martemq́; cruentum:
Heu pharetris parcas hostis acerbe tuis.
Parce pater Gradiue, leuesq́; auerte sagittas.
Extincto quænam est gloria uate tibi?
In trucibus fera tela uiris consumere oportet,
Præterit imbelles ira leonis oues.
Te quoq; mouit amor: prosit mihi nomen amantis,

Et supplex & amans noscat amantis opem.
Imbellis mihi fila lyræ, non letifer arcus,
Et placet apposito plurima mensa mero,
Et placet, arenti sitiunt quum rura Leone,
Vmbra, sonat placidæ quà leue murmur aquæ.
Aut tenuem uisco prædam, uel arundine piscem
Excipere, aut alta tendere ualle plagas.
Arma uiros ac bella decent, nos grata Camœnis
Ocia, & in molli culcitra picta toro.
Et tamen instructasq; acies, ac signa uidere
Cogimur, & patria tam procul esse domo.
Me miserum, poterò ne tuis Ariadna lacertis
Longius, & facie sic caruisse tua?
Et poterò ne oculis? non hæc constantia nostra est.
Vincat amor: iam iam turbide Sene uale.
Castraq; turrigero ualeant circundata uallo.
Me me amor audaces cogit inire uias.
Ille per oppositas secreto limite turmas
Ducit, & hostiles præterit insidias.
Ille iter in tenebris explorat, & obuia monstrat,
Hoc duce per Syrtes sit uia tuta mihi.
Heu heu quàm pleno decurrit margine Senus,
Heu heu quàm ripas non capit ipse suas.
Nõ rapidas capit amnis aquas: trahit arua domosq;,
Et iuga diuulsis montibus hausta uehit.
Sors igitur plus q̃ uel amor, uel numina possunt.
Exercet uires casus ubiq; suas.

Casus

Casus Abidenis iuuenem demersit in undis,
Quum petit amplexus Sesta puella tuos.
Casus Threicio consortem sustulit Orpheo,
Errat dum nudo prata per uda pede.
Omnia casus agit: quod non dat amor'ue, Venus'ue,
Eueniet quotiens casus & ipse uolet.
Frustra igitur diuos miseri ueneramur amantes.
Numen Amor nullum est, numen inane Venus.
Orta mari quum præsit aquis, cur flumina parent
Nulla, nec est misero qui ferat amnis opem?
Et quondam fontes, & quondam flumina amarunt,
Sæuire hæc una est gloria Sene tibi.
Sæuiat in te atroxq́; Canis, rabiesq́; Leonis,
Atq; hyemis medio tempore siccus eas.

AD VXOREM DE LI-
beris educandis.

Quid tibi communeis natas, tria pignora coniunx
Commendem, quarum maxima cura tibi est?
Nam tua nec uirtus, nec amor monitore marito
Indiget, & matris munera docta subis.
Sed tamen ut partesq́; meas, & iura tuerer,
Né ue absens uidear non memor esse domus,
Hæc obeunda tibi constanti pectore mando,
Officij quæ sint munera certa tui.
Primus honos pietasq́; deo, templisq́; dicatis:
Hoc primum discant pignora nostra uide.
Templa adeant castè, castisq́; pijßima uotis

Dona ferant: gaudet simplicitate deus.
Tum colere antiquas artes, maternaq; iussa,
Atq; agili discant carpere pensa manu.
In digitis acus, ante pedes intexta quasilli
Viminaq;, & fuso stamina torta leui.
Hoc Tanaquil opus, hos mores Lucretia monstrat,
Phylacidæ hos coniunx, Telemachiq; parens.
Multa pater materq; ualent infundere natis,
Transit & in seri iura nepotis auus.
Insita sed studio uis confirmanda fideli est,
Natura ut mores induat usa bonos.
Arte opus est: artem solers quoq; perficit usus.
Perficit ars quicquid repperit ingenium.
Sponte sua quamuis tellus fœcunda, nouari
Poscit, & optata gaudet arantis ope:
Sponte sua uitis profert Bacheia racemos,
Sed tamen aßidua falce colentis eget.
Quid quòd quæ sterilis natura creuerat arbos
Insita pomiferas portat onusta comas?
Arte igitur natura iuuatur, & arte magistra
Sumunt diuersos pectora nostra habitus.
Format aratorem domita ceruice iuuencum
Agricola, ut currus axe sonante ferat.
Format equum domitor, sic ut petat obuius hostem,
Sensit ubi audaces signa dedisse tubas.
Dum tenera est ætas, dum mens, patiensq; magistri,
Tum proprias artes quisq; docendus erit.

Ergo

Ergo dum molles animi, nunc imprime mater
 Quæ pietas, quæ lex, fasq́;, pudorq́; iubent.
Plura licet nostras commendent dona puellas,
 Matronæ decus est una pudicitia.
Forma breuis, uigor est animi splendorq́; uirilis.
 Munificam regis addecet esse nurum.
Nos pudor ac probitas, nos uitæ ruga seueræ,
 Nos labor insomnis, mensaq́; parca decet.
Ocia nequitiam suadent, dat luxus amori
 Fomenta, in uenerem sæue Lyæe rapis.
Dicitur & fontes, fontanaq́; numina amasse
 Quæ dea tutelam uirginitatis habet,
Lenæos latices odisse, & pocula Bacchi,
 Pocula uirginibus perniciosa suis.
Calisto Arcadicis cur ursa errauerit agris,
 Fama tenet sacrum destituisse chorum.
Naiadum & latebras medijs petijsse diebus,
 Sermone & longas continuasse moras.
Illic Oenones miseros cognouit amores,
 Cognouit uersos ad sua furta deos.
Illic Eueni natam pugnacibus armis
 Abreptam, atq; Idæ præposuisse torum.
Cognouit spretum dilecta ab uirgine Phœbum
 Euenum rapidis sponte subisse uadis.
Qualia dum memorant faciles ad furta Napææ
 Arcas amat uersos ad sua uota deos.
Corrumpunt mala dicta animum, moresq́; uerendos

In ueros sensus sæpe abiere ioci.
Lasciuos igitur cœtus, lasciuaq; uerba
Pignoribus nostris rite cauenda uide.
Penelope nunquam, nunquam Lucretia uidit,
Histrio dum molli scenica uoce canit.
Templa pudicitiam maculant, ni rite peractis
Rebus abis, templi noxia sæpe mora est.
Rustica nec mihi sit, nec sit mihi blanda puella:
Quanquam rusticitas labe uacare potest:
Blanda procax facilè est, & amata ad ludicra uelox.
Sit procul, ô procul, ô blanda procaxq; mihi.
Non quales ageret didicit numerosa choreas,
Sed quos exigeret Laodomia colos.
Dum trahit ante rotas deuictas Scipio genteis,
Et peragit magnos libera Roma iocos,
Matronæ iuuenesq; simul per compita saltant,
Concinit & uarios tibia Lyda sonos.
Romanos inquit numeros inflare memento
Aemilia, & nostros aduena tange modos.
Non omneis igitur numeros, non quasq; choreas
Quæ proba, nec quæuis carmina nosse cupit.
Ausam uix memorant tectis Argian auitis
Prodisse, & raras urbis adisse domos.
Quæ casta est, thalamo gaudet laribusq; paternis:
Turba nocet, turbæ crimina ubiq; placent.
Est oris quoq; lex, est & sua cura capillo,
Quam tenuisse decet, præterijsse nefas.

Euadne

Euadne hoc placuit, placuitq; hoc Martia cultu.
Ornatus tamen est neutra secuta nouos.
Ante Helenam nullæ crimes emere puellæ.
Troia docet quantum non sua forma nocet.
Nec faciem, nec colla prius, nec pectora norant
Pingere, nec fuco consuluisse genis.
Primæ Sirenes cultus docuere negatos:
Est noua sed crimen pœna secuta nouum.
Quid tibi præcipiam molles uitare fenestras?
Ad culpas aditum laxa fenestra facit.
Libera mens, captiua tamen sint lumina, quando
Hanc animo inuenit sæua libido uiam.
Cogite, fallaces, animus ne peccet, ocellos:
Cogite, libertas ne peritura cadat.
Pellite materiam, primasq; extinguite flammas.
Vincite, uincentes palma decusq; manent.
Hæc tibi nunc coniunx, nō ut moneám ue, rogém ue,
Sed studium absenti noris ut esse domus.
Perge, & consortem natis nunc exige curam.
Est labor, at merces magna parata tibi.

EXVLTATIO DE FILIO NATO.

Ite procul curæ insomnes: sint omnia læta:
Cretensi lux hæc more notanda mihi est:
Ite iterum curæ insomnes, procul ite dolores,
Fulserit hæc nitido sydere fausta dies.
Qua mihi uitales genitus puer exit in auras.
Spargite nunc uarijs atria tota rosis.

Spiret odoratis domus ignibus, æmula lauro
  Myrtus adornatos pendeat ante lares.
Ipse deos supplex tacita uenerabor acerra,
  Et reddam sacris debita thura focis.
Sancte Geni tibi solennes prostratus ad aras
  Fundo merum, & multo laurus in igne crepat.
Vota manent: sua signa deum testantur, & omen
  Clara dedit celeri flamma uoluta gradu.
Ipse & pacato mouit sua uertice serta,
  Et fragilis cecidit crine decente rosa.
Ipse manu rata signa dedit, tu sydere dextro
  Edite, felices exige nate dies.
Produc fataleisq; colos, & longa sororum
  Stamina, dent faciles in tua fila manus.
Spesq́; patris matrisq́; auge, superesq́; parentum
  Vota, fluant Hermus, Lydiaq; unda tibi.
Auguror, & patrias olim meditaberis artes,
  Et studia antiquæ non inhonora domus.
Siue tibi carmen placeat, tibi carmina Musæ
  Dictabunt, uirides cinget Apollo comas:
Siue uias cœli, rerumq́; exquirere formas,
  Naturæ & causas explicuisse iuuet:
Seu leges, atq; arma fori, te proxima possunt
  Exempla, & patres extimulare tui.
Sed neq; te uel dirus amor, uel gloria belli
  Vicerit, ut matri sis timor usq; tuæ.
Illa graues tulerit decimo iam mense labores
Languida

Languida de partu mortua penè mihi.
At tu iam tanto mater defuncta periclo
In noua præteritos gaudia uerte metus.
Iam mater, quid matris opus, quid munera differs?
Cur non materno iam cubat ille sinu?
En patri similes oculos, en mater in ore est,
En uultus, in quîs spirat uterq; parens,
En senij solamen adest: uos spargite multo
Flore domum, & thalamis lenior afflet odos.

IOAN. IOVIANI PONTANI de amore coniugali lib. II.

ACCVSATVR NIMIVS puellarum cultus.


Ecquæ Pieridum mecũ canit euge puellæ,
Ecquæ Castalio fonte ministrat aquã?
Quænam est quæ suffusa genas, demissaq; ocellos
Incipit? ô sacra carmina digna dea.
An'ne ea Melpomene est, dulci dea cognita cantu?
Felicem, cui fas ora uidere deûm.
Atqui olim latis errabant numina campis,
Nec puduit tenues accubuisse casas.
Sæpe etenim Pietas diuûm, quæ maxima natu est,
Astitit ante aras dum cadit agna Ioui.

S æpe pudicitiam gelido uidere ſub antro,
Aut in gramineo membra leuare toro.
O quotiens feſſo ſomnos carpente colono
Aſtream triſtes extimuere lupi?
I lla diu terris placida cum pace uagata
Et ſtatuit leges, & ſua iura dedit.
I lla greges docuit ſyluas paſtore uocante
Pergere, & à ſyluis nocte redire domum.
I lla etiam fortes docili ceruice iuuencos
Ferre iugum, & grauibus flectere colla rotis.
T unc & equus primis compeſcuit ora capiſtris
Neſcius intortas antè timere minas.
O mnia tunc dicente dea, pecudesq́; feræq́;
Diſcebant munus ordine quæq; ſuum.
I n primis ſeruare fidem, dominumq́; uereri
Docta canis, cuſtos ditis amica domus.
Quales deliciæ uatum Capuana, doloŕq;
Aſterion, caſtæ grata rapina deæ.
Quid uatem Diana queri, quid dicere cogis
In teq́;, inq́; alias impia uerba deas?
M uſarum hic canis eſt: quid enim tibi iuris in illo?
Redde ſuum Muſis, & mihi redde meum.
N on ille aſſuetus ſyluis, ſed grata puellis
Limina, ſed domini pone iacere pedes:
S ed thalamos ſeruare, & menſæ aſſiſtere herili,
Inq́; puellari ludere ſæpe ſinu.
Quem raptum infelix mater quum ferre nequiret,
Paulatim

Paulatim misero uicta dolore cadit.
Non somnos, non illa cibos miseranda requirit,
Finiat ut luctus morte iubente suos.
Felices catuli, quos dilexere Poëtæ,
Et quorum ad tristes concinuere rogos.
Non illos (si quid possunt mea carmina) tempus
Abstulerit: uiuent secula longa senes.
Elysij quos arua tenent felicia campi,
Optatasq; ferunt pascua læta dapes.
E folijsq; cadunt passim uarijq; sapores,
Securiq; errant & sine lite greges.
Mirantur manes æquis ut cursibus auras,
Vt tranent celeri roscida prata fuga.
Forsitan & uates aliquis dum cantat, adesse
Gaudet, & an, dicit, hi quoq; carmen amant?
Sed satis hæc, dum Musa nouas cum pectine chordas,
Desuetæq; aptat fila remissa lyræ.
Nunc agite ô faciles aures adhibete puellæ,
Dum canit, & liquidum dum dea pulsat ebur.
Diua canit, quodq; illa canit cognoscere sanctum est.
Vos modò quod sanctum est noscite: diua canit:
Parcite ueloci nimium confidere formæ. MELP.
Præterit: en fragili quàm mora nulla bono est?
Hæc flos est, & flore caducior: hanc dolor, hanc sors,
Et morbi uitiant, instabilisq; dies.
Atq; ea quæcunq; est, nullo aut uiolanda paratu
Aut modico, cultus lex quoq; certa datur.

Quid preciosa iuuant? tortisq; affixa capillis
Gemma? quid in collo nexile pondus agit?
Quæritur his cõiunx? mores non gemma parabunt.
Crimen inest, si quod laudat amator, agas.
Nec si forma bonum est, externos quærit honores,
Ingenuumq; bonum quid facis arte malum?
Si mentem abijcias, turpe est sine pectore cultus.
Exerceto animum, culta puella sat es.
Sed tamen ut mores animum, sic corpus honestant
Munditiæ: labem uitat uterq; suam.
Vt uirtus contenta modo est, mensuraq; morum est,
Sic & munditijs formula certa data est.
Si modò uos moueant Sirenum infamia monstra,
Selectos cultus quæq; puella fuget.
Hæ facie, cantuq;, & Palladis arte placebant,
Sedula sed nimij cura decoris obest.
Sæpe illis nutrix, ô quid bona tanta per artem
Perditis? & causam criminis ora gerunt?
Sæpe inter choreas aliæ risere puellæ,
Et damnant cultus luxuriantis opes.
Forte renudatis ibant ad templa papillis,
Qua breuis Aenario est insula cincta mari:
Ora madent, liquidoq; madent & tempora fuco,
Inficit & roseus non sua labra rubor.
Colla niues infecta gerunt, ac nulla papillas
Vitta tegit, nimia guttur ab arte nitet.
Pictæ oculos, multumq; alieno crine superbæ
Luxuriem

Luxuriem facie testificante suam.
Quas dea prospiciens gradibus sublimis ab altis
Auertitq́; oculos, opposuitq́; manum.
Nec si, inquit, dea sum, si quid mea numina possunt,
Si qua pudicitiæ iuraq́; uis q́; ualent,
Hæc impune ferent, nec nos læsisse iuuabit,
Et meus in pœnas induet arma dolor.
Vix templo exierant, uix littora summa tenebant,
Arida uix primos ceperat alga pedes,
Senserunt teneris squamas horrescere plantis,
Ossa quoq; in spinas ire coacta nouas.
Qui fuerant ungues alium traxere rigorem:
Pro digitis pinnas, pro cute tergus habent.
Mens quoq; mutata est, nec se uelut antè puellas,
Sed uasti credunt æquoris esse feras.
Atq; ita se in fluctus, inq́; æquora proxima mittunt
Pube tenus pisces, cætera ut antè manent.
Scilicet ut ueteris sit nota infamia culpæ,
Exemplum & timeat quæq; puella sibi.
Tela pudicitiæ moneo uitate puellæ,
Contentæ proprijs simplicibusq́; bonis.
Luxuries infensa deæ est, infensa decoris
Cura noui: nil est simplicitate prius.
Hæc placet: haud ulla est quæsitæ gratia formæ.
Quæ studio peccas, simplicitate places.
Nulla est ornandi, nulla est, mihi crede, parandi
Gloria: naturæ est forma, nec artis opus.

A rs odio digna est, ubi nullo fine tenetur.
Naturæ est similis hic ubi finis adest.
N il fuit in toto quicquam formosius orbe
Coniuge, qua felix Protesilaus erat.
N ullis hæc gemmis, nulla est adiuta colore,
Et rara nunquam cultior arte fuit.
O rnabat faciem solo contenta pudore.
Felix si nunquam rapta Lacæna foret.
I lla Myceneis auecta penatibus, Iden
Dum petit, & Danaos cogit in arma duces,
P hylacides primusq; uenit, primusq; dolorum
Vltor adest, primus & cadit ante rates.
C oniugis at miseræ thalamos non immemor umbra
Mœsta subit, stygijs nocte remissa uadis.
A emoniæ dum membra fouet dilecta maritæ
Vulnera nudato sunt patefacta sinu.
I lla gemit, funditq; imo de pectore questus,
Frigidus & miseræ concutit ossa tremor.
A mplexusq; inter, lacrymosaq; uerba recessit
Et sopor, & somnis nigrior umbra suis.
M anè deos miseranda parum felicibus extis
Nequicquam & multa supplicat usa prece.
P luraq; sacratis promittit munera templis,
Votaq; pro reditu uix numeranda facit.
A t postquam infelix extincti fama mariti
Certa fuit, cineres & breuis urna refert.
T ransigat infestum sua per præcordia ferrum,

Comprimat

Comprimat amentes ni pia turba manus.
V num hoc non licuit: misero concessa dolori
Cætera, & in casto regnat amore furor.
Q uod potuit comitata uirum est, nec uera fatenti
Vita magis quàm mors illa uocanda fuit.
S eruauit cineriq; fidem, lectoq; iugali.
O rarum in longa posteritate decus.
D elitet in tenebris, lucemq; perosa virosq;,
Proq; uiro infelix urnaq; & umbra fuit.
V rna quidem cineresq; die, sed noctibus umbra.
Hæc comes, hæc coniunx, hæc & amator erat.
T alia Melpomene: mihi tum specus Aonis antrum
Pandit, & è uena Thespide manat aqua.

VILLAM SALVTAT A militia regressus.

R ura iterum saluete, iterum saluete coloni,
Tyrrhenæ ualeant, martiaq; arma Sene.
P one hastam Gradiue, quietus & exue bellum.
Ocia segnis hyems, ocia quærit amor.
T e Venus expectat thalamo, tibi bruma perennes
Dat noctes, requiem poscit & ipse labor.
H ine lares, fundusq; meus? mea prædia cerno.
O mihi tam fausto sydere nata dies.
F unde puer calices: lux hæc Cretensis agatur.
Funde iterum, & multo splendeat igne focus.
I gne focus, madeat generoso mensa Lyæo,
Impediat canas myrtus opaca comas.

Tyrrheni procul hinc, procul hinc estote labores.
Ocia securus garrula Bacchus amat.
Dic puer, an'ne aliquos quereris malesanus amores,
Num tua sollicitet pectora Hetruscus amor?
Margara num, roseó ue decens Græcinna colore?
Num facie & blandis grata Terinna iocis?
Me dulcis Iunepra, nouos hæc suscitat ignes,
Absentemq́; urit bella puella senem.
Desine & ipsa meas Iunepra incendere curas,
Frigidaq́; absenti corda fouere face.
Parce seni, restingue faces: tu prome falernum,
Leniat ut curas ebria cura nouas:
Pone merum, pone & talos: post uina iocumq́;
It sopor: hic curas diluet ipse graues.

EXVLTATIO DE PACE iam facta.

A bellis ad rura, & ad ocia grata Camœnis,
Ad rura à bellis uxor amata uocor.
Pax Cererem redditq́; agris, redditq́; Lyæum,
Et sua cantantem Mænala Pana sonant.
Pace sua lætatur humus, lætantur agrestes,
Et resides somnos oppida fessa trahunt.
Iam facilis, iam læta choros per prata Voluptas
Ducit, & optatus rura reuisit Amor.
Rura Venus, rurisq́; colit nunc urbe relicta
Læta domos: lætus numina sentit ager.
Ergo alacres sequimurq́; deos, & rura petamus:

Huc

Huc propera, mecum huc uxor amata ueni.
Huc ueris te poscit honos, ruris q; beati:
Et rure, & uerno tempore natus amor.
Vrbis opes ualeant: nil rure beatius ipso:
Rura placent Musis, rura Diana colit:
Rura fides habitat, habitat probitas q;, pudorq;,
Et fas, & pleno copia larga sinu.
O ualeant urbes: quid enim felicius agro?
Hîc tecum, hîc coniunx uita fruenda mihi est.
Ocia si capiant animum, quid mollius umbra,
Fundit quam multa populus alba coma?
Quam platanus, platanoq; decens intersita laurus,
Et quæ tam raro Citrus honore uiret?
Sin labor, ut teneras hortis disponere plantas,
Vt iuuat humentes carpere mane rosas?
Aut tenuem è folijs laribus pinxisse coronam,
Et sua triticeæ serta parare deæ?
Nunc legere arbuteos fœtus, montanaq; fraga,
Aureaq; in calathis mâla referre nouis?
Nunc agere incautas in retia cæca uolucres?
Mille modos placidi rura laboris habent.
Sed coniunx tua uota moror: laqueata ualete
Et tecta, & thalami: te duce rura peto.
Dux coniunx, cui cana fides, cui castus eunti
Hæret amor, sequimur teq;, tuosq; deos.
O mihi post longos tandem concessa labores,
O mihi non iuueni, sed data sorte seni,

O mentis tranquilla quies: saluete beati
Ruris opes: salue terra habitata dijs.
Terra bonis fœcunda, & nulli obnoxia culpæ.
Hic tecum, hic coniunx uita fruenda mihi est.
Ista senes nos fata manent: mors usq; uagatur
Improba: uis mortem fallere, uiue tibi.

LAETATVR IN VILLA SVA.

Hos ego ruricolamq; bouem, simamq; capellam,
Quàm lætor nitida luxuriare cute.
Diuitiæq; laris tenuis non segnis asellus
Vt spondet multo plurima ligna foco.
Hac mâlo uix est fœcundior ulla per hortos,
Atq; grauata suum quàm bene portat onus.
Seu Campanus ager, siue hanc dedit Africa pomum,
Artifices hominum siue tulere manus,
Non grato sine honore feret, sine diuite fructu,
Non sine cœruleis Azariola comis.
His olim coniunx opibus felicior ætas
Aurea de facto nunc quoq; nomen habet.
Quum sua cuiq; satis, nec plus aliena placebant,
Et pecus, & cultus cuncta parabat ager.
Auro nullus honor, nullæ & sine nomine gemmæ,
Non illo quisquam tempore adulter erat.
Si quando in pratis perrara ad festa puellæ
Iungebant dociles rustica ab arte manus,
His pudor hærebat fidus comes: ille monebat
Qua se, quaq; oculos arte mouere decet.

Nanq;

N anq; ferunt captos hominum pietate, relicto
Tellurem diuos incoluisse polo.
A t uitia infernoq; lacu, stygiaq; palude,
Horrendisq; erebi delituisse cauis.
T unc felix hominum cœtus, tunc nectaris amnes,
Et fontes lactis, robora mellis erant.
C œlitibus simul immisti iuuenesq; senesq;
Prandebant: uini non tamen usus erat.
V nà amor atq; pudor, unà accumbebat honestas,
Et Venus, & probitas, formaq; iuncta simul.
H æc hominum sors dulcis erat, sors læta deorum:
Hæc bona præstabat tunc habitatus ager.
P rima erebo egressa est falso custode cupido:
Illa fuit nostri prima ruina mali.
I lla rudeis animos curis infecit habendi,
In scelus & pronas iußit habere manus.
H inc leuis ambitio Phlegethonte emersit ab imo,
Liuorq; exanguis, peruigilesq; doli.
T um terras, cœtusq; hominum, moresq; nefandos
Numina, & infamem deseruere locum.
S ola Venus teneri pastoris imagine capta
Et cœlo terras prætulit, & puerum.
N ec ruri contenta nouas migrauit in urbes.
Illa dies miseris urbibus atra fuit.
N os ab nos urbes coniunx procul esse iubemus.
Rura placent: luxus desidiose uale.
S implicitas nos prisca iuuet, nos parca supellex,

Et facilis uictus, & sine sorde toga.

AD BACCHVM CONSECRATIO.

Hos statuit tibi Bacche lacus cum coniuge uates,
Accipe pacatus munera nostra pater.
Quòd uatum pater es prosit mihi, prosit & uxor,
Quodq; Ariadna tibi est, quodq; Ariadna mihi est.
Huc tua te Antiniana uocat, cultißima Nymphe,
Teq; manet cupido blanda puella sinu.
Te petit exoptatq;, tuos suspirat amores,
Gestit & ad plenos ludere nuda lacus.
Qualis ubi primum florem, primosq; Hymenæos
Victa dedit, quum te per iuga traxit amor.
Errabas miser in syluis: ridere Napææ,
Ridebant Dryades cornua Bacche tua.
Septem te uidere hyemes per deuia lustra
Ferre niuem, & rapidos messe tulisse dies.
Illa deum miserata, quid ô mitißime, dixit,
Vim' ne paras? non hæc prælia poscit amor.
Iniecitq; manum collo: tibi lenis ab ore
Aura uenit: tibi nunc oscula rapta sonant.
Exanimis cadis: illa sinu mollißima blando
Excipit, & tenera mulcet amica manu.
Tú ne deus, tú ne anguipedes uicture gigantes?
Tú ne iaces tenero Bacche fouende sinu?
Tú ne manu mulcende iaces? sed splenduit aër,
Præla nouo radiant lumine, Bacchus adest.
Bacchus adest: tumuere lacus, tumuere racemi,

Nec

Nec capiunt fluidum labra minora merum.
E uge pater Lenææ Euan, pater Euchius Euan.
Vina fluunt: plenis condite musta cadis.
F erte citi: pater euge Euan: pater Euchius Euan:
Ferte citi: iam iam dolia nulla uacant.
E uge pater, ne plura pater: pater Euchius euohe:
Siste pedem: ad lusus Antiniana uocat,
O stentatq; sinu Venerem, ostentatq; papillis,
Illi Amor inq; oculis lusitat, inq; genis,
P erq; oculos lasciuit Amor, perq; ora genasq;,
Eq; genis oculisq; afflat & ore Venus.
I am pueri cohibete oculos, auertite uultus,
Diua deum, diuam dum deus ipse fouet,
D um ludunt ad præla: pater mitißime salue,
Annuus & rediens ad tua musta ueni.

RVSTICVM ALLOQVITVR.

R ustice neglecti cultor malè fortis agelli,
Qui subigis pigro rura paterna boue,
D umosoq; sinis obduci limite campum,
Duraq; non certo subruis arua die,
F allacisq; tibi Cereris, fallacis & uuæ
Fructus, & ingrati poma minuta soli.
N on seges hæc, non cura leuis, non lenta colendi
Desidia, offensi sed facit ira dei.
C uius numen aquæ uiolas, dum sæpe lutosam
A stabulis uitreo perluis amne suem,
A nnua nec ueteri reddis sua uota sacello,

Sed cædis ſacra relligione nemus.
Ira deos tangit: cœleſtem uince furorem
Thure pio, & multam ſedulus adde precem.
Agna cadat Fauno: pinguisq́; ex ubere matris
Imbuat offenſas candidus hœdus aquas.
Placabisq́; deum ſacræ qui præſidet undæ,
Viſcera de niueo toſta ferens uitulo.

DE ORTV ET GENITVRA Lepôrum.

Fallor, an eſt Charitum chorus hic? chorus ille Leporum?
Vre puer plena maſcula thura manu.
Spargite humum uiolis, chorus aduenit, ite profani,
Iam ſubit ornatas candida turba fores.
Nunc ades ô mihi culta chelys, dum pauca puellis,
Dum canimus blando pauca, ſed apta gregi.
Forte quieſcebat Veneris chorus ad caput amnis,
Roſcida Sebethos quà piger arua ſecat,
Cæruleæ per prata deæ, per prata Napææ
Hîc illic placida membra quiete leuant.
Aura mouet uirides ramos, uaga murmurat unda,
Et dulce in folijs garrula cantat auis.
Dulcidia ad ſalicem, uiridiq́; in margine ripæ,
Sicut erat rapido feſſa calore, iacet.
Aura leuis tunica ſuram nudabat: at illi
Crura per ignoto lumine candet ebur.
Ipſa etiam tenuem ſpirabat leniter auram
Languenti qualem ſpirat ab ore ſopor.

Forſitan

F orsitan & ueteres animo suspirat amores,
Somniat amplexus dum Tegeæe tuos.
O ptanti non serus ades, dum gramina seruas,
Explorasq; leuem quà tulit illa pedem.
Quæ tum deliciæ? quæ murmura? quis furit ardor?
Post rixas, post tot prælia quanta quies?
R isit ut exanimes uidit Cytherea, repensq;
Currit in amplexus pulcher Adoni tuos.
N ullaq; quæ uos Nympha uidet non inuidet, aut non
Quærit amatorem protinus illa suum.
I lla dies inter Charitesq;, interq; Napæas,
Illa dies Nymphis iure beata fuit.
I lla etiam pucro ut placeat Cytherea retexit
Molle latus, retegis mollis Adoni tuum.
S ecuræ in tenero iacuistis gramine Nymphæ,
Egistis q; uices, dedecuitq; nihil.
D ulcidiæ paulatim uterus crescebat, & ægram
Vexabat geminus uentre grauante puer.
A ffer opem & genitor natis, & amator amanti,
Clamat: fert genitor, fert & amator opem.
F orte aberat Lucina domo: Cyllenius aulam
Ingressus, furtum fur deus ipse parat.
V nguentum è thalamo magnæ Iunonis ad usum
Seruatum, artifici surripit ille manu.
V ngit & hoc uterum diuæ: cessere dolores:
Illa parit geminos: tum dea mater ait.
I psa leuata labore uocem uos iure Lepôres,

Nominis hæc uestri non mihi causa leuis.
Vos eritis curis requies, uos mite leuamen,
Sollicitisq; animis diminuetis onus.
Hæc genitrix sic orsa Venus, sic mater amorum,
Puniceasq; sinu spirat, & ore rosas:
Mecum eritis quocunq; loco, quocunq; recessu
O pueri, ut nostri pars bene digna chori.
Nec uobis sine dulce aliquid: mihi ubiq; Lepôrum
Iuncta cohors, mihi sit iunctus uterq; comes.
Hoc mater merita est, teneræ hoc meruere sorores,
Inuentaq; lyra nobilis ipse pater.
Dixitq;, excepitq; sinu dea læta beato,
Ambrosium & roseo stillat ab ore decus.
Ambrosiæ hausère auramq;, Idaliumq; liquorem
Tum pueri, & blandos ore dedere modos.
Arrisit, tenerisq; iterum dea fouit in ulnis,
Hos & Acidalio protulit ore sonos:
Nullæ uos curæ pueri, nil triste dolens'ue,
Non labor, aut mœror pectora uestra grauet.
Ocia sed risusq; iuuent, lususq;, iociq;,
Blanditiæq; leues, mollitiesq; decens.
Sit semper puerile decus, puerilis & ætas,
Insideat labris Attica semper apis.
Hæc uobis Veneris pueri Chariteia propago,
Hæc canit aurato pectine eburna chelys.
Hæc uobis Gnidiæ Nymphæ, quîs dulcia curæ,
Quæ mentes placida conciliatis ope.

Vos numeros ne dia cohors, ne temnite nostros,
Si mea sunt uestris cognita plectra choris.
At uos Dulcidiæ nati, qui mitia tecta
Parthenopes, miti rura beata solo,
Qui colitis Stabiosq; sinus, Sarniq; recessum,
Et Surrentinis littora nota iugis,
Cantibus his spirate hilares teneriq; Lepôres,
Lenis & afflatu mulceat aura nouo.
Qualem quum teneris lac instillaret alumnis,
Spirabat niueo dia Melissa sinu.
Sic uobis sit triste nihil, sint ocia læta,
Mesopius grato sic fluat ore liquor.

NAENIA PRIMA AD SOMNUM prouocandum.

Somne ueni, tibi Luciolus blanditur ocellis:
Somne ueni, uenias, blandule somne ueni.
Luciolus tibi dulce canit: somne, optime somne,
Somne ueni, uenias, blandule somne ueni.
Luciolus uocat in thalamos te blandule somne,
Somnule dulcicule, blandule somnicule.
Ad cunas te Luciolus uocat: huc age somne,
Somne ueni ad cunas, somne age, somne ueni.
Accubitum te Luciolus uocat: eia age somne,
Eia age somne ueni, noctis amice ueni.
Luciolus te ad puluinum uocat: instat ocellis:
Somne ueni, uenias, eia age somne ueni.
Luciolus te in complexum uocat: innuit ipse,

Innuit: en uenias, en modò somne ueni.
Venisti bone somne, boni pater alme soporis,
Qui curas hominum, corporaq; ægra leuas.

NAENIA SECVNDA, AD VAGItum sedandum: nutrix canit.

Ne uagi, ne blande puer, ne paruule uagi:
Blanda rogat blandum Lucia Luciolum.
Ne uagi, ne lacrymulis corrumpe misellis
Turgidulosq; oculos, turgidulasq; genas.
Ecce tibi balbo ore sonat, blœso ore susurrat
Eugenia, & dulces garrit in aure iocos.
Ecce tibi mollem inflectens Aurelia uocem
Fabellas bellas, carmina bella canit.
Ne uagi mellite puer: tibi Luscula ludit,
Gestit & ad cunas blanda catella tuas.
Curtiolus tibi subsultans en se erigit, en se
Iactitat, en teneri cruscula lambit heri.
An lingis lasciue genas? ah Curtule Curti,
Ipsa tibi irascar Curtule Curtiole.
Tu ne genas? tu ne ora? meus puer, improbe Curti
Luciolus meus est, improbe Curtiole.
Curtiole an ne audes? ah risit Lucius, ah se
Iecit in amplexus Lucius ipse meos.
En pectus formose tuum: mihi dulcia iunge
Oscula, & in solito molle quiesce sinu.

NAENIA

NAENIA TERTIA BLANDI-
toria, & iocosa: nutrix canit.

Has ego Luciolo mammas, hæc ubera seruo.
Dextera mamma tua est, ipsa sinistra mea est.
Singultit sed Luciolus: mutare licebit:
Ipsa sinistra tua est, dextera mamma mea est.
Vtraq; sed potius tua sit: iam desine flere:
Desine, dextra tua est mamma, sinistra tua est.
Risit Luciolus, mammamq́; utranq; momordit.
Túne meas mammas crudele, tú ne meas?
Iam sæuit, quòd dico meas: ne candide sæui:
Hæc atq; illa tua est, utraq; mamma tua est.
Nunc Luci, nunc suge ambas, ne quis malus illas
Auferat, & clauso scite reconde sinu.

NAENIA QVARTA NVGA-
toria: nutrix iocatur.

Ora quis, aut quis labra mihi, linguāq; momordit?
Lucius improbulus, Lucius ille malus.
Quis collum, mammasq́; meas, pectusq́; momordit?
Lucius ille malus, Lucius improbulus.
Ne posthac, ne tange puer: cui basia seruo,
Labráq; ? cui linguam hanc? Antinoo, Antinoo.
Cui pectus, mollemq́; sinum, tenerasq́; papillas,
Amplexusq́; meos? Antinoo, Antinoo.
Antinoë ô formose ueni: tibi brachia pando,
Quamprimum in nostros blande recurre sinus.
En mammas, en lacteolas formose papillas,

En cape delicias tinnula plectra tuas.
Sed quisnam nostra puer hic ceruice pependit?
Mentior, an certe est Lucius improbulus?
Implicuit collo simul, & simul oscula sumpsit,
Improbulus non iam, sed probus ipse puer.

NAENIA QVINTA AD SOMNVM inducendum: mater cantitat.

Scite puer, mellite puer, nate unice dormi,
Claude tenelle oculos, conde tenelle genas.
Ipse sopor, non condis, ait, non claudis ocellos?
En cubat ante tuos Luscula lassa pedes.
Languidulos, bene habet, conditq; & claudit ocellos
Lucius, & roseo est fusus in ore sopor.
Aura ueni, foueasq; meum placidißima natum.
An strepitant frondes? iam leuis aura uenit.
Scite puer, mellite puer, nate unice dormi,
Aura fouet flatu, mater amata sinu.

NAENIA SEXTA NVGAtoria: mater ludit.

Quis puer hic? age Lisa tuas absconde papillas,
Hic puer en illas surripuisse parat.
Lisa tege, en tege Lisa tuas. Tú ne improbe, tú ne
Lucioli mammas surripuisse paras?
Luciole huc propera, propera nunc candide Luci:
Ille malus properat, tu prior antè ueni.
Vicisti, atq; hanc ore premas, hanc corripe dextra.
I puer hinc, alias, i male quære alias.

NAENIA SEPTIMA NVGATORIA,
ad inducendum ſoporem: mater loquitur.

F uſcula nox, orcus quoq; fuſculus, aſpice ut alis
Per noctem uolitet Fuſculus ille nigris.
H ic uigiles captat pueros, uigilesq́; puellas.
Nate oculos cohibe, ne capiare uigil.
H ic captat ſeu quas ſenſit uagire puellas,
Seu pueros: uoces comprime nate tuas.
E cce uolat, nigraq́; caput caligine denſat,
Et quærit natum Fuſculus ille meum.
O re fremit, dentemq́; ferus iam dente laceßit,
Ipſe uorat querulos, peruigilesq́; uorat.
E t niger eſt, nigrisq́; comis, nigroq́; galero.
Tu puerum clauſo Liſa reconde ſinu.
L uciolum tege Liſa: ferox quos pandit hiatus?
Quasq́; aperit fauces? ut quatit uſq; caput?
M e miſeram: an ferulas geſtat quoq;? parce, quieſcit
Lucius, & ſunt qui rus abijſſe putent.
R ura meus Lucillus habet, nil ipſe moleſtus,
Nec uigilat noctu, conqueritúr ue die.
N e ſæui, hirſutasq́; manus tibi comprime ſæue.
Et tacet, & dormit Lucius ipſe meus.
E t matri blanditur, & oſcula dulcia figit,
Bellaq́; cum bella uerba ſorore canit.

NAENIA OCTAVA: NVTRIX
arceßitur: mater loquitur.

L iſa ueni, expectata ueni, quid lenta moraris?

En age quid cessas? nil remorata ueni.
Et sitit, & uagit: tibi nunc conuicia dicit
Lucius, & charos quæritat usq; sinus.
Iam properat Lisella: pedum uestigia sensi:
Ecce uenit nudo Lisa parata sinu.
En tibi lacteolæ Luci formose papillæ,
En tibi turgidulo plena mamilla sinu.
Tota tibi tua Lisa uacat, tua Lisula tota est.
Sume uenuste puer ubera, carpe sinus:
Carpe sinus formose tuos, somnumq; capesse,
Dicetur cunis nænia grata tuis.

NAENIA NONA IOCOSA AD blandiendum: nutrix canit.

Pallidus Eunomius puer est, Titiusq; nigellus:
Vagit & hic noctes, uagit & ille dies.
Luciolo roseus color est candore refusus:
Nec uagit noctu, nec strepit ipse die.
Despuit Eunomius mammas, tunditq; papillas:
Oscula dat tumidis Lucius uberibus.
Non Titium fabella iuuat, non nænia Lippæ:
Nænia Luciolum, uerbaq; ficta iuuant.
Ridet & in somnis, & Lisæ Lucius hæret,
Auferat & ne quis callidus ipse timet.

NAENIA DECIMA: MATER BLAN ditur catellæ, ac somnum inuitat.

Ne latra, ne pelle bonum, bona Luscula, somnum.
Et tibi iam somnus Luscula gratus erit.

Ingrederis

Ingredere ô bone somne, nihil bona Luscula latrat:
Luscula Luciolo, Luscula blanda tibi est.
Innuit ipsa oculis tibi Luscula: Lucius ipse
Innuit, & dicunt, somnule lenis ades.
Luscula iam dormit, stertit quoq; bella catella,
Et sua Luciolo lumina fessa cadunt.
Dormi Luciole, Luci dilecte quiesce:
En canit ad cunas garrula Lisa tibi.
Mulcet languidulos, saturat quoq; somnus ocellos,
Somnus alit uenas, corpora somnus alit.
Et sedat curas, requiemq; laboribus affert:
Odit tristitiam: gaudia semper amat.
Somne bone ô cunctis, aßis mihi candide somne:
Somne bone & pueris, somne bone & senibus.
Ipse mihi tumidas satura bone somne mamillas,
Vbera Luciolo quò mea plena fluant.
Sentit Luciolus, dormitq;, & ridet, & optat,
Et mammas digitis prensitat usq; suis.
Euge puer, sitibunde puer, cape lassule somnos,
Mox tibi iam uigili lacteus amnis erit.

NAENIA VNDECIMA:
mater nugatur.

Excitus è somno meus est puer, huc age Lisa,
En age delicias accipe amata tuas.
Et sitit & ridet, dulceis & uertit ocellos
Ipse tibi: uultus aspice chara tuos.
His pro blanditijs teneras da Lisa papillas

Luciolo, amplexus quos parat ipse tibi.
An refugit mala Lisa, nihil mala Lisa ueretur.
Carpe puer plenos ubera læta sinus.
Suge ambas, summorde ambas, ne parce, papillas.
Vbera Luciolo stulta negare potes?
Scinde comas, contunde sinus, diffringe capillos.
Tú ne meas fugias improba serua manus?
Ah simulant ambo, simulate & perfide Luci,
Fallax Lisa, nouis insidiosa modis.
Ipsa tibi eripiam mammas, tibi subdola natum:
Subdola, quæ fugias: perfide, qui renuas.

NAENIA DVODECIMA:

Pater nato blanditur.

Pupe meus, pupille meus complectere matrem,
Inq; tuos propera pupule chare sinus.
Pupe bone, en cape chare tuas mi pupule mammas,
Pupule belle meus, bellule pupe meus.
Suge, canam tibi næniolam: ne nænia nónne
Nota tibi nate est nænia næniola?
Pupe meus, pupille meus, ne nænia nónne
Nate tibi nota est nænia næniola?
Belle meus, mellite meus, ne nænia nónne
Nota tibi nate est nænia næniola?
Somniculus tibi iam laßis obrepit ocellis,
Dum tibi nate placet nænia nota nimis.
Pupe meus, dormisce meus, næ nænia nostro
Da noctem nato nænia somniferam.

IOAN. IOVIANI PONTANI
de amore coniugali lib. III.

VENERATVR PELIGNOS,
& agrum Sulmonensem.



I'ne amnes, hæc'ne Aonijs loca grata puellis,
Pelignó ne hæc sunt rura habitata seni?
Hos'ne lacus, hæc'ne antra colit descriptor amorum?
Manibus hæc sacra sunt magne poëta tuis?
En nati dilecta Dryas fert rustica dona,
Fert myrtum, ac uiolæ lilia mista nigræ,
Fert hederam, fert ueris opes: quin ecce Corinna
Ipsa canit: uoces fluminis aura refert.
Erramus per prata, nec est quod lædat amantes. COR.
Et iuueni iuncta est usq; puella suo.
Pascimur amplexu tenero: fouet aura cubanteis.
Pennarum admotu quam leuis afflat amor.
Quod nemus, aut quænam umbra meos nunc seruat (amores?
Huc ades in molli Naso fouende sinu.
Ille refert: ô ante alias mihi chara puellas, OVID.
Ipsa ueni ad nitidos culta Corinna lacus.
Quà strepitat leue murmur aquæ, quà laurus in um- (bram
Se iacit: & densum texit opaca nemus,
Luxuriat quà mollis humus, te plurima myrtus,
Te manet irriguis floridus hortus aquis.

En assum tibi certus amans: uix ille, repente
Virgo mouet niueos ad loca nota pedes,
Ac nudata sinum, ceruici innexa pependit:
Ora, oculos, pectus, cordaq; iunxit amor.
Osculaq; & iunxit, suspiria & intima iunxit,
Mistus & ex uno spiritus ore coit.
Incaluit tunc umbra nouo succensa calore,
Mox gratum repetit altera & alter opus.
Ludite felices umbræ, quibus una uoluptas
Viuitur, atq; unus pectora iungit amor.
Nunc age quæ myrteta colis mihi consita Nymphe,
Quæq; tenes hortos Antiniana meos,
Pauca meæ, nam pauca seni Cytherea ministrat:
(Ipsa leget coniunx) tu modò pauca refer.
Extinctos in corde seni quis suscitat ignes?
Quæ noua sopitas nunc mouet aura faces?
Incendi nouus autor an est? suspiria coniunx
Hoc tua, & accensi pectoris aura facit.
Pectoris huc uenit aura tui: uetus inde resurgit
Et reparat uires ignis ab igne nouas.
Iam sæuit, iam flamma furit: suspiria coniunx
Mouit, & à nostra mutua flamma uiget.
Vrimur absentes, unoq; adolescimus igni,
Et uires uno fomite uterq; capit.
In somnis mihi nocte uenis, succenditur ignis:
Vexat nocturnus pectora adusta calor.
Ante oculos uersare die: tum subdita uenis,

Spirat

Spirat anhelanteis flamma diurna faces.
En uolitant, rutilantq; uagæ de corde fauillæ,
Et fax absumptis oßibus usta micat.
Iam serpit uenis, imas iam flamma medullas
Corripit, ac toto corpore lapsa furit.
Quisquis ades procul hinc, ne uos meus ustulet ignis.
Feruet, & accensos huc agit huc'q; globos.
Inq; faces, flammasq; abeo: iam uertor in ignem.
Vertimur: en iam iam nil nisi flamma sumus.

AD VXOREM.

Natalem Domini sine me, Ianiq; calendas,
Et sine me regum tempora tristis agis,
Tristis & in templis ad publica munera perstas,
Tristis & à templo quum petis ipsa domum.
Illic te absentis torquent monumenta mariti,
Ante tuos oculos quæ tibi multa iacent.
Illic desertusq; torus succurrit amanti,
Quæq; uacat uiduo sponda relicta loco.
Ingeminat tum corde dolor, crudescit & acre
Vulnus, & ipsa super lapsa dolore cadis.
Non soror, & geminæ longo molimine natæ,
Vix reuocat lacrymis qui tibi natus adest.
Iam coniunx, iam parce nouis Ariadna querelis:
Non te nunc primum contigit iste dolor.
A teneris eadem mira uirtute tulisti,
Matronæ & laudes ipsa puella refers.
Difficile est tolerare, tamen laus omnis in hoc est,

Et labor assuetis mollior esse solet.
O non sic alijs tua nota exempla puellis,
Seruandiq; tori facta magistra fores.
D igna quidem amplexuq; frui, thalamoq; mariti,
Gaudiaq; assueto continuare toro.
V irtutem sed dura probant: hinc fama pudicis,
Hinc meruit nomen Penelopea suum.
I n precio sunt rara: nihil uirtute sed ipsa
Rarius: hæc superis nos facit esse pares.
I am coniunx lætare: nihil nam mente pudica
Rarius, hæc superos in sua uota trahit.
S ed tibi nec monitore opus, officiumq; maritæ
Exigis, & per te munera matris obis.
Quum Domini natalis adest, lætare, tibiq;
Si non uis, natis optima parce tuis.
M anè simul geminis comitata operare puellis,
Et tibi placatos iusta precare deos.
S int nato, sint uota uiro rata: ponat iniquum
Mars odium, & redeat pacis alumna quies.
D i faciles: tu iusta petis: iamq; auguror ipsum
Annuere, & capitis signa dedisse Iouem.
O mine quo regressa Larem, fac splendeat aula
Munditijs: festos duc sine nube dies.
O mnia sint tibi læta domi: felicibus annus
Auspicijs peragat quod bene cœpit iter.
C ura sit & mensæ, quæ non aliena puellis,
Larga quidem, sed non luxuriosa tamen.

Mensa suos habeat lusus, & sæpe parentis,
Sæpe uiri nomen anxia uerba sonent.
Sit cura & patrij ritus, morisq; uetusti,
Qui statuit posito regna beata mero.
Quod felix faustumq;, fabæ sors regia cuia est?
Nate tua: ardenti subdite ligna foco.
Stet myrto, stet rore maris, lauroq; comatus
Ipse focus: calices, & noua uina date.
Funde puer, bonus annus eat: pax læta sequatur.
Eueniet: micuit sparsus in igne liquor.
Funde iterum: ter flamma coma crepitante reluxit.
Ter salijt uiuo laurus adusta foco.
Pax aderit, iam signa domum redeuntia cerno.
I puer, & ueteri uincula deme cado.
Quisquis ades, dic læta: dies hic nubila pellat.
Instauret positum sedula turba merum.
Absenti mihi Chia dato: date Cresia regi.
Inde bibat dubio tota corona pede.
Tu uero hunc mihi chara uiro præstabis honorem,
Tingat ut auratus mollia labra calix.
Et memor ipsa mei dicas: hæc oscula coniunx
Illa tua, hæc coniunx te properare iubent.
His addas etiam suspiria, teq; subinde
Admoneant reditus tempora certa mei.

EPITHALAMIVM IN NVptijs Aureliæ filiæ.

Huc ades ô Hymenæe, nec est quòd rura recuses,

Rura tuas primum festa tulere faces.
R ura nouos tibi prima iocos statuere, tuoq́;
Lutea puniceo uincla dedere pedi.
C ultaq́; solennem duxere ad compita pompam,
Omine cum fausto fœmina uirq́; canunt.
H ic primum læto sonuit noua tibia cantu,
Mouit & artifices compta puella pedes.
R ure arcum sibi fecit amor, strinxitq́; sagittas,
Accenditq́; nouas rure parante faces.
T um iuuenis primos sensit malè sanus amores,
Arsit ab insolita tacta puella face.
H inc iunxere pares communi fœdere dextras,
Affuit & tectis sæpe uocatus Hymen.
F lamea tum tibi prima deo sunt sumpta, decensq́;
Præluxit digitis aurea gemma tuis.
S edisti medius iuueni, mediusq́; puellæ,
Deliciasq́; toro, gaudiaq́; apta doces.
T um felix præsente deo torus esse iugalis,
Legitimam & thalamus cœpit habere fidem.
E rgo ades ô Hymenæe: uocant te rura, tibiq́;
Culta domus, cultus & tibi ridet ager.
I n foribus te culta manens Ariadna, decenteis
Et nectit flores, & noua serta parat.
D um nectit flores, illi per candida fulgent
Ora rosæ, Charites quas posuere genis.
S pirat & ex oculis noua gratia: flectere diuos
Dum cupit, hac risum temperat ipsa Venus.
Quin

Quinetiam canit: Ad mensas Hymenææ uenito: AR.
Te uocat ad thalamos nupta nouella suos.
Pulcher Hymē Hymenææ Hymē, Hymenææ uenito.
Te chorus, & cantus, te tua pompa manet.
Pulcher Hymē Hymenææ Hymē, Hymenææ uenito.
Tibia iam teneros fundit eburna modos.
Ocior ut uenias, en rustica fistula cantat,
Teq́; uocat numeris Antiniana nouis.
Irriguis sic hortus aquis, sic prata salictis, ANT.
Sic gaudent pratis ipsa salicta suis.
Lætantur sic melle faui, sic robora glande,
Lætus ut ad thalamos carmina pangit Hymen:
Pulcher Hymen Hymenæus Hymen, cui filia uatis
Se colit, & thalamos nupta pudica parat.
Qualis roscidulo florens Hyacinthus in horto,
Puniceo primæ certat amore rosæ,
Hunc Dryades coluere, hunc & coluere Napææ,
Naïs & aßidua fessa rigauit aqua.
Myrtus honos Veneris: myrto lætantur amantes:
Pendeat ad cultas myrtea uirga fores.
Laurus honos Phœbi, præfert & laurus amores,
Ornent & festam laurea serta domum.
Vitibus est decori pendens sub fronde racemus:
Arboribus decori quæ bene poma rubent.
Picta chlamys, Phrygiaq́; manu uariata supellex
Est decori thalamo, purpureusq́; torus.
Ipse rosa, Syrioq́; decens perflatus Amomo

Mille parat dominæ gaudia, mille uiro.
Felix delicijs, & felix lecte susurris:
Per te uir domina, nupta beata uiro est.
Pan iungit calamos, iungitq; Hymenæus amantes:
Pan amat, ad calamos dulce iocatur Hymen.
Pulcher Hymẽ Hymenæus Hymen, cui flamea curæ,
Et iuuenum lusus, & sine lite torus.
Lite fugatur amor: concordia nectit amorem.
Concordeis animos lectulus ipse facit.
Hunc amor, hunc pax ipsa locum statuere quieti,
Hunc legit, fidei uincula, castus Hymen,
Castus Hymẽ Hymenæus Hymẽ: age fistula Hymẽq;
Dic & Hymen: gaudet sæpe iteratus Hymen.
Vt flos æstiuo sitiens quum terra calore,
Nocturno refici lassus ab imbre cupit:
Non illum Zephyriq; ualent, auræq; recentes
Mulcere, aut densa nexilis umbra coma:
Sola illi est in rore salus, spes omnis in imbri:
Languet honos, cecidit languida sole coma:
Sic tacitos in corde fouens noua nupta calores,
Optato refici coniugis ore petit.
Non illam patris amplexus, non oscula matris,
Aut iuuat artifici purpura picta manu.
Suspirat tantum amplexus, tantum ora mariti,
Mœret, abestq; illi qui fuit antè decor.
Quam raptam matrisq; sinu colloq; parentis,
Coniugis ad chari limina ducit Hymen.

Mitis

Mitis Hymen Hymenæus Hymen, cui mollia curæ
Coniugia, & parili uincula nexa iugo.
Vt flos in uerno lætatus sole nitescit
Fulgidus, & gaudet purpura honore suo:
Manè tepor, sub solem auræ, ros noctis in umbra
Mulcet, & ipse suas iactat honestus opes:
In molli sic uirgo toro complexa maritum
Nuda nitet, charo ludit amata sinu:
Manè sopor, sub sole uiri suspiria mulcent,
Nocte iterata uenus, sæpe receptus Hymen,
Dulcis Hymē Hymenæus Hymē. Sed fulget olympo
Vesper: pone tuos fistula lassa modos.
Vesper adest, Hymenæus adest: consurgite mensis.
Vesper amat cantus, carmine gaudet Hymen.
Iam iuuenes simul ad choreas, simul ite puellæ
Et canite, & Phrygium carmina dicat ebur.
Vesper adest, gaudete uiri, gaudete puellæ,
Seq; paret socio nuptaq; uirq; toro.
Ad thalamos Hymenæus adest: iace uirgo pudorem.
Et uir adest, & adest qui bene iungat amor.
Prima Venus teneris legem præscripsit ocellis,
Quá ue palàm fiat, quá ue tegatur amor.
Primus Hymen blandis statuit sua iura labellis,
Diceret ut iuuenis, tu mihi uirgo places.
Ipsa uiro Venus è cælo, Venus ipsa, puellæ
Ludite, ait: florem carpite amoris, ait.
Ipse & inexpertos iungens Hymenæus amantes,

Institutiq; rudes, deliciasq; docet.
Sola Venus docuit decepta ut matre puella
Clàm cuperet iuueni cauta coire suo.
Solus Hymen iußit patrio lare nata relicto,
Iret ut ad iuuenem matre uetante suum.
Blanda Venus sine ueste monet dormire puellas,
Gaudiaq; instanti nulla negare uiro.
Blandus Hymen sine ueste iubet dormire maritas,
Et cupidum ad lusus sollicitare uirum.
A Venere est quodcunq; uiro, quodcunq; puellæ
Inter delicias & bona dulce uenit.
Quod tenerũ, quod dulce, ioci quodcunq; Hymenæus
Condit, & ore duas claudit in uno animas.
Sed numeros mutare licet: nam Vesper olympo
Conditur, & somnos imperat alma Venus.
Intrauit thalamos felix Hymenæus, & omen
Ipse dedit: lecto uirgoq; uirq; cubant.
Ducite felices concordi fœdere noctes,
Dulciaq; unanimi carpite poma manu.
Ver flores, segetes æstas, autumnus & uuas,
Delicias thalamus tempus in omne dabit.
Serpite in amplexu: certent pugnantia linguis
Oscula: blanditijs absit utrinq; modus.
Sic hederæ serpunt, sic iungunt rostra columbæ,
Murmuris & taciti ludit in ore sonus.
Aetatis breue uer: uos ueris carpite florem.
Hunc florem lusus deliciæq; decent.

Ludite,

Iudite, delicijsq; breuem complete iuuentam.
Hoc agite, ut cupidos prole iuuetis auos.
Nascatur Paulo similis, qui reddat utrunq;
Scitus auum, ingenij dexteritate puer.
Nam patrium nec Pierides, nec spreuit Apollo,
Et Mars ipse sua fouit, & auxit ope.
Maternum Musæ Aonio fouere sub antro,
Protexit galea Mars quoq; sæpe sua.
Nascatur quæ nata tuos Aurelia mores,
Et faciem referat, fœmineumq; decus.
Nanq; tibi, matriq; tuæ, nil æqua Minerua,
Nil Charites sociæ, nil negat ipse pudor.
Hinc illinc generis series: age ruris alumnæ,
Et nemorum dominæ, syluicolæq; deæ,
Mane nouo, nuptisq; nouis de flore recenti
Serta date, & calathis spargite ruris opes.
Ipsa fauos, & mella ferens, & lactis honores,
Dic Fescenninos Antiniana sales.

EPITHALAMIVM IN NVPTIIS
Eugeniæ filiæ.

Rura iterũ te Hymenæe uocant, q͂d in urbe moraris?
Te lyra, te thyasi, te tua pompa manet.
En iterum læta ad lusus; & gaudia nota,
En uocat ad teneros Antiniana sales.
En tibi formosæ texunt noua serta puellæ,
Et tibi non solita carmina uoce canunt.
Te molles uiolæ, te purpurei hyacinthi,

Te rosa, & Aßyrio sparsa liquore domus.
Nos te ad delicias cultæ inuitamus, & ipsi
Inuitant thalami, compositusq; torus.
Quid cessas Hymenæe? tibi sua basia quæq;,
Amplexusq; suos quæq; puella parat.
En tibi tractandas damus has sine labe papillas,
Sponsa quoq; ipsa tibi nuda uidenda uenit.
Cui roseis diffusa genis noua purpura fulget,
Ac niueum in reliquo corpore candet ebur.
Talem Helenen sociæ nudam uidere puellæ,
Quum lauat ad fonteis blanda Theranna tuos:
Talis & in uiridi uisa est requiescere prato,
Non dum experta uiri Laodomia torum.
Ipsa quiescebat, placidæ circum ora Napææ
Mulcebant somnos, flabra ciente manu.
Hæc digitos, illa est tenerum mirata labellum,
Fusus ut è niueo pectore candor eat.
Dumq; alia extremum femori subducit amictum,
Obstupuit raris conscia facta bonis.
Nec properas Hymenæe? nec est quòd rura reuisas?
Nec præfert sanctas Antiniana faces?
Nec teneras tibi blanditias, nec carmina bella
Ingeminat, nec Hymen ô Hymenæe Hymen?
Mollis Hymen Hymenæe Hymen Hymenæe uenito:
En propera ad lusus ô Hymenæe tuos.
Libat apis tenerum rorem, fluit Atticus ille
Inde liquor, dulci cerea mella fauo.

L ibat Hymen tenerum florem, inde & Acidalus ille
It liquor, in tepido munera grata toro.
E n te septenæ felix Hymenæe puellæ
Inuitant cupido munera ad ista sinu.
E n tibi Acidalium spondent ad munera florem.
Ipse leges, ipsi diffluet ille liquor.
I lla uides ut blanda oculis, utq; innuit ore,
Flameolum ut gestit læta uidere tuum?
I lla uides quos docta modos, quæ carmina cantet?
Offerat ut flores in tua dona suos?
H æc tibi purpureum stringit lasciua labellum,
Atq; ait, hunc rorem libo Hymenæe tibi.
H æc choreis te te in medijs suspirat, & ægro
Ventilat ipsa tuas corde Hymenæe faces.
H æc tibi lacteolas, atq; hæc, atq; illa papillas
Nudat, & has, inquit, nudo Hymenæe tibi.
H as & delicias, hæc oscula prima, nouosq;
Amplexus seruo, gaudia & illa tibi.
F auste ueni, formose ueni: tibi nupta parata est,
Quæq; sinu Veneres spiret, & ore Charin:
O re Charin, Veneresq; sinu: ast ubi eburnea lectum
Intrauit, spiret tum tibi ueris honor.
S tillet & ambrosiæ decus immortale, tibiq;
Et Charitum, & Veneris dona beata fluant.
E uge ueni, bone diue ueni, bone sancte uenito.
Euge uenit sanctus, diuus & ipse uenit.
N unc age culta quidem diuo sis obuia mater,

Et sanctum amplexu suscipe blanda suo.
S parge rosam, da serta deo, dic & bona uerba.
Oreq; cum fausto carmina fausta cane.
T u quoq; felices iam nacta Aurelia tædas,
Ad primos postes compta sororis ades.
H ic genium accipies, Genio sua munera fundes,
Quæq; Cypros mittit, quæq; Sabæus ager.
C asta quoq; ad thalamos dux ipsa Hymenæon ama-
Duc castum, casto qua cubat ore soror. (tos
F lameolum ut Genio nitet? atq; ut coccina uestis?
V t decet in molli socculus ipse pede?
Q uàm gemma in digitis ? ut sertũ in fronte uirescit?
Ridet ut ipsa domus, tecta ineunte deo?
P laudamus Genio sociæ, Geniumq; salutet
Cuncta domus, Genio plaudat & omnis ager.
D icite iò, domus omnis iò, ager omnis, & aër
Dicat iò, resonet longè Hymenæus ió.
F austus Hymen, formosus Hymen, felix Hymenæus,
Læta canant, felix & sine lite torus.
F elici cum prole genus, charumq; nepotem
Reddat auo, reddat pignora chara patri
E ugenia, & faciles ducat cum coniuge tædas,
Quiq; amor est iuuenum, sit quoq; & ipse senum.
N unc age felicis cultor non segnis agelli,
Cui sonat apposito fistula blanda sono.
D ic aliquid geniale deo, dic & bona nuptæ.
Nupta sono gaudet, carmine gaudet Hymen.

Ipse

I pse die solem ad rapidum quum torreor æstu AGRIcola.
Vxor adest, gelidas & mihi portat aquas.
Mox densas simul ad salices secedit uterq;:
Mecum amor, at lateri coniugis hæret Hymen.
Hic nos iungit amor: lusus Hymenæus amori
Monstrat, & ad partes hic uenit, hicq; suas.
Nocte quidem tenue ad lumen dum uellera pecto,
Torpet & hiberno frigore fessa manus,
Hanc uxor refouetq; sinu, reficitq; papillis.
Somnus adest, lateri coniugis hæret Hymen.
Hic nos iungit Hymen, lassos mox repit in artus
Somnus: init placidus pectora anhela sopor.
Muneris hoc Hymenæe tui est, age fistula blandum
Dic aliquid, quod rus, quodq; Hymenæus amet.
E ducit teneros fœtus, fouet anxia nidum,
Mitis auis, fesso comparat ore cibum.
Ast illi ut tenues plumæ increuere, relinquunt
Et nidum, & matris dulcia rostra suæ.
Ipsa suo natam in gremio fouet anxia mater,
Educitq; sinu, sedulaq; usq; colit.
Ast illa ut uiditq; uirum, sensitq; Hymenæum,
Linquit læta domum, matris & ora suæ.
Munus & hoc Hymenææ tuum est: tibi luce puella
Comitur, & formæ sedula quærit opem.
Nocte autem parat illecebras, parat oscula, dulcemq;
Amplexum, & lusus, deliciasq; parat.
Vt tener aprico crescens Hyacinthus in horto,

Ipse manu colitur, ipse rigatur aqua:
Illum auræ, tepidiq́; fouent sub sole calores,
Guttaq́; nocturno quæ uaga rore cadit:
At postquam culto nituit spectatus agello,
Ipse tener domini carpitur ungue sui:
Sic tenera in molli crescit quæ nata cubili,
Ipsa sinu matris, ipsa fouetur ope.
Hanc & munditiæ thalami, comptusq́; decentes,
Hanc iuuat artifici purpura texta manu.
Sed postquam incaluitq́; toro, cupijtq́; Hymenæos,
Hanc uir ab iniecta uendicat ipse manu.
Asserit & sibi iure suam, atq; Hymenæon ad aram
Clamat, iò munus hoc Hymenæe tuum est.
Munus & hoc Hymenæe tuũ est: age candida carmen
Nunc itera, atq; sales Antiniana tuos.
Te domini, te cura & agri, studiumq́; puellæ,
Te moueant thalami iura, & amicus Hymen.
ANT. Ne sæui generose, tua est sine lite puella:
Illa tibi placido est tota fouenda sinu.
Néue nega formosa uiro quod dulce rogarit.
Ipse quidem dulci dulcia mente petet.
Sit pax, sed sine lite tamen sint murmura: uterq;
Pacem amet, & pacis murmura uterq; sonet.
Ne pugna mihi chare: nihil pugnare necesse est:
Concedet blandis uicta puella iocis.
Néue uiro mihi chara tuo uestita repugna:
Vestis obest rixæ, rixa terenda ioco est.

Ludite

L udite: ſed medio in luſu pax ſæuiat, ut pax
Rixa ſit, ut rixæ pax eat ipſa comes.
I am ludunt, geminata ſonant iam murmura: poſtes
Claudite, adeſto tuis ſancte Hymenæe focis.
V os nuptæ quibus eſt coniunx ſuus ite, parate
Gaudia ueſtra uiris, & ſua dona toris.
V os quoq; uirgineus chorus, innuptæq; puellæ
Omina felici dicite fauſta die.
A tq; animo optatas iam iam præſumite tædas:
Nanq; ſua & uobis gaudia ſeruat Hymen.

FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD PETRVM Compatrem Neapolitanum, Tumulorum liber primus.


Actenus Idalios cantus, leue carmen in umbra
Luſimus ad thalamos blande Hymenæe tuos.
N unc age quis titulo dignus iuuenis'ue, ſenex'ue,
Seu mulier, ſeu uir, ſiue puella canam.
D umq; cano, interea flores lege, collige myrtos
Vranie, & multa ſparge ſepulchra roſa.
S parge & opes Chari blāda tuas, age et ipſa Patula

Sparge tuas: ſpargas Antimiana tuas.
E ſt ſuus et tumulis honor, eſt ſua cura ſepulchris.
Ipſa quidem accenſa teſtificanda face.
V rite odoratos ignes, redolentia dona,
Quæq; & Arabs mittit, quæq; Sabæus ager.
D um manes condo tumulis, tu caſte ſacerdos
Tange aram, & patrios rite precare deos.
N ec muto cineri non & bona uerba precesq;
Debentur, querulis uerba ſonanda modis.
V os quoq; pallentes umbræ ſolatia cantus
Hæc capite: & manes flebile carmen amant.
A t tu flebilibus numeris hæc adijce Petre
Compater, ut certa membra quiete leuent.
F loreat ut ſua cuiq; croco uenerabilis urna,
Frondeat ut uiridi myrtea ſylua coma.

TVMVLVS VRSI VRSINI, COmitis Nolæ, ac Ducis Aſculi.

N on artes tibi Romanæ, non gloria belli
Defuit, aut magno principe dignus honor:
N on fortuna domus, clariq; à ſtirpe parentes
Vrſe, nec antiqua nobilitate genus:
P ræſtans ingenio, præſtans & uiribus idem
Corporis, ingenij ſed grauitate prior.
I lluſtreis titulos dedit & tibi Nola, dedere
Oppida multa tuo recta ſub imperio.
D efuit ah tantum uitæ pars optima: nanq;
Mors properans medio tempore te rapuit.

Sed tibi uictrices Musæ statuere sepulchrum,
Ne mors ipsa tuas deleat exequias.

TVMVLVS ALFONSI DAVA-
li, Marchionis Piscariæ.

Arma manu tibi capta, & uicto ex hoste trophæa
Hæc tibi marmorea erunt, hæc tibi erunt tituli.
Hoc tibi Mars statuit, statuit Bellona sepulchrum
O Dauale, hæc cineri debita busta tuo.
His Alfonse iaces ornatus & obrutus armis.
Arma tibi tumuli: tela tibi tituli.

TVMVLVS IVLII PARMERII,
equitum præfecti.

Da tuba terribilem sonitum, tubicenq; canoro
Aere tona: hos tumulos clangor & arma decent.
Iulius hic situs est, strepitus iuuat, & iuuat ensis,
Clauaq;: Parmerium bellica parma iuuat.
Gaudet & his heros concentibus: en canit umbra
Ad numeros: placidos ducit & ipsa choros.
Nūc rursum tuba, nūc tubicen fera murmura rursum
Ingemina, ut cantu marmora pulsa sonent.
Hic honor ad tumulos, magnorum & saxa uirorum
Debetur, Martis sic stata castra iubent.
Pro patria hic cecidit: manes gaudete sub urna,
Gaude & Iulcis umbra ferox tumulis.
Pro patria occubuit pugnans, murisq; cruento
Dum stetit hostiles repulit ense manus.
Nos plausum simul ore damus, simul ære canoro,

Parmerio: hæc patrius munera poſcit amor.

TVMVLVS HYDRVNTINOrum ciuium. Colloquuntur Viator, Genius, & Sacerdos.

VI. In fronte eſt tumuli ſcriptum, Sacer eſt locus: intus
Tibia funereos deflet eburna modos.
GE. O reſauete omnes: manes ſua funera deflent,
Infleti ob patriam qui cecidere ſuam.
VI. Ingratos patriæ mores: ſparſere cruorem
Pro patria: patrius cur malè gratus amor?
GE. Oſſa ſolo quæ ſparſa iacent nunc colligit Hydruns,
Colligit & rigidis uiſcera paſſa rubis.
Parcite iam manes planctu, miſerandaq; ceſſent
Murmura: nam tumulis rite paratur honor.
Dic age, dic bona uerba ſenex, iam conde ſepulchro
Viſcera, & in tumulis oſſa repone ſacris.
SA. Oſſa ſubite pios loculos, & inite ſepulchrum,
Viſcera ſacratas rite ſubite domos.
Pro patria occubuiſtis adacto in pectora ferro.
Vos patria ipſa ſuis proſequitur ſtudijs.
Ite piæ ad ſuperos animæ poſtquam oſſa quierunt.
Oſſa quieta manent, ite piæ ad ſuperos.
Vobis parta quies cœlo: noua patria cœlum eſt.
Ite piæ ad ſuperos, en agite ite animæ.
Hoc poſita eſt tumulo pubes Hydruntia: cœlum
Eſt data cui proprijs patria pro meritis.

TVMVLVS HIPPOLYTAE MAriæ, ducissæ Calabriæ. Viator loquitur.

Hippolytam quisquis uideat miretur, ut illam
Ipse quidem credat Pallada uel Venerem.
Talis ea in tumulo est, illi sic prorsus ademit
Mors nihil, ut dicat Pallada seu Venerem.
Permanet & decor, atq; oris præstantia culti,
Huius ut atq; huius iam fluat ore melos.
Permanet & sua maiestas, popularis & auræ
Ille quidem uerè conciliator amor,
Vt simul & Venerem referatq; & Pallada, ut illi
Insit & hinc Pallas, insit & inde Venus.
Non hic Hippolyte iacet, at Pallasq; Venusq;.
At tumulus nec habet Pallada, nec Venerem.
Nec iacet Hippolyte tumulo: mihi parcite diuæ,
Pallas & Hippolyte cum Venere hic recubant.
Cum Venere Hippolyte recubat, cum Pallade & ipsa
Hippolyte, ut diuæ tres tumulo hoc iaceant.

TVMVLVS CICELLAE puellæ Surrentinæ.

Quò decor heu, quò gratus honos, quò tanta uenustas,
Quò nitor ille abijt culta Cicella tuus?
Omnia mors rapuit, quæq; & natura Venusq;
Contulerant, quæq; ars, heu breuis hora tulit.
In cineres heu uersa iaces: uix nomina seruant
Saxa tibi, longo pòst abolanda situ.
Seu tantum cinis es, seu nil, seu labilis umbra,

Siue es in ætherio forma recepta polo,
Has uiolas cape, supremos & thuris honores,
Fleta diu nuribus, flenda Cicella uiro.

TVMVLVS MYRTILAE PVELlæ. Amator ad sepulchrum queritur.

Hic soli mihi flere licet: tu laurus & unà
Myrtus ades, paucis & lapis iste notis.
Parue lapis, quem flore nouo, quem thure Sabæo,
Et ueneror multa tum prece, tum lacryma:
Tu mea, tu miseri tumulo male contegis isto
Gaudia, & exultas sæue dolore meo.
Redde meos mihi, redde meos, redde improbe amores.
Quî iuuat è lacrymis immaduisse meis?
Immadeas, maduisse iuuet, si non mea flendo
Lumina siccatas deficiunt lacrymas.
Sed lacrymas tibi habe, nec enim queror, accipe odores,
Accipe cum fletu munera mista suo.
Vnguenta, atq; rosam, & costum properate puellæ,
Et uiolam, & cunctas spargite ueris opes:
Spargite opes Arabum, lacrymas ego, tu lapis illas
Ebibe, & in rorem lumina abite nouum.
Rore nouo madeat tellus, quæ contegit ossa,
Ossa pios manes, numen & ossa meum.
At tu perpetua laurus quæ fronde uirescis,
Tu myrtus, de qua Myrtila nomen habet,
Fundite odoratos flores, syluamq; perennem
Ad tumulum, lacrymis crescite & usq; meis,

C rescite: iam in latices, liquidũ iam soluor in amnẽ,
Iam fluo, sed fluidum me tamen urit amor.

TVMVLVS VENERILLAE PVELlæ à Pontano adamatæ. Ipsa loquitur.

H os tumulos ne temne precor, ne temne uiator,
Sic tua contingant gaudia, si quid amas.
D a requiẽ & cineri: uirgo iacet: huic sua quondam
Regna ferus ceßit matre uolente puer.
S pirabat Veneres oculis, afflabat amores
Ore, sinu Charites, blanditiasq́; genis.
C ontulerat studium formæ nihil, & tamen illi
Sæpe comam finxit, pinxit & ora Venus.
C onsuluit speculum nunquam, Cytherea negarat,
Ne flammam è facie duceret ipsa sua.
R isisset: blandi paßim comitantur honores,
Ridebat fuso gratia & ipsa sinu.
H anc iuuenes arsere, senes cupiere, puellæ
Optauere marem: qui uidet ille perit.
P ersephone inuidit, uellitq́; à uertice crinem.
Illa cadit: cecidit forma decorq́; simul.
I pse amor, ipsa Venus misero incubuere pheretro.
Planxerunt Charites pectora nuda manu.
V t spolia, effigiemq́; uidet Plutonia coniunx,
Pœnitet, & specie uincitur inuidia.
F annia dicta fuit uati, Venerilla puellis.
Quisquis amas, tumulo serta rosamq́; dato.

TVMVLVS MVNDITIANAE PVELLAE.

Munditiana tibi funus peperere Hymenæi,
Ipse Hymen luctus, tædaq; & ipse fuit.
Te Maiæ primum nuptam uidere Calendæ,
Te postrema dies heu malè condit humi.
Mense malas olim Maio nupsisse puellas
Fama est, & Maias omen habere faces.
Munditiana tibi est Hymenq; & funera Maius;
Et Maius uiolas det tibi, detq; rosas.

TVMVLVS LEONTIS TOMACELLI. *Marinus frater ad sepulchrũ queritur.*

Quæ Phœbo, quæ nam Aonijs est cura puellis?
Phœbe uale, ualeant Aonidesq; tuæ.
O pereant herbæq; tuæ, succiq; ualentes,
Et pereant cantus, sit sine uoce lyra.
Ergo obijt Leon? ah tumulus tegit iste Leonta?
O rigeant lauri, syluaq; Phœbe tua.
Arescatq; Helicon, sitiat liquor Hippocrenes,
Nec tibi sint arcus, nec tibi Phœbe coma.
Clamabat puer infelix, Succurrite Musæ,
Ferte & aquas, ô me Castalis unda iuua.
Sed nec Castalides ueniunt ad uota uocatæ,
Nullus Castalio, nullus ab amne liquor.
Tabescit sensim frater: sua iura reliquit
Natura: O te, te frater amate sequor.
Quid frustra ad tumulũ quereris Tomacelle Leonta:

Nec tegi

Nec tegit hic tumulus, nec cinis est reliquus.

TVMVLVS FRANCISCI AELII.

Viator & Genius colloquuntur.

Quis iacet hoc tumulo? Nullus iacet: hunc sibi uiuus
Aelius, hanc statuit post sua fata domum.
Cur interq; herbas, interq; uirentia culta,
Quà nitet aurata Citria sylua coma?
Hanc illi syluam Musæ, hos statuere recessus,
Quò pòst umbra suo gaudeat in thalamo.
Quid quòd & Assyrij spirant de marmore odores?
Quid quòd & Assyrio nardus honore fragrat?
Illos Assyrijs Charites de collibus, hanc &
Detulit Assyria Gratia ab usq; plaga.
Hoc illi meritum Musæ post fata rependunt.
O scriptor Latia nobilitate lyra.

TVMVLVS FRANCISCI PVDERICI, ex nobilitate Neapolitana.

Quis sibi, quis tumulũ uiuus parat? an ne sepulchro,
Mortem dum metuit, dum cita fata, cauet?
Franciscus tumulum statuit Pudericus, & ipsis
Consulit exequijs, & sibi busta parat.
Nec mortem timet, aut mortis mala, sed quòd hono-
Deberi hunc cineri, funeribusq; putat. (rem
Nam mortem uitæ precium, finemq; laborum
Iudicat, & uitæ posterioris iter.
Sunt testes uitæ tumuli, finemq; fatentur
Esse quidem alterius, principium alterius.

Nunc urbem colit & Musas: post dona sepulchri
Elysiumq; colet, Pieriasq; domos.

TVMVLVS MARVLLI POEtæ. Pontanus ipse loquitur.

Hoc uacuum tibi Pierides statuere sepulchrum
Et Graia & Latia clare Marulle lyra.
Ipse etenim Aonia in sylua, atq; Heliconis in antris
Lætus agens, illic ocia grata teris.
Illic formosæ ludunt ad plectra puellæ,
Et tecum ad choreas carmina lecta canunt.
Et tibi responsant syluæ, Peneiaq; antra,
Plaudit & Ogygio roscida ripa lacu.
Nil præter nomen tumulo: per opaca uagaris
Culta, per Elysium docte Marulle nemus.
Hinc tibi se ad cantum adiungit formosa Corinna,
Cantat & ad calamos Delia culta tuos:
Illinc compositos exercet Cynthia saltus,
Exercet raros Lesbia blanda choros.
Nec Parca eripuit, Musæ rapuere Marullum,
Arnidi ne fieret grata rapina deæ.
Sis felix igitur Musis comes, & tua Musæ
Ambrosio foueant membra adamata sinu.

TVMVLVS MARINI TOMAcelli, ex nobilitate Neapolitana.

Dum timet hæredes nullos Tomacellus, & ipsis
Consulit exequijs, dum cauet ipse sibi,
Hunc tumulum sibi constituit, uiuusq; locauit,

Et dixit,

Et dixit, lapidi sint sua uerba meo.
Sit lapis hic, sit terra leuis, nullusq; Marinum
Non puer, aut iuuenis, nulla puella fleat.
Me sat sit multos uiuum fleuisse per annos.
O nollem cineri sic superesse meo.
Cesset honos, cessent tot munera publica, totq;
Regia: me ignauus condat inersq; sopor.
Quæ cœlo est pietas uocet ad se, si mea cœlum
Respexit pietas, si mea facta deum.

TVMVLVS IVLII POMPO-
nij, uiri literatißimi.

Pomponi tibi pro tumulo sit laurea sylua.
Ossa maris rores, myrteaq; umbra tegant.
Teq; tegant, artusq; tuos uiolæq;, rosæq;.
Ver habet, Zephyros spiret & ipse cinis.
Stillet & ipse cinis, quas & Parnasus, & antra
Thespia, & ipsa suas Ascra ministrat aquas.

TVMVLVS MARIANI HEREMI-
tæ. Viator cum admiratione loquitur.

Huic cineri deus ecquis adest? nam carmina Musæ
Lecta canunt, lectis assonat urna modis.
Ossa solo Mariane iacent tua: nobilis umbra
Læta fugit tumulos, læta petit superos.
Dicite iò, iam uictor iò Mariane, subisti
Aethera conspicuum, conspiciende dijs.
Ornatusq; caput lauro, plaudente senatu,
Intrasti sanctas sanctus & ipse domos.

A scitusq; choro diuûm, cœlestibus astas
Concilijs, summo perfruerisq; bono.
H æc Musæ ad tumulum referunt: cinis ipse ualeto,
Seruari auratis digne cinis loculis.

TVMVLVS GABRIELIS ALTILII,
Episcopi Policastren. ac Poëtæ doctißimi.

E t tibi dant tumulos Musæ, meritumq; sepulchrum,
Et tibi dat titulos quæ tibi culta Charis.
A ltili ô uenerande iaces hic? hac iacet urna
Pontificale decus? pontificalis honos?
E rgo agite ô Nymphæ Sebethides, ergo age uirgo
Parthenope, ad tumulum spargite ueris opes.
S parge tuos flores florum fœcunda Patulci,
Et tu sparge tuas Antiniana rosas.
A ltilio requiem dic ô Chari: dic age Clio,
Luceat Altilio lux sine fine meo.
Q uisquis adest pia uerba sonet, madeatq; sepulchrũ
De lacrymis, madeat Pieri rore tuo.

TVMVLVS THEODORI GAZAE,
nobilißimi Oratoris ac Philosophi.

S ume lyram, dic Musa modos, dum cõdimus umbrã,
Et puer, & coluit numina uestra senex.
I ndignus tellure, deos Theodore petisti,
Sera quidem, tamen est longa parata quies.
V irtute, ingenijq; bonis hoc ipse parasti,
Vt cœli aspiceres aurea tecta senex.
N os artus terra tegimus: tu caste sacerdos

Di

Dic requiem: æternum iam Theodore uale.

TVMVLVS ANTONII
Panhormitæ, Poëtæ nobilißimi.
Genius loquitur.

S iste hospes, fas est cantus audire dearum.
Grata mora est: Musæ nam loca sacra tenent.
A ntoni monumenta uides: hinc templa frequentant:
Ille fuit sacri maxima cura chori.
I llum sæpe suis medium statuêre choreis,
Duxit compositos arte decente choros.
S æpe lyram ceßit Clio, cessere sorores,
Concinuit teneros uoce manuq; sonos.
E xtinctum fleuitq; Aon, fleuitq; Aganippe.
Sebethus miseros egit in amne modos.
S irenes quoq; de scopulis miserabile carmen
Ingeminant: planctu littora pulsa sonant.
P ierides tristem ad tumulum fudere querelas,
Pierides paßis post sua terga comis.
H inc creuit desiderium, nec cura receßit
Vatis, at extincto uate remansit amor.
C onueniunt nunc ad tumulum, celebrantq; choreas,
Et memorant lusus magne Poëta tuos.
E n audis sonet ut lenis concentibus aura?
Vt sonet appulsu concita terra pedum?
H æc uati memores Musæ post fata rependunt:
Carminis hoc meritum est: num satis? hospes abi.

TVMVLVS AVRAE PVELLAE. Parentes ac soror ad sepulchrũ queruntur.

Tecum una mea nata mori materq; paterq;
Debuimus, tribus hæc ut domus una foret.
Nata patri, nata & matri, soror una sorori,
Dic ah dic miseris nata sororq; ubi nam es?
Has pater infelix lacrymas, miserandaq; mater,
Exoluit crines hos soror atra tibi.
Nata audi: pater hic genuit, dedit ubera mater:
Et tenera infelix preßit ad ora soror.
Non audis: nil dona mouent ingrata, nec usquam es.
Nec pietas, aut est ullus in orbe deus.
Terra tibi has lacrymas, miserorũ dona parentum,
Mobilis at uoces Aura sororis habe:
Aura, tenes quòd adhuc nomen miserabilis Auræ,
Terra, quòd heu cineres uiscera nostra tegis.

TVMVLVS ROBERTI VILlici. Poëta loquitur.

Terra senex tibi sit facilis, sint munera terræ
Grata tibi, & flores grata rependat humus.
Tu terram coluisti & terræ munera sollers.
Culta tibi & tellus, cultaq; debet humus.
Culta tibi & citrius debet Roberte: colenti
Et debet uitis, debet & uua tibi.
Et uitis det grata tibi, det & uua liquorem
Optatum, largo diffluat urna mero.

TVMVLVS LAVRINAE PVELLAE.

Ipsa è tumulo loquitur: Viator respondet.

Hæc laurus mihi dat titulos, famamq́; sepultæ,
Quæ quondam uiuæ nomina clara dedit.
Sub lauru Laurina tegor, mea uestit & ossa
Laurus, & ipsa meo uescitur è cinere.
Per me igitur uiuit laurus, Laurinaq́; uiuo
In lauru, & uitæ mutua cura sumus.
Ipsa eadem lauro materq́; & filia: laurus
Ipsa mihi est titulus, ipsa quoq; est tumulus.
Viuite frondenti pariter sub cortice iunctæ,
Ipsaq́; sis lauro filia sisq́; parens.

TVMVLVS PTOLEMAEI GALlinæ Catinensis, celebris Astrologi.

Digne senex cœlo, cœlum Ptolemææ petisti.
Pro Catina cœlum patria facta tua est.
Quasq́; olim stellas numeris, quæ sydera cursu,
Nunc metire oculis, fataq́; certa tenes.
Et tibi quæ series rerum, lexq́; ipsa futuri
Nota patet, summis perfruerisq́; bonis.
A puero mihi culte senex Gallina ualeto
Perpetuum, & Catinæ uiue perennis honos.

TVMVLVS LAVRENTII Miniati, nobilis Astrologi.

Quid numeras Miniate? nihil numerare necesse est,
Sydera sub pedibus qui modò cuncta uides.
Cuncta suos agere anfractus, seq́; ordine summo

Cogere, & errores rite subire suos.
Ne numera Miniate: quies tibi parta: quiete
Vtere, & humanis exue te studijs.
Ipsa quies deus est: deus est & uita bonumq;,
Vita bonumq; simul: utere utroq; simul.
Exutusq; hominum curis, rebusq; molestis
Laurenti æterno rite fruare bono.
Nos memores ueteris studii, socijq; laboris,
Hæc tibi pro sanctæ munere amicitiæ.

TVMVLVS FVSCAE MATRONÆ. Laudatur à castitate.

Centum Fusca procos habuit, nec casta cubile
Polluit, aut sancti iura uerenda tori.
Centum Fusca procos risit, coluitq; maritum.
O raram in longa posteritate fidem:
Hoc uirtutis opus, dura inter & aspera sese
Erigere, & forteis exeruisse manus.
Viuit Fusca igitur celebris post fata, fidemq;
Testantur nullo marmora uicta situ.

TVMVLVS FVLCI FERRARIENSIS, Musici maximè celebris.

Bistonis an'ne senis sonat hic lyra? Bistonis an'ne
Quæ traxit syluas horridaq; antra chelys?
At neq; Bistonij senis est lyra, sed lyra Fulci,
Quæ mulsit iuuenum pectora, quæq; senum.
Assonuit cui Peneo persæpe relicto
Delius, & carmen flebile iunxit amans.

Assonuit cui Cylleni testudo, & amantum
Defleuit curas, fleuit & ipse suas.
Nec nunc muta silet Fulci lyra, Fulcus & ipse
Non silet: at Stygias carmine mulcet aquas.
Dum sonat, Elysiæ ludunt ad plectra puellæ:
Dum canit, ad numeros quæq; puella canit.
Nec sentit Tityus rostrum, nec uulturis ungues,
Nec ferus ad portas Cerberus ipse latrat.
Dum uixit Fulco regum plausere theatra,
Nunc plaudit Stygij flebilis aula dei.
Viue igitur plausus inter choreasq; silentum,
Aeternum & ualeas, perpetuumq; cane.

TVMVLVS ERRICI PVDERICI, Equitis Neapolitani.

Quid satis huic hospes cineri feliciter optes,
Cui fuit ex omni parte probata fides?
Cognatis patriæq; bonus: uir commodus agris,
Vtilis & bellis, parq; domi atq; foris.
Detractum Errico nihil est sub iudice morum,
Quo merito iactat se Puderica domus.
Dic igitur pia uerba: simul cum thure sacerdos
Da nardum: huic tumulo dicere non sat Aue est.

TVMVLVS FORTVNATI.
Ipse in tumulo loquitur.

Non amplæ mihi diuitiæ, non regna fuere,
Sed modicus census, sed sine labe toga.
Nec mihi regales epulæ, sed uictus honestus,

Mensáq; communis, resq; modesta domi.
C ultus ager, sine lite domus, sine sorde supellex
Parca quidem coniunx, sed sine prole fuit.
H inc fortunato nomen fecere, quòd essem
Contentus modicis, simplicibusq; bonis.
S orte sua lætus quisquis fuit, ille beati
Fert nomen: felix, nomen inane puto.

TVMVLVS ANGELI GENTI-
cori, iuuenis bene eruditi.

N ec Musis non charus eras: tibi carmina Musæ
Aoniæ & dederant fila mouere lyræ,
E t dederant linguæ cultum, & præcepta loquendi
Genticore, atq; artes posse docere bonas:
N ec tibi non aderant Charites, non fautor Apollo
Angele, eras docti pars uel honesta chori.
S ed tibi nil Musæ comites, nil fautor Apollo
Profuit, aut Charitum quæ tibi iuncta cohors.
O mnia mors superat: fatum secum omnia claudit:
Non tamen hoc nostras finit amicitias.

TVMVLVS IAOMOTI, FORTISSI
mi iuuenis ac formosissimi.

D um ruit incautus stratum Iaomotus in hostem
Occubat, & uicti uictor ab ense cadit.
E xtinctum fleuere duces, tristesq; manipli,
Castráq; magnanimi funere mœsta uiri.
I ndulsit iuueni lacrymas rex mitis, & illum
Ornauit mœstis funeris exequijs.

Mouit amans fletum uirgo, mouere puellæ,
Forma quidem lacrymis digna erat illa nouis.
Elatus misero est urbis mœrore: tulitq;
Hanc laudem, quòd non liquerit ipse patrem.

TVMVLVS PERINELLI
Musici insignis.

Plectra iacēt sine honore, lyræ sine honore sepultæ,
Et citharæ, & cantus, & sine honore tuba,
Sibilaq; arboribus desunt, & murmura riuis
Destituit tacitas ipse susurrus apes.
Sola auium ueteres seruat Philomela querelas,
Sola & hirundo nouos suscitat ore modos.
Hæ Perinelle obitum luctu testantur, at illa
Sordent, & nimio muta dolore tacent.
Sume lyrā in tumulo Perinelle, & plectra moueto,
Iam lyra, iam citharæ, iam tuba & ipsa canet.
Sibilaq; arboribus strepitent, & murmura riuis,
Iuuerit atq; alacres ipse susurrus apes.
Quo tumulo Perinelle iaces, tecum iacet omnis
Et sonus, & cantus: auraq;, uoxq; silet.

TVMVLVS IVNII
Iuniani Maij.

Et myrtus tumulo satis est sola, & satis ipsa
Laurus: at hunc tumulum uestit utrunq; nemus.
Quem Charites persæpe, nouem persæpe sorores
Inuisunt, tumulus nec sine honore suo est.
Hæ choreas agitant, Iuniq; ad marmora Musæ

Dulce canunt: numeris frondea sylua fauet.
Laetantur lauri, myrtus laetatur & omnis,
Ac Maij felix nomine ridet humus.
Hic uates requiem ducit: feliciter umbra
Dormiat, & cineri sit sopor usq; pio.

TVMVLVS GREGORII TYPHERnatis. Pontanus tumulum salutat.

Gregorio sit terra leuis, uer aßit & urnae.
Terra ferat flores, urna liquore fluat.
Plaudat & huic Latium tumulo, plaudatq; iuuentus
Itala, Gregorio & Vmbria plaude tuo.

TVMVLVS FRANCISCI HIAchini, Grammatici non ignobilis.

Non tibi certa domus fuerat, non culta supellex,
Mensaq;, uix tenuis docte Hiachine focus.
Hoc ex morte tibi lucri est, quòd nulla supellex,
Non focus ipse opus est, quòd tibi certa domus.

TVMVLVS MASVTII SALERNItani, fabellarum scriptoris egregij.

Hic quoq; fabellas lusit, tinxitq; lepôre,
Condijt ornatis & sua dicta iocis.
Nobilis ingenio, natu quoq; nobilis, idem
Et doctis placuit, principibusq; uiris.
Masutius nomen, patria est generosa Salernum;
Haec simul & uitam praebuit, & rapuit.

TVMV-

TVMVLVS AVRELII INFANTVLI. Mater ad sepulchrum queritur.

Has tibi pro mammis lacrymas, proq; ubere fletum
Nate cape: has lacrymas ubera nostra puta.
Quiq; tibi ad cunas cantus, quæ nænia quondam,
Hi tibi nunc questus, hic tibi sit gemitus.
Has bibe nunc lacrymas, hæc hæc nunc ubera sume:
Næniolæ & lusus, nostra querela tibi est.
Quosq; dedi flores, & quas de flore corollas,
Hi tibi sint crines, hæc tibi fusa coma.
Aureli tibi sit tellus leuis, ac breuis urna,
Afflet & usq; crocos, spiret & usq; rosas.

TVMVLVS PHIELLAE MATRONAE pauperculæ, tamen pudicißimæ.

Auratis digna es oculis formosa Phiella.
Heu te condit humus, uilis & herba tegit.
Heu heu nec mater, nec te tua pignora deflent.
Nulla tibi est mater, pignora nulla tibi.
Non frater, non cognato de sanguine quisquam,
Non pater ipse, aut quæ lac tibi mamma dedit.
Vos fusi deflete, coli deflete Phiellam,
Flete & eam lanæ, flete & eam calathi.
Flete & acus, & fila fleant, & lina Phiellam,
Telaq;: uix tumulo casta puella iaces.
Casta puella lates tumulo uix: uix tibi cespes
Dat tumulum, uix te terra inarata tegit.
Quæ tamen herba tegit, nullos hæc sentiat æstus,

Frigora nulla: tuo floreat usq; solo.

TVMVLVS MASSILAE VERNVLAE.

Vrna ipsa loquitur.

Vrna loquor: cinis est infans: infantula mecum est.
Vernula nata domi, nata gemella patri.
Hanc mater mihi commendat post funera, & inquit:
Ipsa tibi hanc peperi, nata futura tua est.
Hanc alui in tenebris: nutrix nox: ubera suxit
Noctis, & infanti lac fuit ipse sopor.
Nec fatur, uerum somno testata perenni,
Quàm nasci, satius uos docet esse mori.
Hanc nullæ torquent curæ, non matris in ore est,
Non lana in digitis comminuenda datur.
Continuas ducit noctes: lux nulla, nec ulli
Sunt uitæ sensus: munera nulla premunt.
Dumq; hæc ipsa loquor, secura infantula dormit.
Illam perpetuo somnus ab imbre rigat.
Nomen erat quod fecit herus Maßila. Camœnæ
Ornarunt domini pro pietate locum.
Hîc dormit Maßila: sopor lac, ubera præbet
Nox ipsa, at cunas & tenebræ, & loculi.

TVMVLVS ROSAE PVELLAE.

ante diem mortuæ.

Non nomen tibi, quin omen fecere parentes,
Dixerunt quum te bella puella Rosam.
Vtq; rosa breuius nil est, æqué ue caducum,
Sic cito, sic breuiter & tua forma perit.

Implesti

I mplesti denos uix nam formosa decembres.
Vere Rosa heu nata es, mense decembre cadis.
N on æstus, sed te rapuerunt frigora brumæ;
Non æstas, sed te frigida soluit hyems.
E rgo non hyemi flores, non rapta per imbrem.
Frondescis, tumulo sed malè Rosa rosa es.

TVMVLVS PARTHENIAE VIRGInis, & faculæ Veneris in eo ardentis.
Viator & Genius colloquuntur.

Quis rogo, quis titulus? fax num tabescit in urna?
Fax cuia est? Veneris. Vrnula? Parthenies.
P arthenie faculam Veneri dum surripit, urnæ
Abdit: & hanc, inquit, ignibus ure tuis.
T abuit ipsa suis fax ignibus intus abesa.
Hinc tumulus titulum uirginitatis habet.
P arthenie iacet hîc: Veneris fax hîc quoq; tabet.
Parthenie tituli ius habet & tumuli.

TVMVLVS ROSCIAE PVELLAE.
Ipsa è tumulo loquitur.

R os mihi dat titulum, nomenq; est Roscia nostrum.
Ros breuis est, breuis heu sic mihi uita fuit.
R ore madet tumulus, stillant & marmora rorem.
Roscia sum, me ros, roscida & unda rigat.
S ed nec apes tumulo, uerum insedere cicadæ,
Stridulaq; ad cineres hei mihi turba crepat.
B ruma mihi requies, æstas est pœna sepultæ.
Bruma quies, æstas est mihi supplicium.

TVMVLVS STELLAE FERRARIENsis. Pontanus ipse loquitur.

Sit uati fas Pierides, quæ lucida fulget
  Stella polo, hanc proprio condere sub tumulo.
Stella tibi tumulus cœlum est: hæc te tegit urna.
  Teq; per & tumulus, te per & urna nitet.
Stella nites urna, radios tibi & urna ministrat,
  Præbet & hos tumulus, & tumulo ipsa nites.
At nec Stella iacet tumulo, sed splendet in urna,
  Splendet & in tumulo, nam polus est tumulus.

TVMVLVS CANDIDAE VIRGINIS. Ipsa loquitur.

Nec me marmor habet, nec me tegit urna sepultam.
  In niueus abij candida uersa rosas.
Forte interq; rosas, interq; ligustra quieram,
  Aura fouet flatu, mater at ipsa sinu.
Pallida quum cœlo nubes delapsa repente
  Me rapit, inq; auras dißipor ipsa leues.
Dum natam mater gremio, dum quærit in ulnis,
  Pro nata niueas repperit ecce rosas.
Ne mihi, ne lacrymas quisquam, ne munera donet
  Ad tumulos: horti sunt mihi nam tumuli.
O felix cui uere rosæ, atq; æstate sepulchrum
  Sunt auræ: hinc flores fundis, & hinc Zephyros.

TVMVLVS VIRIDELLAE PVELLAE. Ipsa met dolens loquitur.

In lapide est titulus Viridella, sed ipsa sepulchro

Deuiru

Deuirui: heu tumulus nomina falsa gerit.
Tabuit in cineres Viridella, colorq́; decorq́;
Nullus adest: heu quid nomina uana iuuant?
Quin potius Cinerilla legar, Cinerilla sepulchro
Inscribar, periјt nam uiror atq; uigor.
Nec titulo est Viridella, nec est Viridella sepulchro
Nomen, forma, uigor, deniq; nil superest.

TVMVLVS SYLVAE PVELLAE, *ruina ripæ oppressæ.*

Me tellus grauat ingenti diuulsa ruina.
Pro tumulo mons est, quàm grauis heu tumulus?
Incubuit tumulo rupes: hæc ipsa sepulchrum
Hausta facit, miseros heu mihi quàm tumulos?
Increuit tumulo frondenti uertice sylua,
Sylua mihi est tumulus: hei mihi qui tumulus?
Qui mihi sit titulus, quæ nomina sylua docebit:
Sylua mihi titulus, Syluaq́; nomen erat.

TVMVLVS PRVINAE PVELLAE. *Ipsa loquitur.*

Nec mihi tristis hyems nocuit, nec sæuior æstas,
Non terræ, aut tumidi uis inimica maris.
Tabida uis rapuit, rapuit uiolentia febris.
Delicui, ut rapido sole pruina liquet.
Heu nomen fatale, perinde ut sole pruina,
Sic ego pallenti tabe liquens periј.

TVMVLVS SVLPITIANAE PVELlæ. Viator & Vmbra colloquuntur.

Dicite custodes umbræ, quæ tanta sepulchri
Cura est? sollicitas cur'ue smaragdus habet?
Parce hospes uocitare umbras. Amathusides ipsæ
Dicimur, & Veneri turba dicata sumus.
Hîc Nymphis defleta diu, plorata Camœnis,
Clamata & Veneri Sulpitiana iacet.
Desterunt Nymphæ formam, gestusq; Camœnæ
Plorarunt teneros, compositumq; decus.
Clamauit Cytherea oculos, oculisq; pudorem
Suffusum, & ueneres per labra, perq; genas.
In frondem Nymphæ formã, in floremq; Camœnæ
Rarum uerterunt, & sine labe decus.
Inclusit Cytherea oculos, sepsitq; smaragdo,
Cumq; his & ueneres, deliciasq; suas.
Mox statuit nos custodes: hinc cura sepulchri
Tanta est, sollicitas inde smaragdus habet.
Ferte piæ dona hæc Amathusides, hæcq; smaragdo
Serta date: æternos spiret & urna crocos.

TVMVLVS EVMOLPAE SERVAE.
Viator & Genius colloquuntur.

Hos loculos, hos & tumulos, hæc iura sepulchri
Ecquis habet Lemurum? num Genius quis habet?
Ipsa fides habet, & casti reuerentia lecti:
Hic atq; hic Genius mutua iura tenet.
Sic requies huic sit tumulo, quænam umbra quiescit?

In loculis? cineres cuius & urna tegit?
S armatis hic Eumolpa iacet, quæ nupta marito
Eripitur, Siculo captaq; seruit hero.
C uius dum fugit amplexus, renuitq; cubile,
Præceps de summa se iacit ausa domo.
L abentem simul excipimus, positamq; pheretro
Condimus, & castis assumus hinc loculis.
H os Eumolpa tibi flores, hæc serta dicamus:
Famaq; sit cineri semper amica tuo.
V os quoq; felices Genij celebrate iacentem,
Et facti memorem reddite notitiam.

DRYASTIDIS NYMPHAE QVErela à rusticis cæsæ. Viator loquitur.

Q uænam illa est igni è medio flammisq; querela?
Qui gemitus? miseræ uirginis an'ne sonus?
V irginis ah miseræ uox illa est: sic tibi uirgo
Sit requies, gemitus causa nec ulla tui.
D ic age quænam ipsa es, tantæ quæ causa querelæ?
Cur tantus medio surgit ab igne dolor?
R ustica sum nemoris generosi Nympha Dryastis,
Felix glande, ferax umbræ, & opaca comis.
I nter Hamadryadas regnabam prima sorores,
Primus honor mensæ, gloria prima chori.
I nuidiæ fuimus: Fauni mea regna bicornes
Inuadunt, Fauni prodigiosa cohors.
A grestumq; manus armant: mea cæditur ilex,
Atq; acer, atq; abies, deniq; cædor ego.

Immittuntq́; ignes; uror uenerabile numen.
Dum loquor, heu miseræ uiscera adusta crepant.
Et ferro mecum, sæuis mecum ignibus actum est.
Hinc lacrymæ & gemitus, inde querela uenit.
Qui Crœsi extinxit flammas uiolentior imber,
Ille idem extinguat mœsta Dryasti tuas.
Et tibi succurrant Hyades pluuialibus astris,
Nimbosusq́; suas funditet Auster aquas.

TVMVLVS IESELMINAE PVELLAE, in florem uersæ. Genius loquitur.

Parce hospes uiolis, manes nec læde sepultos,
Si nescis, flores hi quoq; numen habent.
Qui uiolæ nunc sunt, fuit olim culta puella,
Vota parum felix soluere quæ nequijt.
Vouerat amplexus primos, atq; oscula prima,
Et primos flores hæc Hymenæe tibi.
Non passa est Lachesis: miseri posuere parentes
In tumulo, & mœstis thura dedere focis.
Certarant quæq́; ora rosis, quæq́; oscula gemmis,
Atq; oculi, per quos bella parabat Amor.
Tabuerant (immane nefas) tenuesq́; papillæ:
Scilicet optasset quas Cytherea sibi.
Tum memor ipse sibi notos Hymenæus amores
Transtulit in florem corpora uersa nouum.
Pro cute subriguit cortex, proq́; ossibus hæsit
Stipes, & è fibris fibra renata sua est.
Plurima quæ fuerat Nymphæ coma, plurima mansit

Et densum folijs præbet opaca nemus.
S parsus & in toto fuerat qui corpore candor,
Nunc multo niuei floris honore nitet.
M ansit odor, mansitq; alio sub corpore nomen.
Hoc uoti precium dia puella tulit.
I eselmina fuit nomen: flos dictus ab illo est:
Quisquis amas, tumulo parce, nemusq; cole.

IOAN. IOVIANI PONTANI ad Petrum Compatrem Neapolitanum, Tumulorum lib. II.


Pargite aquam, date thura focis, lugubria ad aras
Verba sonēt, miseris uerba ferēda modis.
T ristior & Lemures cantus iuuat, & iuuat ipsa
Nænia, funereis emodulata sonis.
P ax uobis tenues umbræ, requiesq; sepultis.
Sit dolor & nullus, nullaq; cura sitis.
P erpetuæ sint & noctes, somniq; perennes.
O felix, sopor hic cui uenit ante diem.
A eternum dormite umbræ, æternumq; silete.
Sit sopor æternus, perpetuumq; uale.
T u uero cape & hæc obitus solatia Petre
Compater, à tenebris obsite Cimmerijs.
Quòd tibi non opus est medico, non auspice nummo,
Quodq; opera diues nullius ipse egeas.

Aeternum sine me, & mecum pòst ipse ualeto
Compater antiquis annumerande uiris.

TVMVLVS LVCIAE PONTANAE filiæ. Pontanus pater ad sepulchrū queritur.

Liquisti patrem in tenebris mea Lucia, postquam
E luce in tenebras filia rapta mihi es.
Sed neq; tu in tenebras rapta es: quin ipsa tenebras
Liquisti, & medio lucida sole micas.
Cœlo te natam aspicio: num nata parentem
Aspicis? an fingit hæc sibi uana pater?
Solamen mortis miseræ, te nata sepulchrum
Hoc tegit: haud cineri sensus inesse potest.
Si qua tamen de te superat pars, nata fatere
Felicem, quòd te prima iuuenta rapit.
At nos in tenebris uitam luctuq; trahemus.
Hoc precium patri filia, quòd genui.

ARIADNA MATER QVERITVR ad Luciæ filiæ tumulum.

Nata cape hos calathos, depexæ & munera lanæ,
Cum lana & calathis accipe & has lacrymas.
Nata & acus, & fila cape, & cape linea texta,
Cumq; his atq; illis accipe et has lacrymas.
Nata colum fusumq; cape, & simul indita lina,
Cumq; colo & fusis accipe & has lacrymas.
Nata cape has & bracteolas, hæc aurea dona,
Cumq; his atq; illis accipe & has lacrymas.
Accipe & hos crines, atq; hæc tibi munera grata,
Flabellum

Flabellum, & tenues accipe forficulas.
Accipe & hos crines, cũq; his & scrinia, & aureos
Accipe uerticulos, accipe gemmeolos.
Accipe & hos crines, cumq; his bombycina texta,
Et zonam, & pictum hoc accipe reticulum.
Accipe nata meos crines, lacrymasq;, meosq;
Expecta & cineres Lucia, & inferias.

TVMVLVS VIOLANTHIS PVELLæ. Viator ac Genius colloquuntur.

Quænam hîc uirgo iacet? Cuius de funere mœrens
Fregit Amor pharetram, dissecuitq; genas.
Quis comes in tumulo est? Lusus, ueneresq;, iociq;.
Quis tam demisso qui madet ore? Decor.
Quod nomen? Violanthis. Origo nominis unde est?
Surgebant uiolæ fixit ubi illa pedem.
Immanẽ Lachesin: qđ nũc rapis heu breuis est flos,
Quem neq; ros posthac, lympha nec ulla riget.

TVMVLVS ELISIAE AGNESIAE. Ariadna filia exequias soluit.

Quæ potui lacrymans persolui funera mater,
Et tibi quæ nollem filia dona dedi.
Nam tecum quamuis primo cum flore iuuentæ,
Optarim cineres contumulasse tuas.
Sed uetuere deæ, naturaq; sæuior illis,
Et proprio quòd non ense iacere licet.
Hæc Ariadna tibi soluit cum coniuge grato,
Aeternum ac felix mater Elisa uale.

TVMVLVS LEONARDAE PONtanæ, auiæ maternæ. Viator, ac Genius colloquuntur.

Di manes saluete: an quas hic conditis umbras?
Salue hospes: sanctam condimus hic animam.
Quis titulus? Leonarda iacet Pontana sepulchro,
Post centum ac denas conditur hic segetes.
Custodes quis uos statuit? Probitasq; pudorq;.
Constituit tumulos an dea? Constituit.
Relligio tumulos statuit: iuuere puellæ
Pierides, quoniam cura nepotis erat.
Tu requiem cineri optato, sic fata quiescant
Et tua. Vis'ne aliud? Iamq; ualete, abeo.

TVMVLVS NELLAE MATERteræ. Pontanus loquitur.

Nec patria profugus puer, exutusq; bonorum
Nella tibi aut tumulos, aut pia iusta dedi.
Nec pro blanditijs lacrymas, pro munere uitæ,
Mortis dona tuo persolui cineri.
Nella uel affectus matris, uel munus obibas,
Nella mihi nutrix, Nellaq; mater eras.
Nunc procul à patria senior iam, dona pheretri,
Et iusta, & cineri debita persoluo.
Aeternum mihi Nella uale, ac requiesce sepulchro,
Et ualeant cineres, & mihi mater aue.

TVMVLVS CAECILIAE AVIAE paternæ. Pontanus loquitur.

P ax umbræ, requiesq́; urnæ quæ contegit umbram,
Thura adolete, sacri spargite fontis aquam.
S alue auia, æternumq́; uale: cape grata nepotis
Munera, nec lacrymas sperne, nec inferias.
C æcilia & tibi sit tellus leuis, & fluat urna
Ambrosia, ambrosius stillet & usq; liquor.
E t tibi perpetuum spiret uer, seruet & urnam
Quam tu seruasti cum pietate fides.

TVMVLVS TVRPILIAE PVELLAE.

C asta fuit, formosa fuit, comisq́; puella,
Turpiliæ uerum nomina iniqua tulit.
M oribus ornauit nomen, raroq́; pudore,
Quum fuerit thalami candor honosq́; tori.

TVMVLVS CORVINAE, MOROSÆ foeminæ.

H ic posita est Coruina, suo attumulata marito,
In tumulo & thalamo litigiosa cohors.
A n'ne cohors, ubi uir iaceat cum coniuge solus?
Ille suæ consors coniugis, illa sui?
D um clamat, dumq́; inclamant, dum stridet uterq;,
Hic boat, illa ululat, fit tibi plena cohors.
I am strepitant: irata cohors iam currit ad arma.
Clamor ad astra uolat, telaq́; trunca sonant.
N on litem, sed bella putes: iam fragmina tundunt
Marmora, iam tumulo saxa rotata crepant.

Heu clamat Coruina, gemit percussus Homaster,
Pæona de stygijs ite ciete uadis.
Sed nec Pæone opus: docti sua uulnera curent.
Vos fomenta pijs fundite pro lacrymis.

TVMVLVS CERBERI, HOMI minis furacißimi.

Cerberus hîc situs est: latrat sed ad hostia nullus
Scilicet indicio ne sit id ipse timet.
Fur erat, & furtis uitam ducebat: at illum
Deuorat in tenebris improba turba canum.
Vmbra petit manes, quam Cerberus ore trifauci
Deuorat, haud stygias passus inire domos.
Furibus hæc pœna est: furti reus hostia Ditis
Non intret, rabido præda sit ille cani.

TVMVLVS MIELLAE PVELLAE in adulterio occisæ.

Heu q̃d amor, malè castus amor, q̃d crimina poßint:
Ipsa manu doceo cæsa Miella uiri.
Hærebam misera in gremio malè saucia amantis,
Et mea languentis presserat ora sopor:
Irrumpit gladio coniunx: heu uicta sopore
Vix sensi armatas in mea fata manus.
Eiectam furtim, exequijs, bustoq; carentem,
Tristis in ignota condidit hospes humo.
Tabueram, intestata diu nec crimina passus
Hymen, immundas excit in ossa sues.
Eruor infelix, populi nota, dedecus urbis,

Meq́; trahunt rabidæ per loca tetra feræ.
Quæq́; Miella fui, nomen ſum nacta Suillæ.
Diſce puella tuo caſta manere toro.

TVMVLVS HOMINIS MENDICI.

Nulla mihi uiuo domus, at nunc certa ſepulto eſt,
Vitaq́; paupertas, mors mihi diuitiæ.
Vita mihi exilium, requies at certa ſepulchrum:
Nudus eram uiuus, mortuus ipſe tegor.

TVMVLVS VIOLINAE PVELlæ. Ipſa puella loquitur.

Prata mihi tumulum præbent, uiolæq́; ſepulchrum
Fronde tegunt: mirum ſi Violina uocer?
Non mihi thure opus eſt, aut nardo, aut Arabe myrrha,
Myrrha mihi, et nardus, thuraq́; ſunt uiolæ.

TVMVLVS VRBANAE PVELLAE malè ſepultæ. Ipſa queritur.

Rure quidem iaceo, quum ſit mihi nomen ab urbe:
Nec titulus, nec ſunt nomina uera mihi.
Pœna mihi eſt tumulus: pœna eſt rurale ſepulchrū,
Quæq́; quies alijs, eſt mihi ſupplicium.
Pro uiola porrum, pro thure, atq; Arabe coſto
Cepa datur, cepis obſita ſemper humus.
Meq; ſues, meq́; & uerres, uexantq; capellæ,
Inquinat & tumulos ingluuioſus anas.
In primis me turbat anus, quæ carmine longo
Euocat & manes, euocat atq; erebum.

Vos aliò cineres, aliò traducite nostros,
Quæq; Vrbana fui, rustica ne iaceam.

TVMVLVS SCANDEREBAEI, hominis bibacißimi.

Funde urnam ad tumulos, funde & uinalia testa:
Ebrius hic nunquam, sobrius hic neutiquam.
Ebrius hic semper, semper quoq; sobrius idem.
Dic mihi quis nam hic sit? Scanderebæus erat.

TVMVLVS TRIVM GRAMMATIcorum. Pontanus ipse loquitur.

Paschalis iacet hîc, docuit qui grammata, meq;
Instituit puerum nescius insciolum.
Melcior huic succeßit ineptus, & inde Cataldus.
Treis hos uix unus ferre potest tumulus.
Ille ualet pugnis: ast alter robore luctæ,
Hic clamore grues uicerit, atq; anates.
Ite procul Musæ, puerum me quæ nequijstis,
His à Grammaticis Nestoreum eripite.

TVMVLVS FELICIS, HOminis mercatoris.

Felix hîc iaceo, malè felix, quem neq; coniunx,
Nec natus sepelit, nec soror, aut genitrix,
Non pater, aut frater: rapidæ excerpsere uolucres:
Prædaq; sum cupidis heu data uulturijs.
Dum uarijs inhio lucris, fora multa frequento,
Et uitam, & partas eripit hostis opes.
Linquor præda auibus, nullum tegit ossa sepulchrũ

Sol.

Sola per ignotos umbra uagatur agros.
Donec me tumulo pastor donauit, & alno
Infelix scripsit hac requiescit humo.
Felix quum fuerim, nunquam post fata quieui,
Infelix donec scriberer in tumulo.

TVMVLVS PETRI COMPATRIS iucundißimi Poëtæ. Ipse & uiator colloquuntur.

Dic tumulo pia uerba: feres precium: iacet hîc, qui
Nec sensit lites, iurgiáue ulla domi.
Macte uir ingenio: spiret uer, floreat urna,
Dent pacem & cineri numina. Da precium.
Do precium: fuge uincla tori, fuge iura mariti,
Non tibi erunt lites, iurgiáue ulla domi.
Ducta est, coniugium subij: succurre marito.
Ducta est Parthenope si tibi, uiue Senis.
Macte iterum, tibi uer spiret, tibi floreat urna,
Et pascant manes Attica mella tuos.
Compater hanc legem statuit, connubia uita:
Connubijs nanq; est addita rixa comes.

TVMVLVS IACOBI PONTANI, patris Iouiani Pontani.

In tumulo situs est uatis pater: hoc satis esset,
Sed pater ipse suis laudibus auctus erat.
Cui gentilis honor, cui linguæ ornatus & oris,
Atq; togæ atq; hastæ cui uel utrunq; decus.
Non est quod tumulo exoptes: cœlum ille petiuit:

Sed uenerare pijs ossa reposta locis.
Ante diem rapuit Iacobum mors: filius illi
Infans quæ nequijt, dat modò iusta senex.

TVMVLVS PENTHESILEAE SOroris. Pontanus frater loquitur.

Septennem te fata soror rapuere parenti,
Dum tener in cunis ubere matris alor.
Non sensi tua fata, tamen consueta petebam
Oscula, consuetos blanda per ora modos.
Sæpe sinum, dulceisq; iocos, tenerosq; cachinnos,
Et uultum, & gratis illita uerba sonis.
Sæpe etiam lacrymis, quòd abes & uoce querebar,
In somnis etiam sæpe petita mihi.
Et risi quòd ades, fleui quòd abire parabas,
Vberaq; ex ipso reppulit ore dolor.
Senserat hoc nutrix: fingit uocem ipsa sororis.
Admoui repetens ubera ad ora mihi.
Non potui soror in cunis præstare sepultæ,
Nunc titulum & lacrymas, uerbaq; fratris habe:
Sparge puer uiola tumulum: diffundite nardum,
Fumet odorato myrrhaq; thusq; rogo.
Accipeq; & lacrymas fratris soror, accipe questus:
Atq; etiam atq; etiam Penthesilea uale.

TVMVLVS CHRISTIANAE MAtris. Pontanus filius ad illius sepulchrũ.

Optabunt tibi Christiana Musæ
Ad bustum bene, nec mihi negabunt

A d matris tumulos adesse flenti.
H as lactis precium tibi quotannis
E x uoto lacrymas parens dicamus.
H os questus tibi pro labore & æstu,
P ro puerperij damus dolore,
P ro casta simul institutione,
P ro linguæ studijs, boniq; cultu,
E t desiderium tui perenne,
E t suspiria pectoris uouemus,
C um luctu, gemitu, dolore & æstu.
N ec Musæ numeros negant querenti,
Q uòd uiuis bene, quòd deos uereris,
Q uòd castum colis, & probas modesta.
H inc te Pierides puellæ amarunt,
A mauit dea uirginum magistra,
A tq; hinc te ad socios choros uocarunt,
I nter quos agis, & beata ludis.

PONTANVS FILIVS AD PHEretrum Christianæ matris.

H as te ego ad inferias mater uoco: tu mea mater
Accipe cum fletu munera mista suo.
T e natus uocat ad pheretrum: tu munera nati
Accipe, & has lacrymas, accipe & hos gemitus.
Q uid natum mater fraudas spe? nec mihi flenti
Eximis aut lacrymas, eximis aut gemitus?
O dulces matris uultus, ô mollia corda.
Mater adest, matrem iam peto, iam teneo.

Iam ridet nato mater, iam brachia tendit.
Iam teneo amplexus, ipse ego iam teneor.
Heu natum mater, natum fugit immemor: heu nil
Ipsi, nisi manes & leuis umbra sumus.

TVMVLVS ARIADNAE SAXONAE Neapolitanæ. Viator, Genius & Hyacinthus colloquuntur.

VI. Vnde rosæ ad tumulos, unde hæc uiolaria? nunquid
Hi tumuli & uiolas & peperere rosas?
GE. Ver tribuit sua iura, simul tribuere Napææ,
Huic cineri hinc uiolas, hinc perperere rosas.
Ipse & Acidalio Charites de fonte liquorem,
Ipsa & Acidalio rorat ab amne Venus.
Hinc uiolæ florent, hinc roscida lilia canent,
Hinc tener ipse tuo flore Hyacinthe nites.
Et nitet & queritur mœrenti flore Hyacinthus,
Suspiratq; nouo iure dolore puer.
En audis? miseranda uolant suspiria, & udis
E folijs sese flebilis aura ciet.
HY. Formosæ quondam dominæ mihi cura uacabat:
Hinc mihi tuta æstas, hinc mihi mitis hyems.
Me dominæ faciles digiti, studiumq; colebant:
Ver mihi sic semper, rosq; perennis erat.
Extinctam flerūt nymphæ: Venus aurea questa est:
Terq; comam uellit, ter scidit ipsa genas.
Inde mihi & nitidus cecidit flos, & mihi tristis
Venit hyems: perijt qui fuit antè nitor.

Felices

F elices tumuli, cinis at felicior, en tu VI.
Dic puer, unde nouus qui tibi uenit honos?
A rebam dominæ interitu: sed coniuge adempta. HY.
Vir mihi de lacrymis subuenit usq; suis.
H ic tumulo ex oculis rorem diffundit amicum,
Hic cinerem ex oculis imbre fluente rigat.
H inc redeo in florem: flos hinc ad busta resurgit,
Scribitur & folijs nota querela meis.
F elices tumuli, cinis at felicior: heu quæ VI.
Sors dominam eripuit mœste Hyacinthe tibi?
I nuidia eripuit dominam, Lucrinide in unda, HY.
Dum lauat, & calidis nuda fouetur aquis.
O bstupuit forma Nymphæ Misenia, & atro
Inuidia infestas felle uenenat aquas.
H inc rapta est: fleuere deæ, lacrymisq; dolorem
Testatæ: ad tumulos inde perennis honos.
E lacrymis uiolæ, lacrymisq; rosaria uernant,
Et mihi de lacrymis hic quoq; creuit honor.
V sq; fluant lacrymæq; tibi, uiolisq; rosisq;, VI.
Vmbraq; flebilibus usq; rigetur aquis.
D ic age de lacrymis sate flos, dic ô puer alte
De lacrymis, titulum dulceq; nomen heræ.
I lla tori bene fida comes, custosq; pudici,
Cuiq; & acus placuit, cui placuere coli,
Quæq; focum, castosq; lares curauit, & aræ
Et thura, & lacrymas, & pia serta dedit:
I n prolem studiosa parens, & amabilis, uni

Quæ studuit charo casta placere uiro.
Hic posita est Ariadna: rosæ uiolæq; nitescant
Quà posita, & lacrymis hic mihi surgat honos.
VI. Vrna crocum dominæ fundat, distillet amomum
Ad tumulum, & cineri spica Cilissa fluat.

PONTANVS CONIVNX AD tumulum Ariadnæ Saxonæ uxoris.

Quas tibi ego inferias coniunx, quæ munera soluam?
Quum lacrymæ, & gemitus, uerbaq; destituant?
Pro ueteri tamen officio, pro munere lecti
Annua lustrato dona feram tumulo.
Thura puer laticesq; sacros: tu uerba sacerdos
Dic bona, & æternos rite precare deos.
Rite sacras adolete faces: mihi mortua uiuis
Vxor, & in nostro conderis ipsa sinu.
Viua mihi ante oculos illa obuersatur imago,
Et mecum lusus, deliciasq; facis.
Viua domum cultosq; lares, remq; ordine curas.
Viua Ariadna domi es, uiua Ariadna toro es.
Mecum perq; hortos & culta uireta uagaris,
Et mecum noctes, mecum agis ipsa dies.
Sic mihi uiua uales, sic est mihi grata senectus,
Vt tua mors lasso uita sit ipsa seni.
Hæc ipse ad pheretrũ: at tecum mens ipsa moratur,
Tecum post paucos læta futura dies.
Interea cape & hæc miseræ solatia mortis,
Atq; in perpetuum fleta Ariadna uale.

TVMV-

TVMVLVS LVCII FRANCISCI
filij. Pontanus pater queritur.

Has aras pater ipse deo, templumq́; parabam,
In quo nate meos contegeres cineres.
Heu fati uis læua, & lex uariabilis æui,
Nam pater ipse tuos nate struo tumulos.
Inferias puero senior, natoq́; sepulchrum
Pono parens? heu quid sydera dura parant.
Sed quodcunq; parant, breue sit: nanq; optima uitæ
Pars exacta mihi est, cætera funus erit.
Hoc tibi pro tabulis statuo pater, ipse dolorum
Hæres: tu tumulos pro patrimonio habe.

LVCIO FRANCISCO FILIO PON
tanus pater inferias soluit.

Has Luci tibi & inferias, tibi & annua soluo,
Annua uota pijs heu mihi cum lacrymis.
Hæc Luci tibi & ad tumulos, positumq́; pheretrum
Dona pater multis perluo cum lacrymis.
Hæc dona, inferiasq́;, heu heu hunc nate capillum,
Incanamq́; comam accipe & has lacrymas.
His lacrymis, his te inferijs, hoc munere condo,
Nate uale æternum ô & ualeant tumuli.
Quin & hient tumuli, & tellus hiet, & tibi me me
Reddat, & una duos urna tegat cineres.

TVMVLVS ISOLDAE MA-
tronæ fœcundissimæ.

Felix prole sua, felixq́; nepotibus, urna

Hac Isolda iacet clara puerperijs.
Quam nati, nataéq;, cohors numerosa nepotum
Imposuit pheretro, condidit in tumulo.
Inscribi hoc iußit busto: mea funera curent
Quæ mea, deq; meis uiscera uisceribus.
Quadraginta igitur strato imposuere pheretro:
Flet reliqua ad notum turba minuta rogum.

TVMVLVS BARCAE ANcillæ. Ipsa loquitur.

Pathma mihi in patria nomen tellure, Ioanna
Hic fuerat, Mauro Barca uocata seni.
Seruiui Mauro: ingenuam me patria uidit:
Hic domini laribus ius uel herile dedi.
Munditijs placui dominæ, fusoq;, fideq;:
Demerui dominum sedulitate mea.
Nec Musis non chara fui: me carmine Musæ
Donarunt, tumulo qui mihi uenit honos.
Dulcis hero, dulcisq; & heræ, Charitũ quoq; cura,
Et cura Aonidum scita Ioanna fui.
Ipsa manu dominæ pheretro composta, supremas
Excepi lacrymas, quas mihi fudit herus.
Quemq; sinu tenerum foui, cui garrula lusi
Ad cunas, locat hac natus herilis humo.
Ille mihi inferias, ille & funebria soluit,
Digne parens nato, digne parente puer.
Terra mihi, sit at aura leuis natoq; patriq;,
Sis memor & Barcæ, sis mea dulcis hera.

TVMVLVS LVCILLI PONTANI: uixit dies quinquaginta. Præfica loquitur: puellæ respondent.

Infanti lacrymam ad tumulos floremq́; puellæ PR.
Spargite, nam & uestro est dignus honore rogus.
En flores, nardum ad tumulos balanumq́; liquamus, PV.
Ipsæ etiam lacrymæ sponte per ora fluunt.
Nil infans ore infanti: uix uagit: at ipse PR.
Munera uestra pijs sedulæ obite modis.
Lucili tibi lux nomen dedit, & dedit ipsa PV.
Mater stella tibi, stellaq́; luxq́; simul.
Eripuit nox atra, nigræ eripuere tenebræ.
Vixisti uix quot litera prima notat.
Hos'ne dies? breue tam'ne tibi lux fulsit? & auræ
Maternum in nimbis sic tenuere iubar?
Infelix fatum: puer heu malè felix: heu quòd
Nec puer es, nec lux, nec nisi inane quid es.
Sit uobis uer perpetuum, ac sine nube puellæ, PR.
Lucili & cineri spiret inustus odor.

TVMVLVS INFANTVLI VAGIentis. Viator & Genius colloquuntur.

Mira fides, tumulo uagit puer, ecqua sub urna
Vmbra gemit? miseris en gemit umbra modis.
Præsidet huic tumulo quisnam Genius'ue, deus'ue?
Vnde hæc tam querulo uox geminata sono?
Hic infans iacet Vmbrenus, miserabilis infans,
Viuit morte sua, crimine matris obit.

Hæc urso assuescens, urso fit mater: ibidem
Morte obita, mortem pœna secuta sua est:
Vt puer in tumulo uiuat, petat improba mater
Vt Styga, & hinc Stygias nocte reportet aquas,
Quîs puerum in tumulo pascat: uagitus hic inde est:
Pœna obitus matri: uita quidem puero.

TVMVLVS VARIANAE PVELLæ. *Carbo soluit inferias.*

Hos habet infelix tumulos Variana, nec ulli
Iuncta toro, nulli iuncta puella uiro.
Vt posita est loculis, miseri post funus amantes,
Munera cum lacrymis multa dedere suis.
Primus at è cunctis Carbo mœstißimus illi
Constituitq; aras, & stata sacra facit.
Condidit & loculis manes, lauitq; sepulchrum
De lacrymis: lacrymæ tristia busta rigant.
Nona dies aderat: florent ad marmora thymbræ,
Thymbra tegit tumulos, marmora thymbra tegit.
Conueniunt & apes, & mella liquentia carpunt.
Dictaq; Thymbrea est, quæ Variana fuit.
Hæc tibi Carbo tuus Thymbrea: hinc mella sepulchro
Lecta legunt & apes, hinc tibi & illa fluunt.

TVMVLVS NEAERAE PVELLAE.
Petrus Summontius celebrat exequias.

Hos cineres breuis urna (at non leue nomen in urna
Scribitur: hic posita est pulchra Neæra) tegit.
Ah crudele genus diuorum: hîc pulchra Neæra

Est posita?

Est posita? hos cineres & breuis urna tegit?
At non urna breuis tegit, aut leue nomen in urna est,
Quam Charites seruant, Pieridesq; deæ.
Illam Petrus amat Summontius, hicq; Neæram
Plorat & ad tumulos, sertaq; dat tumulis.
Ast Petrum Charitesq; colunt, Musæq; tuentur,
Inde nec urna breuis, nec leue pondus habet.
Sis felix, longumq; uale dis grata Neæra,
Et tibi defunctæ crescat amantis amor.

TVMVLVS LAVRAE ARCELIAE, *uxoris Antonij Panhormitæ.*

Elysiæ nunc te ualles, & opaca uireta,
Elysius nunc te Laura recessus habet.
Nunc interq; hederas, interq; uirentia serta,
Coniugis optato Laura fouere sinu.
Ille canit: tua ab ore uiri dum lumina pendent
Interea Elysius spicula tergit Amor.
Quîs castas iterum figit sub corda puellas,
Et renouat fidi uincula coniugij.
Quîs rursum Euadne, rursum quoq; Penelopea,
Et rursum ueteres sentit Elisa faces.
Gaude Laura tuo rursum coniuncta marito,
Tuq; marite nouam gaude & inire fidem.
Antoni Elysiæ celebrant Hymenæon & auræ,
Et Lauræ castos florida prata toros.
Viuite felices umbræ, thalamoq; iugali
Læta agite, & parili munera obite fide.

TVMVLVS LVNAE PVELlæ. Ipsa loquitur.

Ne me, ne rogo terra tegat: sinito aëra apertum,
Degrauet & cineres tegula nulla meos:
In lauri hic tantum titulus sit cortice: Luna
Hinc abij ad superos: non mihi terra placet.
Manibus & Lunæ pateat cœlum, ossaq; & artus
Condas sub tacito tu Charitæe sinu.

TVMVLVS EVPLEAE PVELlæ naufragæ. Ipsa queritur.

Hîc Euplea uagor tumulo sine: me maris unda
Eijcit, & sedes hei mihi terra negat.
Nunc misera affligor scopulis, nunc obruor alga,
Nec recipit tellus, nec mare, nec scopuli.
Aëre iactamur, rapidis iactamur ab auris,
Nec mihi sunt sedes, nec loca certa mihi.
Nulla quies umbræ miseræ, nullusq; receptus,
Non nebulæ, non me nubila nigra tegunt.
Iactor in incertum, feßis Euplea carinis
Explosa, & nautis: hei mihi quid reliquum?
Sit modus ô Euplea: tuus te portus & ipsum
Accipiet littus, terraq; amica tibi.
Et dabit inferias coniunx, cineremq; piabit,
Et cineri & tumulo debita persoluet.
Interea tibi dant lacrymas Euplea carinæ,
Littoraq; ipsa suis mœsta sonant numeris.
Flebileq; ad tumulum uates canit, & tibi carmen

Dedicat, ô felix umbra & amica uale.

TVMVLVS PVRAE MATRO-
næ. Ipsa loquitur.

Ne manes, ne terra tegat: sinite umbra uagetur.
Nostra quidem certum non habet umbra locum.
Non sedes mihi certa: dies noctesq; uagamur,
Exilio requies nec datur ulla meo.
Ipse error mihi pœna, uiros quòd tempore in uno
Et colui una duos, extuli & una duos.
De me igitur seruare fidem, ac retinere pudorem,
Atq; unum de me discite inire torum.
Nomẽ erat mihi Pura, heu quòd nec pura, nec insons
Vixi: nunc uitæ crimina morte luo.

TVMVLVS VERONILLAE PV-
ellæ. Ipsa loquitur.

Salua tibi sit ut urna precor, quæ ad flumina pergis,
Tu uero ut mihi sit urna precare leuis.
Siste: mora est breuis: hoc lege. Veronilla quiesce,
Manibus & bene sit, & bene sit cineri.
Mutua sed faciam: bene sit tibi, sit bene natis,
Sit quoq; cum placido lis tibi nulla uiro.

TVMVLVS SANCTIAE, PVEL-
læ Neapolitanæ. Ipsa uirum suum pi-
ctorem alloquitur.

Quòd uitam sine me coniunx inuitus agebas,
In lucem ipse artis munere restituis.
Sic tibi nec sine me uita est ingrata futura.

Nec mors quàm fuerat, tam ſit acerba mihi.
Sed neq; me ad luſus, aut oſcula grata uocabis,
Mutua néue etiam uerba referre putes:
Nam corpus pictura refert, non corporis uſum.
Atq; hæc nunc uates, Sanctia non loquitur.

TVMVLVS CASTAE, MATRONAE parum pudicæ.

Caſta uiros habuit ſeptem, quos extulit omnes.
Hoc ægre eſt, quòd non extulerit totidem.
In tumulo ſcribi hoc uoluit, quòd nomine Caſta,
Nunquam caſta uiri manſerit in thalamo.

TVMVLVS FRANCISCI HAVRIÆ Stabiani, probi ac literati adoleſcentis.

Manibus hoc ſacrum eſt: manes ne læde uiator,
Sed terram cineri quæſo precare leuem.
Hauria Franciſcus iacet hîc: iacet ipſa uoluptas,
Deliciasq́; orbis inuida claudit humus.
Heu fatis inuiſe puer, fallaxq́; parentis
Spes, & germanæ cura dolorq́; tuæ.
Tú ne puer miſeræ ſubitò tam erepte parenti?
Heu nimium miſero mors properata tibi eſt.
Quòd ſi certa ſuas referunt poſt ſemina meſſes,
Nimirum hæc Caſiam thuraq́; terra dabit.

TVMVLVS MILVII, HOMInis ruſticani.

Falco pater mihi, Coruus auus, materq́; Columba,
Pic

Pica auia est: quid plus? Miluius ipse uocor.

N *e me sarcophago condas: sit in arbore bustum:*
Nidus sit tumulus, nidor & ipse iuuat.

TVMVLVS INFANTVLI *innominati.*

N *ascitur hic, obijtq; simul, simul ipse sepultus:*
Vita obitusq; simul: nomen at unde habeat?

TVMVLVS FOCILLAE PVELLAE.

F *rigidulo iaceo in thalamo, licet ipsa Focilla:*
Ligna nec extincto est qui ferat ulla foco.

TVMVLVS GALLAE STE-*rilis fœminæ.*

G *alla fui, Gallo coniunx bene iuncta marito:*
Verum nec pullos, oua nec ulla dedi.

TVMVLVS LVCRETIAE, *Alexandri sexti filiæ.*

H *oc tumulo dormit Lucretia nomine, sed re*
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

TVMVLVS HYAE INER-*tißimi hominis.*

N *unquam uixit Hyas, sed Hyas hoc conditur antro.*
Si uixit nunquam, mortuus est nec Hyas.

TVMVLVS ERRIS NANI.

E *t tumulus breuis est, titulus breuis, & breue nomē:*
Et iacet hic nanus: nanula testa tegit.

TVMVLVS ICHTHYPHAGI.

P *ro tumulo scopolus: pars est mihi funeris alga:*

In remo titulus: hic riget ichthyphagus.

TVMVLVS AGANIPPI EQVI.

Ipse stellificatus loquitur.

Et mihi Pegasides fauere, & me quoq; cœlo
Illustrat stellis Pegasus ipse suis.
Pegasides meritum referunt in uatis honorem,
Quem uexi, & totiens restitui incolumem.
Pegasus hospitio recipit, quòd & Aona siccum
Vatis ope, & largis ipse repleuit aquis.
Hinc simul & uescor diuino gramine, & unà
Ambrosiæ extinguo rore fluente sitim.
Inde etiam Charites nomen fecere Aganippo,
Et tumuli & cœli dignus habetur honos.

TVMVLVS AVICVLAE LIGVris. Pontanus loquitur.

Pro cauea è uitro tumulum cape, teq; sepulchro
Hoc tege, perspicua conspicienda domo.
Hoc ales mea te tege: sic mihi mortua uiues
O Liguri: hic tumulus sit tibi pro cauea.
Pendeat è lauro tumulus, quem proxima myrtus
Vestiat, intactis semper opaca comis.
Dum uitro spectanda nites, & uiua putaris,
Certatim uolucres ad tua busta uolant.
Et tibi nunc plaudunt pennis, nunc uoce liquenti
Cantabunt blando carmina blanda sono.
Hoc tibi funus erit: cineri sua dona uolucres
Ista ferent: Liguris semper amata uale.

DEPL

DEPLORATIO STVRNI.

Pontanus queritur.

Cantabas mecum ad citharam, dulceisq; querelas
Fingebas uario garrulus ipse sono.
Fingebas & me uariantem carmina plectro,
Ore tuo & noster sæpe recurrit amor.
Ipse tibi numeros monstro, numerumq; recenses:
Ipse tibi carmen, carmen & ipse refers.
Sæpe etiam rostro inuitas, pungisq; tacentem,
Præcinis & querulos quos sequar ipse modos.
Inuidit mihi te nigri Iouis inuida coniunx,
Quæ lætum nobis nil sinit esse diu.
Nil tenerum, nil dulce diu: bone Sturne, bone ales,
Lenis auis, bellum quid queat esse diu?
Ah desiderium, ah lacrymas quas Sturne relinquis?
Ipse diu luctus, ipse future dolor.
At contrà Elysium per te nemus, & pia uernant
Arua: sonant cantu prata canora tuo.
Ac tenebrosum iter, horrenda & uia tristis auerni,
Sentit nescio quid gutture dulce tuo.
Tu modò quum remeant nocturna ad somnia manes
Nocturnis uenias manibus ipse comes.
Et mecum in somnis dulces meditare querelas
Ad citharam, & solitos perstrepe in aure sonos.

TVMVLVS VOCIS AMATORIAE.

Vox ipsa & Viator colloquuntur. (mãtis.
Claudite me in tumulo. Quænã es? Vox. Cuia es? A-

Quid clamas, heu heu? dic age cur geminas?
Bis quoniã perijt mihi Luna. Et quænã ea Luna est?
Vna quidem Phœbi est, una soror Charitum.
Quonam abijt, perijtq; simul? quid utraq; grauaris?
Vtraq; nam perijt: illaq; & illa grauat.
Quæ Phœbi, ad superos abijt: Chariteia ad amnes
Hesperiæ: hæc atq; hæc hei mihi bis perijt.
Vtraq; nũ est eadẽ? Vna est, & simul utraq; & am-
Vná ne quum perijt, num periere duæ? (bæ
Quin eadem Luna est, eadem simul utraq; & ambæ
Vnaq; bis perijt, utraq; quum perijt.
Cur nec amans petit & cœlũ, & petit æquor? It ipsa
Ad Styga quæsitum: perdita Styx recipit.
Placabit manes cantu, uictorq; redibit,
Lunaq; erit terris reddita, Luna mari.
Cur tumulo cupis ipsa tegi? Ne sontiar: ipsa
Ne fuga sit cœlo cognita, né ue mari.
Ne se æther prædæ accingat, neu pontus ad arma,
Lunaq; sit pelago præda, sit ipsa polo.
Ne doleas mea uox: taceas: tibi consule, nostro &
Conde sinu: hoc pectus urna erit, hoc tumulus.

LYRA ORPHEI AVXILIVM
implorat à Nympha.

Nympha tene, ô age nympha tene: me me rapit unda
Nympha tene, ô me me candida Nympha iuua.
Quid quereris? quid & ipsa times? Timeoq; que-
Bistonides matres, Bistonidesq; nurus. (rorq;
Orphea

Orphea diripuere: lyram iecere per undas,
Meq; uehunt amnes, me maris unda uehit.
Illa ego proceras summis è montibus ornos
Quæ traxi, & rigidas post mea plectra feras,
Quæ potui Stygium cantu mollire tyrannum,
Tristificum flectens in mea uota canem,
Illa ego Threicias fugio miseranda cohortes.
Me dea, me tacito, me me age conde sinu.
En properãt, dumq; ipsa loquor, me fila relinquũt,
Plectra cadunt, ô me me pectore conde tuo.
Illa querebatur, Thressæ properare cohortes.
Nec mora, quæ fuerat iam lyra, factus olor.
Excita nam lacrymis nati properabat ad Hebrum,
Flebat & attonito Calliopea gradu.
Vtq; lyram, & chordas uidit sine honore fluenteis,
Me miseram, hæc nati sunt monumenta mei.
Iuppiter, exclamat, misero succurre nepoti.
Me me Amimallonidum, me petit ecce manus.
Hæccine auus pateris? uix hæc: de flumine cycnus
Euolat, & niueus per uada cantat olor.
Forma petit cœlum: cœlo micat aurea: plectrum
Mansit humi, mater quod studiosa legit.
Condit & in templo: tituli simul addit honorem:
Threiciæ hîc sita sunt plectra superba lyræ.
Parnasus tenet hæc, casto Parnasus in antro
Seruat, & incolumi stant ueneranda fide.

TVMVLVS INFANTVLI BIS mortui, & nunquam æditi.

Mortuus ipse bis, at nunquam æditus inferor urnæ,
Nam semel extincta matre quidem morior.
Mox utero matris cæso diuellor, & infans
Rursum obeo: infælix nomine quòd careo.

TVMVLVS THERMIONILlæ meretriculæ.

Hunc tumulum, si quis tumulũ uocet hunc, ubi Nais
Syluicolis habitat, Nais amata procis,
Hunc tumulum, cultæq; nurus, teneræq; puellæ,
Et multo ueniens thure frequentat anus.
Nai doce causam, nam te pars tangit honoris.
Sic ego, sic roseo Naias ore refert.
Docta lyra, docta & cantu, spectanda choreis,
Et præsignis acu Thermionilla fuit.
Hanc multi petiere, & multos ipsa petiuit,
Ausa dare & cunctis, ausa rogare prior.
Cui precium sine honore fuit, primaq; iuuenta
Exegit gratis munus amoris amans.
Inde ubi ruga genas laxauerat, aduocat artes
Sedula, & ignotas tentat inire uias.
Munera dat, blandasq; preces ad munera iungit,
Et precibus gratos adijcit apta modos.
Ante hanc indoctæ iacuere ad uota puellæ,
Et nulli motus, linguaq; muta fuit.
Prima leues agitare nates, tremulumq; mouere

Sci

Scit femur, & gratas continuare uices.
Et docet inter opus miscere ad gaudia rixas,
Et querulum murmur, uerbaq; digna iocis:
Oscula nunc repetita dare, ac repetita referre,
Et nunc pugnaces opposuisse manus.
Prima Arabum molli de pectore fudit amomum,
Pestanam & Cypria miscuit arte rosam.
Et leuem erasa uellit lanugine pubem,
Vt nunc ars hæc sit, qui rudis usus erat.
At postqnam confecta situ, confecta senecta
Tabuit, & nullum comperit arte locum,
Vrbe procul licta, molles conceßit in hortos,
Deliciasq; petit nude Priape tuas.
Sacra deæ multa cum relligione ministrat,
Et pleno felix pectore numen habet.
Hanc adeunt, quæcunq; optat, uel amare recusat,
Atq; redit uotis utraq; plena suis.
Ipsa uelit, faciles educit carmine partus,
Fœcundam & sterilis quæ fuit antè, facit.
Ipsa uelit, sæuas compellat amare nouercas,
Hippolyto partes sollicitante suas.
Longum est enumerare, Citheida uicit, & illam
Quæ potuit fratris spargere membra sui,
Quæ potuit nautas in mille nouare figuras.
Tantum illi carmen, Marsicaq; herba dedit.
Hinc tumulum cultæq; nurus, teneræq; puellæ,
Et multo ueniens thure frequentat anus.

Ipsa ministerijs data sum comes, & mea certe
Nota fides: uni fidit & illa mihi.
Si meritum quæris, utraq; est accepta Priapo,
Prostratæ & precium uirginitatis habet.

TVMVLVS HARMOSYNES puellæ Neapolitanæ.

Harmosyne iacet hîc: fractos quos aspicis arcus,
Et sparsos crines, atq; sine igne faces,
Arcus fregit Amor, Charites sparsere capillos,
Extinxitq; suas ipsa Erycina faces.
Quæ tumulo increuit laurus, myrtiq;, rosæq;,
Pieridum è lacrymis noueris esse satas.
Harmosyne extincta est, sensusq; extinctus amandi:
Nemo amat, & numen desijt esse Venus.
Infelix quid agas uates? i desere coetum,
Et pete inhumanis lustra habitata feris.
Frange lyram, contemne deos, lucemq; perosus
Noctem ama, & à somnis gaudia posce nigris.

TVMVLVS DRVSILLAE PVELLAE formosißimæ. Amans queritur.

Tu'ne etiam Drusilla iaces? té ne improba Clotho
Abstulit? an dubitem numina & ipsa mori?
Tecum deliciæ, tecum Charitesq;, iociq;,
Et decor, & cultus, munditiæq; iacent.
Blanditias, Charitesq; omneis extinxit auarum
Funus, & ex ipso est funere inermis Amor.
Ocia Amor, Venus ocia agit: discedite amantes:

Be

Bella uacant: iuuenum libera corda uacent.
Sed nec bella uacant, nec Amor ſua perdidit arma,
Tranſtulit in ſuperos tela faceſq; Venus.
Nunc ſuperos Druſilla feris, nunc ſpicula mittis,
Tela oculis, oculis retia & ore paras.
I uno Iouem, Cytherea tuum complectere Martem:
Cœlum amat: an ceſſas Druſula? tende, feri.
Iunonem ſpernet coniunx, Dirceius Heben:
Ius tibi cedet Amor, cedet & arma Venus.
Iura dabis ſuperis: ſuperi tua iuſſa ſequentur.
Ipſa ſedes: uulgus ſternitur ante pedes.
Sed nec iura dabis, nec di tua iuſſa ſequentur.
Ipſa iaces, tellus & breuis oſſa tegit.
Lætatur Iuno, cuius prece ſedula Clotho
Suſtulit: † i, formæ crede puella bonis.

† i demẽs & uenerare deos.

TVMVLVS ANGELINAE PVellæ Senenſis. Pontanus queritur, alloquens amatores.

Ne cœlo Idalium ſydus, ne quærite amantes.
Occidit: ipſa latet uicta dolore Venus.
Lugent te Angelina deæ: flet Gratia, Amorq;
Deſeruit triſtes triſtis & ipſe Senas,
Extinxitq; faces puer, excuſsitq; pharetram,
Et decor informes traxit in ore notas.
Munditiæ cultuſq; nigra ſub ueſte pheretro
Intulerant: ducit uulnera acerba pudor.
Vt poſita eſt tumulo, Caiæ planxere puellæ:

Abrupit flauas Blandia Nympha comas.
Has inter Iunipera graui superata dolore
Mœsta silet: lacrymæ pulchra per ora fluunt.
Ipsa lauat corpus lacrymis, ungitq́; liquore,
Quem niger è lento palmite fundit Arabs.
Ipsa uale extremum peragit dum, uoce retenta
Concidit, & uisa est tunc quoq; uelle mori.
Di factum aspexere, breui nam tempore surgit
Iunipera è lacrymis iuniper orta tuis.
Mansit Arabs odor in ligno: de cortice amaras
Quæ referat lacrymas, nunc quoq; gutta cadit.
Qui sparsi crines tumulo iacuere sepultæ,
Nunc uestit ramos horrida fronde coma.
Dis pietas Iunipera tua est accepta, sorori
Contingit per te nanq; perennis honos.

TVMVLVS IACOBI SOLIMAEI medici Salernitani. Musas inuocat ad exequias.

Quæ liquidos Silari fontes, quæq; arua Salerni
Irrigua, & doctis tecta habitata uiris,
Quæ lauros Nymphæ Aonides, Peneida syluam,
Amphrysi & colitis nota in amore uada,
Ne Musæ, ne Pierides, dum condimus umbram,
Pæonio abnuite carmina uestra seni.
Non succi tibi defuerant Solimæe, nec herbæ,
Quæq; docent Coi scripta probata uiri.
Et tamen ut de plebe aliquis, de sorde togata,
Occidis

Occidis, & uili contumulare solo.
N e nomen tamen intereat, quo fama superſit,
Accipe quæ cineri ſint monumenta tuo.
P ar Phœbo, par Phœbigenæ, atq; Machaone maior
Et melior, tegitur hac Solimæus humo.

PONTANVS VXOREM ARIAD-
nam in ſomnis alloquitur.

N octe quidem coniunx tecum uagor, & tua mecum
Vmbra uenit: ſic nox, luxq́;, diesq́; mihi eſt.
L uce autem ſine te tenebris obuerſor, & ipſe
Me ſine ſum: ſic nox, lux, tenebræq́; mihi eſt.
O ualeant luces, lateat ſol: ſic mihi coniunx
Viues: ſic moriar uiuus & ipſe tibi.

PONTANVS VXOREM SALVTAT,
& laurum in hortis ab illa olim ſatam.

C um lauru tibi creſcit honos: tua nomina laurus,
Seruat, nam dextra creuit & illa tua.
O fficium officio penſat gratiſsima laurus,
Quiq́; fuit Nymphæ, nunc quoq; ſenſus adeſt.
C um lauru mihi ſalue iterum coniunx mea: ſalue
Coniuge cum laurus, fronde & honore pares.
I te pares, nomenq́; unà ſeruate per æuum,
Et mihi frondenti ſerta parate coma.

TVMVLVS IOANNIS IOVIA-
ni Pontani.

D ic age quid tumulos ſeruas dea? Noſtra tuemur

Iura. Deos cinerum num quoq; cura tenet?
Hæc mihi prima quidem cura est. Quid concutis alas
Vsq;? Fugo tenebras quo uigeant tumuli.
Quid sibi quæ collo pendet tuba? Nomen amico
Dat cineri: ad tumulos hac ego gesta cano.
Dic agedum manes cuius hi? Vatis: at urnam
Officio posuit docta Minerua suo.
Hos tumulos Iouianus habet: quæ serta uirescunt
Lecta suis manibus disposuere deæ.
Sed manes ne quære die: per amœna uagantur
Prata, sonat riguæ sicubi murmur aquæ.
Nymphæ assunt, et adest dulcis Charis: aurea cantu
Fila mouent: leni concinit aura sono.
Nocte illum complexa fouet nitidißima coniunx,
Feruet, & à nulla parte refrixit amor.
Hæc illi comes in tenebris: quas uincit amoris
Lucida fax: gemina luce coruscat amor.

FINIS.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI DE LAVDIBVS DIVINIS LIB.

DE MVNDI CREATIONE ad Antonium Panhormitam.



Oc cœlũ, quæq; obliquo distincta meatu,
Sed certa ferri sydera lege uides,
Tellurémque suo libratam pondere, circum
Quam cingit rapidis Ennosigæus aquis,
Spiranteisq; auium tractus, fusumq; superne
Qui cuncta ætherio temperat orbe Iouem,
Antoni, Deus è nihilo, Deus omnia fecit,
Et formam rebus iussit adesse suam.
Ipse sua uoluit cœlum splendescere luce,
Et terras cæcæ noctis habere uicem.
Accendiq; diem claro de lumine solis,
Solis & auratum manè redire iubar:
Alternisq; atræ lucem concedere nocti,
Temporaq; hinc spatijs ire coacta suis.
Bissenisq; uagum compleuit mensibus annum,
Vt tamen in parteis quatuor omnis eat.
Nanq; ubi sol nostro languens sese eripit orbi,
Frigidaq; hibernis terra madescit aquis,

Sæuit hyems incana gelu, riget horrida bruma,
  Tum tellus fœtu concipit aucta suo.
Ast ubi uicinos sol ipse recurrit ad ortus,
  Excursu & parili noxq; diesq; ruunt,
Terra suas ostentat opes: & diuite gemma
  Vestit pampineas uitis opaca comas.
Ludit & in pratis uarium uer, ludit & æstas
  Torrida, & ipsa suas sedula curat opes.
Hæc frumenta manu legit, hæc & in horrea condit,
  Quæ mox uersa rotis parca colona terat.
Hinc cedente die, longè & crescentibus umbris,
  Autumnus pleno fert sua poma sinu,
Ac Bacchum plenis docet expumare lacunis,
  Sordida dum celeri sub pede musta fluunt.
Sic statuit pater ipse hominum, rerumq; creator,
  Annua perpetuas munera obire uices.
Quinetiam spirare suis de partibus orbis
  Ventos, & patrijs nomen habere locis.
Nāq; ab Hyperboreis Aquilo uolat impiger antris,
  Excitat oppositas humidus Auster aquas.
Eoos ciet Eurus equos: at mitis ab orbe
  Hesperio Zephyrus lenia flabra mouet.
Idem etiam occultos alta ad conuexa uapores
  Sustulit, ac terræ uertit in auxilium.
Vnde cadunt imbres, & matutina pruina,
  Et grato sitiens rore madescit humus.
An non & summo decurrunt uertice riui,

Et caua

Et caua muscosis fontibus antra sonant?
Vnde sitim pecudesq; feræq; armentaq; sedent,
Temperet & riguum cœrula lympha solum.
Quando aër quoq; nimbosis inclusus in antris
Cogitur in laticem frigore, & inde fluit.
Nequa igitur mundi regio uacet, implet & undas
Piscibus: hi campo liberiore natant,
Ac gregibus uarijs ingentia regna frequentant,
Nullaq; squamigera gente lacuna caret.
Alitibusq; auras celebrat, quibus indit & alas,
Et corpus penna uersicolore tegit.
Induit & uirides frondenti gramine colles,
Et nemora arboreis uelat opaca comis.
Communem & statuit uictum è fœlicibus agris,
Pomaq; frugiferis ducit ab arboribus.
Quò uarios usus homini, pecoriq; auibusq;
Præstent, ac uitæ munera certa ferant.
Etiam quadrupedes fœtus, obnoxia morti
Corpora, plumosos ædideratq; greges:
Tum deus humanos effingere molliter artus,
Membraq; de tenui ducere cœpit humo.
Cunctaq; formarat studio perfecta magistro,
Quæq; artem referant, artificemq; suum.
Mox auram æthereo de fomite fundit in illum:
Viue, ait: & proprio membra labore foue.
Arcanæ mox partem animæ de mente profunda
Libat, & erecti spirat in ora uiri.

Dux, ait, hæc hominum generi sit, & ipsa magistra,
Et sua constituant hac duce, seq; regant.
Hac ualidas ponant urbes, hac iura notarint,
Hac cœtus pariter, iustitiamq; colant.
Coniugium ac thalamos discant ratione magistra
Seruare, & casta relligione focos,
Atq; artes tractare bonas, & munera cœlo
Digna, & qui factis nomen ad astra ferant.
At postquam immemores recti cœlestia dona
Vertêre in facinus, perniciemq; suam,
Immemoresq; boni, spreta pietate fideq;,
Admorunt proprias in sua fata manus:
Grassati & patrium in iugulum, cædesq; suorum,
Miscuerunt stygio pocula tincta lacu:
Inq; uirum sæuit coniunx, in pignora mater,
Prò scelus, ac miscet fasq; nefasq; furor.
Hæc pater ut celsa miserans prospexit ab arce,
Sisteret ut sceleri, criminibusq; modum,
Progeniem in terras summo demisit olympo,
Quæq; hominis gereret munia, quæq; dei.
Hæc cœli secreta, & inenarrabile patris
Consilium explicuit, quæ bona, quæue mala,
Quæ uitanda homini, quæ uitæ forma sequenda,
Quæq; bonos maneant præmia, quæq; malos.
Deniq; mortem obijt, uitæ dum consulit ipsi,
Atq; suo in cœlum sanguine fecit iter.
Quo magis admiranda dei clementia summa est,

Cui fumet quicquid terra Sabæa ferat,
Quicquid Arabs: date thura focis, costumq́; cremate,
Et date cum multa thurea dona prece.
Pieriosq́; adhibere modos, & carmina, dignum est,
Antoni, quæ te gloria prima manet.
Hyblæo cui rore madent & labra, cui amnis
Castalius pleno gurgite fundit aquas,
Nysæiq́; hærent insigni fronte corymbi,
Et coma Pieria fronde reuincta uiret,
Felicemq́; animum pascis pietate, fideq́;,
Nilq́; tibi uera est relligione prius.
Quodq́; decet, bona cuncta deo, iustumq́;, piumq́;
Adscribis, nostræ sed mala nequitiæ.

HYMNVS AD DIVAM MARIAM.

QVisquis ades dic læta: dies hic festus agatur,
In lucem qui te diua Maria dedit.
Luce sacra ponant uenti, mitescat & aër,
Aequoraq́; irato murmure nulla sonent.
Pacem agitent elementa: iubet deus: ô mihi dulcis
Gratia laudandæ sis comes ipsa deæ,
Sis aurora comes sacræ prænuncia lucis,
Præferat & roseas Lucifer ipse faces.
Tu Tyrios redimite sinus, tu magne sacerdos
Sacra cane, & sacris ora resolue modis.
Et pius aßistat circùm chorus, & bona dicat
In numerum sancto uerba canenda die.

Ipse ego, quod possum, tanti natalis honores
  Voce feram, & patrio carmine digna canam,
Te nascente hominum melius nil secla tulere,
  Vt nato maius nil peperere tuo.
Quaq; die genita es, illa lux candida primum
  Fulsit, & è tenebris clara reluxit humus.
Tunc magni concepta dei, secretaq; pandi
  Cœpere, & uatum certior esse fides.
Tunc laxæ patuere fores, tunc limen olympi
  Panditur, & cœli libera facta uia est:
Interdicta prius, quòd summi edicta tonantis
  Spreuerit anguineo fœmina, uirq; dolo.
Salue sancta parens Christi, salue inclyta uirgo,
  Vnica sollicitis spesq;, salusq; reis.
Tu miseris rapido iactatis æquore nautis,
  E cœlo aspirans aura uocata uenis.
Tu preßis longo populis belloq;, fameq;,
  Prospicis, & pacis dona benigna refers.
Tu feßis tranquilla quies, gratumq; dolenti
  Solamen, teq; est auspice triste nihil.
Per sacros uteri fœtus, castumq; cubile,
  Perq; dei Genius quæ tulit ore tibi:
Per dulces nati lusus, puerilia q; ora,
  Perq; sinus, è quîs lac deus ipse bibit:
Per te, quæ solita es uota exaudire precantum,
  Te rogo per nomen casta puella tuum,
Da pacem dea, da feßæ requiescere genti,

Et nos

Et nos à sæuis eripe turbinibus.

HYMNVS AD DIVVM IOannem Baptistam.

FElicem, quæ prima nouo te lumine uidit
Nascentem eois fluctibus orta dies.
Felicem, quæcunq; tibi dedit ubera nutrix,
Et qua reptasti, terra beata, puer.
Quiq; tuos primi monitus hausere loquentis,
Et quorum infuso corpora rore lauas.
Sed longè ante omnes fortunatißima mater,
Et quo nec toto est maior in orbe parens.
Nam quid ego de te primum mirer'ue canam'ue?
Quiue meo fuerit primus in ore sonus?
An quia diuinos partus, Christumq; canebas,
Quiq; deo esset honos, quæq; paranda uia?
An quod felicem terris agnumq;, hominemq;,
Atq; salutiferum dicis adesse deum?
Vel quòd Iordanis dominum lauis amne beato,
Fluxit & è manibus mystica lympha tuis?
Hoc ego de te ausim proles diuina Ioannes
Quod tibi ueridico præstitit ore deus,
Fœmineo neq; conceptu, neq; matris ab aluo
Maiorem te te secla tulisse uirum.
Tu nobis ades ô hominum princepsq;, paterq;,
O qui rore tuo crimina nostra lauas.

HYMNVS AD VIRGInem dei matrem.

QVæ tellus extrema tuos sol exerit ortus,
Quæ tegit occasus ultima terra tuos,
Qui Rhenum, patriæq; bibunt Mæotidis undam,
Phœbeisq; urit quos plaga fusca rotis,
Te cuncti regina deûm metuuntq; coluntq;,
Et celebrant nomen diua Maria tuum.
Te uasti metuunt fluctus, te nubila cœli,
Aeolijq; etiam carceris antra timent.
Te nascente die, te sol dum conditur undis,
Omnia te meritis laudibus accumulant.
Nanq; tibi secreta dei mandata per auras
Candidus augusto nuntius ore tulit.
Progeniemq; deûm cœlesti concipis ortu,
Conceptum & nono sydere uirgo paris.
Cuiq; sacri reges cœli noua signa secuti
Aurum & Panchæo munera odore ferunt.
Atq; ubi nostra sua deleuit crimina morte,
Et mœstam insonti sanguine tinxit humum,
Vidisti è tumulo mira prodisse figura,
Veraq; pacifero uerba referre sono.
Scandentemq; patris mox ad cœlestia tecta
Sublimem, & dextra parte sedere deum.
Tum sacer è summa diffusus spiritus arce est,
Et tua diuinus corda repleuit amor.
Hinc terris erepta tuis ascendis olympum

Aurea sydereo uertice serta gerens.
Cui liquidi circùm cantus, thyasiq; deorum,
Et sonat aurato pectine pulsa chelys.
Fatidici occurrunt uates, castiq; parentes,
Et tibi tum cœli regia tota uacat.
Ipsa patris, natiq; sinu gestata corusco
Inter mille deûm numina prima micas.
Qualis ubi Oceani nitidum iubar extulit undis
Inter sydereos candida luna choros.
Iam cœlum sublime patet, iam despicis æthram,
Lucida sub pedibus sydera cuncta premens,
Stellantis quum iura capis consortia mundi,
Et datur humani cura patrocinij,
Conciliasq; deum nobis, facilemq; precando
Efficis, & populis prospicis usq; tuis,
Prospicis & pacis rebus, rerumq; quieti,
Ac mala in aërios cogis abire Notos.

HYMNVS AD DIVAM MARIAM.

Ipsa meis adsis numeris dea, nec tibi festo
Quæ damus, hæc spernas munera parua die.
Parua mouent superos, dum sint & casta, moueri
Ipsa docent aris pendula dona tuis.
Dum canimus, fument Syrias altaria flammas,
Atq; cauo resonet tibia multa tholo.
Iam noua progenies cœlo uentura supremo

Legerat ipsa uterum uirgo pudica tuum.
E rgo alto delapsa polo uox nuntia, castos
Fœcundatq; sinus, insinuatq; deum.
E t quem non spaijs immensus colligit æther,
Non totum cœli circuiere nouem,
H unc tu uirginea conceptum mater in aluo
Fouisti, externo post paritura solo.
N on Tyrio subnisa toro, spondá ue nitenti,
Cui tenue hospitium uix casa parua dedit.
C ui stramen tenero dedit incunabula, & ipsa
Arida uix primos præbuit herba toros.
A t cœli partum ingentem, atq; ingentia mundi
Pignora, monstrarunt sydera luce noua.
L uce noua emicuit cœli decus, aurea flauo
Aurora insolitum fudit ab axe diem.
Quin matutini sonuere per aëra cantus,
Duxerunt placidos numina & ipsa choros.
A stabant natum circa matremq; ministri,
Et nato & matri sedula turba fauet.
I lla plus solito fulserunt sydera nocte,
Splenduit & solito clarior orbe dies.
N on pelago incumbunt uenti, non aëre nubes,
Pax cœlo est, terris pax quoq;, paxq; mari est.
I psæ etiam infernis lætatæ in sedibus umbræ,
Quiq; pij uates hæc fore prodiderant.
P er te igitur, diuina parens, humana salutem
Senserunt, per te ianua aperta poli est,

Aff-

A ffari & coràm licuit dominumq́; deumq́;,
Atq; ſubiſſe hominis membra uidere deum.
O uotis ſpes una pijs, ô dulce leuamen,
Præſidium & miſeris diua Maria reis.
I n cuius gremio uagiuit paruulus infans,
Arriſitq́; pio dulcis in ore deus.
B landaq́; materno ſuſpendit brachia collo,
Figens diuinis oſcula ſacra genis.
E t modò carpebat nitidis alimenta papillis,
Infantiq́; tuum lac bibit ore deus.
E t modò blanditias puerili expreſſerat ore,
Inq́; ſinu grata membra quiete leuat.
T u pia, tu uirgo non ulli obnoxia culpæ,
Non ullum caſto pectore crimen habes.
E rgo tu præſens noſtris ſuccurre periclis,
Subſidium & feßis proſpera rebus ades.
A ſpice nos, facilisq́; ueni pede diua ſecundo,
Et populi exaudi uota preceſq́; tui.
S it bellum peſtisq́; procul: pax candida nobis
Aßit, nec fructus terra benigna neget.

HYMNVS AD CHRISTVM redemptorem.

A Nnua iam redeunt patrijs ſolennia ſacris,
Et ſanctum referunt tempora certa diem.
L uce bona ſimul & pueri, innuptæq́; puellæ,
Et ſimul aßidua fœmina uirq́; prece,

S olennes celebrate aras, atq; ore fauete,
Omnia & æterno ſint operata deo.
P rodeat in Tyria ſpectandus ueſte ſacerdos,
Et chorus ornatas prodeat ante fores,
V elatiq; comas, albenti & tempora lino
Decantent laudes maxime Chriſte tuas.
T e ſors dura hominum generis, te cura laborum,
Immitem ſubijt mortis obire uicem.
D um trunco affixus, cuneo & traiectus aheno,
Senſiſti geminum uulnus utraq; manu.
S enſiſti fixas ferrato ſtipite plantas,
Horruit & capiti ſpina cruenta tuo.
E t caua mortiferum ſenſerunt ilia ferrum,
Vulnere manauit lympha merumq́; tuo.
Q uumq́; ſitim cuperes noſtra ſedare ſalute,
Torpuit arenti fellis in ore ſapor,
A tq; inter geminos crudeli ſorte latrones
Iudææ pateris iurgia ſæuitiæ.
D onec defeſſo decedens ſpiritus ore
Clamauit, quid me deſeris alme pater?
H inc manes, Stygiosq́; lacus, loca tetra ſilentum,
Inferniq; ſubis limina dura fori.
I nde pias animas, & cœlo digna ſecutas
Eximis, & superûm munera ad alta uocas.
T ertia lux aderat, roſeo quum lætus eoo
Surgis, mox uictor ſydera clara petis.
C onſortemq́; capis patrio cum numine curam

Dextra

Dextra tenens, dextro conſpicuusq́; loco.
Hunc igitur precibusq́; pijs, ſtudioq́; fideli
Placemus, noſtro det ueniam ſceleri:
Det pacem, mala cuncta procul, morbosq́; famemq́;
Pellat, & hoſtiles det ſuperare manus.

HYMNVS AD DIVVM Franciſcum.

Nimboſo quiſquis ſpeculans de monte ſacerdos
Franciſci felix rura, nemusq́; tenes,
Diuinumq́; colis tam ſancti carceris antrum,
Paruaq́; at ingenti tecta habitata uiro.
Hic ubi nudus, inops, ſaxo uix tectus adeſo
Hiberno ſtatuit ſub Ioue ferre niues,
Humana expertus quantum patientia poſſet,
Duraq́; paupertas, propoſitumq́; tenax.
Atq; inter ſyluas, atq; inter luſtra ferarum
Efferret nomen maxime Chriſte tuum.
Quum uolucres cinxere uirum, pia uerba ſonantem,
Auritæ ante pedes & ſtupuere feræ,
Huc aures aduerte, neq; hæc mea dicta ſacerdos
Deſpice, ueridica quæ tibi mente feram.
Non auro ſplendente domus, gemmisq́; ſuperba,
Nec quæ Puniceo lana colore rubet:
Non centum uerſata iugis felicia campi
Iugera, nec Creſſo palmite diues ager:
Aut gregis innumeri fœtus, aut merce Sabæa

Niliaco rediens littore plena ratis.
Nec tam quæsiti multo sudore triumphi,
Subditaq; imperijs oppida mille tuis,
Felicem efficient, quamuis numerosa parentem
Stirps obeat, plenas exhilaretq; domos,
Quàm læta, & sanè paupertas conscia mentis,
Paupertas forti regna decusq; uiro.
Qua uel Achimenios luxus, regnumq; Phrahartis,
Exuperat uestri gloria magna patris.
Cui sæui cessere ignes, uictusq; refugit,
Qui capit aßiduo pectora nostra dolo:
Scilicet & fraudes, & noxia crimina uicit,
Eiecitq; animo turpe nefasq; suo.
Qui uarijs mandata dei uirtutibus implens
Inclyta militiæ signa decusq; ferat,
Labentemq; aciem Christi, pietate, fideq;
Sistat, & hostiles ense refringat opes.
Salue igitur patriæq; parens, duxq; optime gentis,
Quæ sacra pro Christi nomine bella gerit.
Macte animo Francisce, grauẽ qui primus in hostem
Irruis, & Christi munera uictor obis.
Vulnera Iudaico, qui quondam illata furore
Excipis, & precium est hoc tibi dulce datum.
Hæc gestata tibi sunt laurea serta triumpho.
Hæc spolia, hæc gentes, hæc tibi currus eunt.
Desino, nam leuius Libycæ numerentur arenæ,
Ocyus & medio quæ salit alga mari.

HYMNV

HYMNVS AD DIVVM Dominicum.

SOl oritur, uenit ecce dies, cape thura sacerdos,
Cultaq; diuino carmine templa sonent:
Araq; Tyrrheno niteat uestita paratu,
Fumet odorato myrrhaq;, thusq; foco.
Vos castas adhibete preces: nam castus & ipse
Dominicus: casto sint sacra casta uiro.
In quo num pietas, an iustæ conscia mentis
Simplicitas, dubium est, sit prior an'ne fides.
Cuius inhæserunt humeris labentia Petri
Culmina, & immoto corpore sistit opus.
Optimus assertor Christi, sed quo neq; maius
Hesperia, aut melius Corduba docta dedit.
Ac ueluti numero stellas comprendere non est,
Quantaq; in oceani littore arena iacet:
Sic neq; Dominici laudes æquare canendo,
Concipere humano nec queat ore sonus.

HYMNVS DE CHRISTO ad Paridem Ferrariensem.

QVòd uarios pelagi casus, cœliq; procellas
Exuperas, nanti quòd data terra tibi est,
Oceaniq; minas, & sæua pericula uincis,
Ac sospes patrio redderis Eridano:
Hæc Pari non ars ipsa hominũ, aut sollertia præstat,
Non labor, at summi cura paterna dei.

Quantula enim nostra est industria? cede periclis,
Cede mari, Christi ni pia dextra iuuet.
Ille regit nostros cursus, auramq́; ministrat,
Sollicitæq́; offert littora tuta rati.
Quare age thure pio, flammisq́; liquentibus aras
Ipse adole, & plena fumet acerra manu.
Adstet conspicuus Tyrrhena in ueste sacerdos,
Et peragat patrijs mystica sacra modis.
Pax homini, tibi Christe decus, tibi gloria soli,
Vera dei proles, uerus & ipse deus.
Te colimus, tibi diuinos largimur honores,
Et nomen felix ducimus esse tuum.
Tu casus, tu damna leuas, tibi munera terræ,
Et tibi se fontes, se tibi debet aqua.
His igitur placare deum, superosq́; memento,
Et sua cum pura soluere uota prece.
Nil auro diuis opus est, sed mente fideq́;,
Hæc nos una homini copulat, illa deo.

ALFONSVS CALABRIAE DVX diuo Georgio trophæum erigit, ob superatos ad Hydruntem Turcas.

Hæc tibi capta manu Turcæo ex hoste Georgi
Dedicat Alfonsus, quæ tibi uota refert,
Arcumq́;, & pharetras, ferrato & pondere clauas:
Ensesq́;, & clypeos, telaq́; abacta uiris.
Accipe bellorum deus, armorumq́; magister,
Annua quæ aurato munere persoluam.

IDEM

IDEM ALFONSVS OB RECVPE-
ratum regnum Neapolitanum, ac rebus
procerum compositis.

Alfonsus dicat hæc uictor tibi diue Georgi,
Quòd patri & patriæ libera iura refert,
Quòd post compositos proceres, quòd pace recepta,
Et regni, & patriæ munera constituit.

AD AMICOS HIEROSOLY-
mam proficiscentes.

Nec mihi Iudæas urbes, Solymumq; recessum,
Nec spes Bethlemium est posse uidere larem:
Quæq; meo prima est animo mentiq; uoluptas,
Turcaico certe est omnis adempta metu.
Quod possum, quum prima nouo se lumine tollit
Aurora, & terras detegit orta dies,
Tum lucem, lucisq; iubar, solemq; saluto,
Hæc loca quæ curru lustrat obitq; suo.
Illius & radios ueneror, qui rura nemusq;,
Et fontem Christi, dulciaq; arua uident,
Felicemq; locum, iacuit quo rector olympi,
Et quam diuino sanguine tinxit humum.
Hîc ubi crudeli traiectus brachia ferro est,
Fixit & immeritos cuspis adacta pedes,
Hausit & immeritum latus heu ferratile telum,
Diluit & fusus crimina nostra cruor.
At uobis qui longa uiri tranare paratis
Aequora, & in uarijs sistere uela uadis,

D irigat audacem cursum, Zephyrosq; ministret
Christus, cui parent sydera, terra, fretum,
V ictoresq; Palæstina uos sistat in arce,
Et patrium redigat sub ditione solum.
T unc ego sydereosq; duces, uictriciaq; arma,
Et parta insigni laude trophæa canam.
I pse deus mihi carmen erit, deus inclyta ducet
Signa, & cedentes proteret ense globos.
I pse alto inuectus curru sternetq;, ruetq;,
Dum cadat effosso flens Saladinus equo.
H æc ego: uos agite ite uiri, pugnate frequentes,
Et spolia Aßyrio ex hoste referte domum.

HYMNVS AD DIVVM AVgustinum Carthaginensem.

DEt monstra infelix tellus Massyla, det angues,
Et Libycas pariat Punica terra leas,
A rejcant sitiente solo Nasamonica tesqua,
Funditet & nullas gleba Libystis aquas:
D um tamen Augustine tuos non deneget ortus,
Læta sit & partu Cinyphis ora tuo.
V nde illi inuideant & felix Lydia, & arua
Quæ rigat auriferis lucidus Hermus aquis.
I nuideat latis audax Germania terris,
Diues aquis, populis diues & ipsa suis.
N il etenim Augustine tulit te te Africa maius,
Cuius ab ingenio creuerit alma fides.
P er te relligio Christi stetit integra, per te
Diuina

Diuinæ legis mystica operta patent.
Tu secreta dei pandis, tu tradita patrum,
Et uerum, & pietas manat ab ore tuo.
Et pater, & patriæ princeps, & maxime rector,
Accipias uoces diue benigne meas.

HYMNVS AD DIVVM
Benedictum.

HVc ades ô Benedicte, meos neu despice cantus,
Huc ades Orphea diue canende lyra.
Vre puer costum Aßyrium redolentibus aris,
Vre & odoratis plurima thura focis.
Digne senex populi precibus, uotisq́; potentum
Digne senex, aræ cui sacra mille parent.
Mille canant, pater euge pater Benedicte, tibi omnis
Turba, chorusq́; omnis cantitet, euge pater.
Hic uel mille aras tibi maxime Christe dicauit,
Mille arces, mille & mœnia, mille tholos.
Primus & hic Italæ posuit sacraria genti,
Et clausit sacros mœnia in una choros.
Huic & sæuities conceßit barbara, & hostis
Armatus miti uictus ab ore uiri est.
Totq́; uirûm ductor, & tantis inclytus actis
Prostratus geminos corruit ante pedes.
Quid maius radians uidit sol? & tibi plausit
Christus, & è cœlo nuncia signa dedit.
Instaura iam thura puer, cane sancte sacerdos:
Ingeminent laudes tympana pulsa nouas.

IOAN. IOVIANI PONTANI HENDECASYLlaborum, seu Baiarum lib. I.

MVSAM CATVLLI INVOcat, tum Hendecasyllabos alloquitur, & Marinum monet, ne eos comites in balneas secum ferat.



NIgris Pieri quæ places ocellis,
Et cantum colis, & colis choreas,
Nigris Pieri grata dis capillis,
Formosæ quibus inuident Napææ,
Dum gratos prope Sirmionis amnes
Et crinem lauis, & comam repectis,
Ne tu Pieri, ne benigna desis,
Dum lætis salibus sonante plectro,
Alterno & pede balneas adimus.
Huc huc Hendecasyllabi frequentes,
Huc uos quicquid habetis & lepôrum,
Iocorum simul & facetiarum,
Huc deferte, minutuli, citiq;.
Quod uos en precium, aut manet uoluptas?
Inter lacteolas simul puellas,
Inter molliculos simul maritos,
Ludetis simul, atq; prurietis,
Dum tractat tumidas puer papillas,

Contrectat

Contrectat tenerum femur puella,
Tractat delicias suas maritus,
Tentat delicium suum puella,
Et ludunt simul, & simul fouentur
Lassi, languiduliq́ꝫ, fessuliq́ꝫ.
Tunc uos Hendecasyllabi beati
Quot, quot oscula, morsiunculasq́ꝫ
Quot, quot enumerabitis duella?
Quot suspiria, murmura, & cachinnos?
Quum furtim liceat sopore in ipso
Contrectare papillulas sinumq́ꝫ,
Occultam & femori admouere dextram.
Hos tu sed comites Marine uita,
Baianis quotiens aquis lauaris,
Tuas ne Veneres, libidinesq́ꝫ,
Et lusus referant salaciores,
Sis & fabula, quòd senex, salaxq́ꝫ,
Et thermas quoqꝫ balneas & ipsas
Infames nimio supinus usu.
Hanc laudem potius tuo relinque
Compatri, chorus hunc puellularum
Incanum sequitur: colunt sed illæ
Non annos ueteli, senis sed aurum.

PVELLAS ALLOQVITVR, ADmonẽs quid seruare in balneis debeant.

Quæ dulceis modò balneas petistis,
Et corpus calidis aquis fouetis,

I neptè facitis nimis puellæ,
I neptè nimium, parumq; recte,
Quòd solæ sine amantibus lauatis,
Quòd corpus sine amantibus fouetis.
Quare consilium senis probati
Et rectum capite, et probum bonumq;.
Gaudet blanditijs Amor, iocisq;,
Amplexus petit, osculis fouetur.
Res est mutua, mutuus Cupido.
Odit tristia, solitudinemq;.
Quid solæ sine amantibus lauatis?
Quid corpus sine amantibus fouetis?
Curas pellite solitudinemq;:
Ite in gaudia, mutuos fouete
Amplexus, sine amante mutuum nil.
Quare nec sine amantibus lauate,
Nec corpus sine amantibus fouete.
Intratis calidas, uocate amantes,
Intrastis calidas fouete amantes.
Sint hæc mutua, sed nec ipsa muta.
Amplexus cupidi loquantur ipsi,
Iniectæq; manus loquantur ipsæ,
Et dens blandulus, ebrijq; ocelli,
Sonent oscula, personent cachinni,
Vincant murmura Cyprias columbas.
Hanc legem statuit Venusq;, Amorq;,
Hanc legem sibi balneæ edidere:

Ne solæ sine amantibus lauate,
Ne corpus sine amantibus fouete.

DE BATHYLLA PVELLA in balneis.

Baianas petiit Bathylla thermas.
Dumq; illi tener it comes Cupido,
Atq; unà lauat, & fouetur unà,
Dum molli simul in toro quiescit,
Ac ludos facit, improbasq; rixas,
Sopito pueroq; lassuloq;
Arcum surripuit Bathylla ridens.
Mox picta latus instruit pharetra,
Et molles iacit huc & huc sagittas.
Nil ô nil reliquum miselli amantes,
Nil his impenetrabile est sagittis.
Heu cladem iuuenum, senumq; Baias.

AD HERMIONEN, VT PAPILLAS contegat.

Prædico tege candidas papillas,
Nec quæras rabiem ciere amantum.
Me quem frigida congelat senecta
Irritas malè, calfacisq;. Quare
Prædico tege candidas papillas,
Et pectus strophio tegente uinci.
Nam quid lacteolos sinus, & ipsas
Præ te fers sine linteo papillas?
An uis dicere, basia papillas?

Et pectus nitidum suauiare?
Vis num dicere, tange, tange, tracta?
Tene incedere nudulis papillis?
Nudo pectore téne deambulare?
Hoc est dicere, posce, posce, trado:
Hoc est ad uenerem uocare amantes.
Quare aut contege candidas papillas,
Et pectus strophio decente uinci,
Aut, senex licet, inuolabo in illas,
Vt possim iuuenis tibi uideri.
Tithonum Hermione tuæ papillæ
Possunt ad iuuenis uocare munus.

AD MARINVM TOMA-
cellum de lege balneorũ uirgi
nibus dedicatorum.

His uirguncula thermulis lauetur,
Nullam quæ Venerem integella sensit:
His se balneolis lauet puella,
Nullum quæ tetigit uiri cubile:
Hoc se fonticulo eluat sacerdos,
Nullæ quam recreent amoris auræ.
Quòd si qua laticis sacri pudorem,
Et castum temerarit ausa fontem,
Iratæ timeat minas Dianæ.
Hæc lex est tabulæ deæ dicatæ,
Vis hæc thermuleæ dicationis.
Squalent hîc latices Marine sacri,

Et

Et serpunt hederæ deæ sacello.
Nullæ his uirgineis aquis lauantur,
Nec casta est, quoniam nec integella,
Seu uirguncula, seu puella, siue
Custos Romulei foci sacerdos.

AD MARINVM
Tomacellum.

Salaces refugis Marine Baias,
Et fontes nimium libidinosos,
Quid mirum? senibus nocet libido.
An non ô Tomacelle uina prosunt?
Et prodest senibus liquor Falernus?
Et prosunt latices Thyoniani?
An non & senibus Marine somnus,
Et prodest requies? soporq; prodest?
Baijs somniculosius quid ipsis?
Quid thermæ, nisi molle, lene, mite,
Roranteis cyathos, merumq; poscunt?
Senum delicias, iocos seniles?
Senex ad calices iocatur, idem
Ludit ad cyathos, senile uinum,
Senilis sopor, & quies senilis.
Huc huc en propera Marine, uerum
Huc ipsis sine testibus uenito,
Et lumbis sine: nam quies senile est,
Libido iuuenile: siccitasq;,
Et tecum ueniat sitis, fidelis

E t senum comes, atq; balneorum.
P ergratè accipiere, siccitasq́;,
A tq; unà sitis accubabit: ipse
M iscebo tibi poculis minutis,
I demq́; è uario frequens Lyæo.
H oc ætas iubet hæc, sodalitasq́;,
H oc & balnea, sicculæq́; arenæ.

BALNEAE LOQVVNTVR.

N ostrum si titulum puella nescis,
H ic est: prægrauida recedet aluo
Quæ uenit uacua: hoc habet tabella.
Quod uero officium tuum, meumq́;,
Quæ partes, moneam: uirum ipsa tecum
A dducas ualidum, ioci peritum,
C ui telum uiride, & uirens iuuenta.
N ec tu defueris comes iocanti,
A ut ore aut femore, aut manu iocis'ue,
N anq; & balnea mutuum requirunt.
Nunc ad me uenio, meumq́; munus
Quod sit subijciam: tibi senex uir
S i sit, nec ualidus, nec ore gratus,
N ec aptus thalamis, toriue rebus,
M ox tibi iuuenis, decens, ualensq́;
Qui sit substituam, salaciorq́;
V erno passere, & albulis columbis.
C ui rubro caput horreat cucullo.
H æc uis est tabulæ, uigorq́; fontis.

Quare

Quare si sapies Marine, quum sis
E ffœtus, fugies repente Baias,
V ites balnea, myrteumq; littus,
E lumbis, tremulus, macer, senexq;.
S etosum Hectora balneæ requirunt.

AD DEIANEIRAM puellam.

C ur ô Deianeira, cur moraris
A uroram cupidis referre terris?
C ur non lumina, petulosq; ocellos
I n lucem exeris? ac diem reducis?
P ellit sol radijs suis tenebras,
E t lucem pariter diemq; reddit.
T u lucem referens tuis ocellis,
P ellas tristitiam, & graueis dolores,
E t curas abigas benigna amantum.
E t quod sol radijs, id ipsa ocellis
P ræsta Deianeira, amantibusq;,
E t lucem pariter, diemq; redde.

AD PETRVM COMPAtrem Neapolitanum.

Quod cani tibi Compater capilli,
E t toto capite albicant pruinæ,
A mplexus fugiunt tuos puellæ,
unxisse & femori femur recusant,
Quod nec carminibus suis Apollo,
N ec blandis redimet iocis Thalia.

Quænam, quæ tibi Compater miselle,
Quæ uita, aut quis erit modus querenti?
Hic est quem teneræ timent puellæ,
Quem cultæ fugiunt nurus, amorq́;
Omnis undiq;, & undecunq;, & usq;,
Vsq;, & undiq;, & undecunq;, & usq;
Omnis horret amor, uenusq́;, hymenq́;.
Sed nil sit tibi Compater molesti,
Nec canos, celerem aut time senectam,
Sed tristeis animo repelle curas.
Quod nec carminibus suis Apollo,
Nec blandis numeris dabit Thalia,
Id nummus dabit aureus petenti,
Vel te ut lacteolæ petant puellæ.
Quæ tum, quæ tibi Compater beate,
Quæ uita, aut quis erit modus iocanti?
Hic est quem roseæ uolunt puellæ,
Quem cultæ cupiunt nurus, amorq́;
Omnis undiq;, & undecunq;, & usq;:
Vsq;, & undiq;, & undecunq;, & usq;
Omnis ambit amor, uenusq́;, hymenq́;.
Felix canities, senecta felix,
† Arca cui nitet aureus capillus,
† Horto cui riget aureus priapus.

LAETATVR DE REDItu Francisci Aelij.

E roma meus Aelius reuisit

Dulcem Parthenopen, lares paternos.
O lucem niueam, diemq́; faustum.
Antiquum uideo, & bonum sodalem,
Et charam teneo manum, fruorq́;
Gratis colloquijs, fruor cachinnis,
Et lætis salibus, facetijsq́;.
O uerè niueum diemq́; faustum.
Quid non pro reduci libens amico
Persoluam? puer, i, uoca sodales
Albinum, Elysiumq́;, Compatremq́;,
Et dulcem Altilium, bonum Marullum,
Ad cœnam ueniant, bibamus uncti,
Vncti, permadidi, atq; lippientes.
Albinus numerum nouem sororum,
At monstra Herculea ebibat Marullus,
Bis septem uolo Compater puellas
Iunonis, uolo quot deæ marinæ
Cinxerunt niueæ latus ministræ,
Quum Troiam peteret misella mater.
Ducet Altilius ciens coronam,
Saltans Elysius bibat, quot olim
Didonis famulæ penum struebant,
Dum cœnam profugo parat marito.
Me tot pocula, totq́;, totq́;, totq́;,
Tot me pocula iuuerint bibentem,
Tot carchesia lauerint madentem,
Quotquot dij simul & deæ biberunt

Ad mensam Oceani patris uocati,
Aut quot, dum illa canit, senex Homerus
Siccauit calices, releuit obbas.
Dulce est, ob reducem madere amicum.

AD ACTIVM SYNCERUM SANNAZARIUM.

Quid cantus Siculæ iuuent auenæ?
Quid cantor Meliseus? aut amanti
Prosint Partheniæ tibi myricæ?
Aut quid capreoli, decem'ue mâla?
Albo capreoli liti colore,
Aureo mâla tibi? quid, ô quid Acti
Prodest aut gemitus tener columbæ?
Aut quid sibila murmurantis Austri?
Quare ô Mænalium nemus relinque,
Atq; istas Amaryllidas, Tebennæ
Cultrices gelidæ, aridi & Tanagri;
Et Baias pete, myrteumq; littus,
Et littus cole, myrteasq; Baias.
Hîc fas est iuueni, hîc licet puellæ
Certatim teneros inire lusus,
Hîc & basia, morsiunculasq;
Surreptim dare, mutuos fouere
Amplexus licet, & licet iocari
Impune ad cyathos, choros, lucernas.
Baianæ hoc statuunt lauationes.
Hic seni liceat mihi duella,

Rixasq;

R ixasq; & iuuenum & puellarum
A d pacem lepidam & iocum uocare,
M iscere & lacrymis iocos, iocisq;
R ursum lacrymulas: queretur Hyble
D emorsam sibi lingulam: licebit
H ylæ purpureum proci labellum
I nsignisse nota: dolebit Aulus
N egatum sibi basium: licebit
T riplex basiolum dedisse amicæ.
I rata est quoties Lyco Lycinna,
P ossum compositas nouare leges,
P ossum fœderibus ligare amantes,
V t cœnent pariter, lauentur unà,
A tq; uno simul ut toro quiescant,
C oniuncto & simul ore suauientur,
E t somnos agitent quietè ut unà.
H as & delicias, & hos lepôres
P ræstabunt tibi balneæ salubres,
B aianiq; dabunt tibi recessus,
V t dicas, Siculæ ualete auenæ,
N imboso & ualeat Tebenna monte:
M e me balneolæ beent beatæ,
N am Baias homines colunt, deiq;.

VXOREM AC LIBEROS
inuitat ad diem natalem celebrandum.

D ulces filiolæ, paterni ocelli,

D ulcis nate, patris tui uoluptas,
E t coniunx, requies senis mariti,
M ecum templa pijs adite uotis.
N atalis meus est, deos rogate,
A tq; hunc atq; alios agamus annos
F austo sydere, candidis lapillis,
D um charos mihi redditis nepotes,
Q ui blanda oscula, balbulasq; uoces
I ncompto simul ore blandiantur,
A rguto simul ore suauientur.
M ox conuiuia uillula propinqua
S ecuris animis, dolore pulso,
N octurnas ineamus ad lucernas.
H îc patri liceat seni Falernum
D iffusum cyatho minutiore
R oratim ingeminare ter quaterq;,
D um lassos oculos sopor recondat.
At uos quîs pudor eripit Lyæum,
N atiuaq; sitis leuatur unda,
D ulci intingite melle cinnamoq;,
H æc sunt pocula uirginis Dianæ,
S i quando ad superûm dapes uocatur.
T u myrtum foribus, rosamq; mensæ
A ppone, & uiolis humum colora,
R esperge & Cyprio domum liquore,
N ec desit lyra, eburneusq; pecten,
Q ui gratas Genio citet choreas,

Et dulces Genium decent choreæ.
Hunc uos, hunc hilares rogate, mentem
Det recti cupidam simulq; honesti,
Permittatq; alia à deis regenda.

AD ARIADNAM VXOREM.

Vxor deliciæ senis mariti,
Et casti thalami fides, amorq;,
Per te uel uiridis mihi senecta est,
Quem curæ fugiunt senem seniles,
Qui seram supero senex senectam,
Et canus iuuenum cano furores.
Sed tanquam redeat calor iuuentæ,
Et sis cura recens, amorq; primus,
Et primus furor, impetusq; sæuus,
Antiquas uolo suscitare flammas.
Qualis floridulo nitens in horto
Nondum puniceas comas reclusit,
Etiam puniceas comas recludit,
Acrarum decus explicare quærit,
Quæ læto rosa ramulo refulget:
Talis purpureis genis, & ore,
Vt quæ non tenerum capit maritum,
Sed iam iam tenerum cupit maritum,
Cui prima oscula dedicet, suumq;
Florem uirginei dicet pudoris,
Suspirans uiduo puella lecto,
Fulgebas mihi, primulosq; amores

S pirabas oculis, ſinuq́; blando
A fflabas Arabum ſuos odores,
F undebas Charitum ſuos honores,
E t lætum Gnidiæ deæ nitorem.
Qualis fulgidulo renidet ore
Quæ cano uehitur decora cycno,
Q uum compſit caput, & coma repexa
P rocedit thalamo, nouosq́; amores,
E t nouas parat excitare flammas,
S pirant omnia, quà comam reflectit,
S plendent omnia quà reflectit ora.
T alis quà niueos pedes ferebas,
E t quà ſplendidulos moues ocellos,
E t quà per uacuum reflectis ora,
S pirabas Cyprios, tuosq́; odores,
S tillabas Syrium, & tuum liquorem,
O mnisq́; ambroſiam refragrat aura.
Qualis de croceo toro reſurgens
M anè aurora nigras repellit umbras,
Quum lucem ſimul, & diem reportans
I rrorat teneros benigna flores,
E t ſpargit uarios humi colores,
R ident prata, canuntq́; murmurantq́;
E t fontes, uolucresq́;, ramuliq́;.
T alis de thalamo uocata, quando
A d molleis thyaſos uenis, canisq́;,
P ellis triſtitias, metus, dolores,

Rixas,

R ixas, murmura, turbidos tumultus,
I rrorans animis quietem, amores,
L udos, lætitias, iocos, lepores,
L usus, gaudia, candidamq; pacem,
E t spargis ueneres, cupidinesq;.
R ident omnia, & aërem serenas,
E t qui te iuuenis uidet, senexq;,
E t quæ fœmina, seu uidet puella,
O ptatum cupiunt tibi maritum,
F elices tibi nuptias precantur.
T unc ut de tenui solet fauilla
C rescens igniculus, focum repente
F lammis corripere, aridisq; lignis
Quodcunq; adijcies edit, uoratq;:
S ic me de tenui leuis fauilla
C onceptus calor, & nigris ocellis,
I mas corripuit uorans medullas.
V rebat roseus per ora fulgor,
V rebat niueus per ora candor,
V rebat coma, myrteus capillus,
V rebat tumidis latens papillis,
M ox cursans amor huc, & huc, & illuc,
E t per guttura, per genas, manusq;,
E t per candida colla, perq; frontem,
E t per pectora, candidosq; denteis,
V t iam non amor is, sed ignis esset,
Qui seram quoq; calfacit senectam.

AD BATHYLLAM DE Amaraco colenda.

Et mollem cole Amaracon Bathylla,
Et multo madidam foue liquore,
Et ſparſas digitis comas repone,
Atq; illas patulam reflecte in umbram,
Luſum & delicias tuæ feneſtræ,
Et rarum cupidi ſenis leuamen,
Dum te proſpicit hortulos colentem,
Tondentemq́; comas, ſimulq́; ramos
In conum docili manu prementem,
Miratur digitos, ſtupetq́; ocellos,
Et totus miſer hæret in papillis,
Frigensq́; æſtuat, æſtuansq́; friget,
Infelix ſimul, & ſimul beatus.
Felices ſed apes, nemus beatum
Quæ circumuolitant, leguntq́; flores,
Et rorem ſimul & tuos labores
In tectis reliniunt, liquantq́; nectar.
O qui Mopſopij liquoris auram,
Hyblæ & quæritis, & ualere Hymetum,
Hyblam & dicite mel Bathyllianum.
Ipſi quærite: ſordet Hybla, ſordet
Vertex Atticus, & liquor Panhormi.
Ite & quærite mel Bathyllianum.

AD BATHYLLAM.

Quum rides mihi baſium negaſti,

D um ploras mihi basium dedisti,
V na in tristitia libens benigna es,
V na in lætitia uolens seuera es.
N ata est de lacrymis mihi uoluptas,
D e risu dolor. O misélli amantes
S perate simul omnia, & timete.

AD ALFONSVM DVcem Calabriæ.

Charæ mollia Drusulæ labella
Quum Dux magne tuis premis labellis,
V no quum geminas in ore linguas
I ncludis simul, & simul recludis,
E ducisq; animæ beatus auram,
Q uam flat Drusula pectore ex anhelo:
C ui cedunt Arabi, Syriq; odores,
E t quas Idaliæ deæ capilli
S pirant ambrosiæ, quum amantis ipsa
I n molleis thalamos parat uenire:
D ic Dux maxime, dic beate amator,
N on felix tibi, non beatus esse,
N on uel sorte frui deûm uideris?
I dem quum tenero in sinu recumbis,
C omponisq; genas genis, manusq;
H æret altera collo, & altera illas
Q uas parteis pudor abdidit, retractas:
M ox post murmura, mutuosq; questus,
P ost suspiria, & osculationes,

I mis quum resolutus à medullis
D efluxit calor, & iacetis ambo
L aßi, languiduliq́; fessuliq́;,
I gnorasq́; tuó ne, Drusulæ'ne
T uus pectore spiritus pererret,
T uo an spiritus illius recurset,
V terq; an simul erret hîc & illic.
D ic Dux maxime, dic beate amator,
N on sordent tibi regna? sordet aurum?
N on unus tibi cœlitum uideris?
E t quum lacteolo sinu quiescens
F essus languidulum capis soporem,
C arpis dulciculum beate somnum,
N on fallor, tibi credo dormienti
O ccurrit Charitum nitens figura,
O ccurrit Veneris decora imago,
M iraris faciem, genas, capillum,
D enteis, oscula, lucidamq́; frontem,
N igra & lumina, petulos ocellos,
C olla & candida, uesculas papillas.
A t quum te placidus sopor reliquit,
R eliquit Charitum nitens figura,
R eliquit Veneris decora imago,
S ola & Drusula lectulo remansit,
Q uas somnus Veneremq́;, Gratiasq́;
O stendit tibi, quas quies sopora,
N on'ne his Drusula par tibi uidetur?

Vnamq́;

V namq; his tibi Drusulam referre?
D ic dux maxime, dic beate amator,
N on credis simul & deas dolere?
A tq; uni tibi & inuidere diuos?

SODALES INVITAT ad Martinalia.

Martini sacer est dies, abite
C uræ peruigiles, uenite somni.
Q uicquid sollicitum, recedat à me:
D ulces undiq; perstrepant cachinni.
H ac nil luce bibacius sit usquam,
N il his somniculosius tenebris,
S ed somnos pater excitet Lyæus.
F estina puer, i, Petrutianas
C ellas ictibus usq; uerberato.
I llas nam pater incolit Lyæus,
I llinc promitto quas uolo quietes.
C retensis fluat hinc & inde Bacchus,
H inc illinc liquor aureus falerni.
C ertent Maßica Cecubis racemis,
E t lenis Chios, & seuera Lesbos,
A c Vernacia Brutijs dyotis.
F undat regia Moro an Panhormus.
S ed nec Corsica, Barolumq; gratæ
B acchi deliciæ, aut madens Tarentum,
N on dulces mihi funditent lagenas.
M itte & Melphia, Clariana mitte,

Q

M uscatum mihi mittat hæc & illa.
R aros postulat hæc dies liquores,
N ardo non sine, myrteóq; rore.
T u Scalam pete non nouum sodalem.
D ic è scriniolo, sinuq; amatæ
V xoris, mihi Cyprios odores,
Z ebethi quoq; proferat liquores.
H eu quòd frigida me grauat senecta.
N on non hæc sine uimula puella
A biret mihi nox: adest Lyæus,
A dest lætitiæ pater: ualete
T ristes excubiæ: sopor uenito.
M isce nunc cyathos puer repostos.
S ic somni pater imperat Lyæus.

DE NVPTIIS IOANNIS
Branchati & Maritellæ.

Branchato Maritella copulatur.
D ulcis coniugij bonum sit omen,
S it felix simul & uiro & puellæ,
E t natis pariter nepotibusq;.
N ascatur similis puer parenti,
N ascatur similis puella matri,
G ratus Castaliæ puer choreæ,
G rata & Dulichiæ puella diuæ.
H æc nos coniugibus bene ominemur.
N unc qualis tibi sit futura pugna
B ranchate accipias, nouus maritus

Quum

Quum sis, & noua quum tibi sit uxor.
I ntras quum thalamum quiete prima,
N e statim uenias ad arma dico,
S ed blandis precibus, iocisq; blandis
P ertentes aditum, cachinnulisq;.
M isce his oscula, nunc petita blande,
N unc furtim tibi rapta, nunc negata,
Quæ per uim capias: nec erubescas
M ox ad lacteolas manum papillas
T ractans iniicere, ac subinde collo
I mpressum tenero notare dentem.
N ec non & tumidum femur latusq;
T ractabis niueum, manuq; leui
A d dulcem Venerem uiam parabis:
N am dulcis Veneris manus ministra est.
P ost blanda oscula, garrulasq; uoces,
D ulceisq; illecebras, iocosq; molles:
P ost tactus teneros, leuesq; rixas,
Quum sese ad cupidos resoluit illa
A mplexus, simul & timet, cupitq;,
T unc signum cane, tunc licebit arma
T otis expedias amice castris,
T elum comminus hinc & inde uibrans,
D um uulnus ferus inferas amatum.

DE FANNIAE LA-
BELLIS.

Si quæris Venerem, Cupidinemq;,

Dulcis Fanniolæ labella quæras:
Hîc ſedem poſuit ſuam Cupido,
Hîc lætas agitat Venus choreas.

LOQVITVR PVELLA fuſcula.

Quòd ſim fuſcula, quòd nigella, & ipſæ
Fuſco in pectore nigricent papillæ,
Quid tum? nox nigra, fuſculæ tenebræ,
Nocturnis colitur Venus tenebris,
Optat nox Venerem, Venus tenebras,
Et noctes Venerem tenebricoſæ
Delectant, pueri in ſinu locata
Luſus dum facit, improbasq; rixas.
Ergo his in tenebris latebricoſis,
His nos in latebris tenebricoſis,
Lecto compoſiti, quiete in una
Ductemus Venerem, toroq; uincti
Condamus tenebras, ſopore ab ipſo
Dum ſolis Venus excitet ſub ortum.

MORTEM SIBI IMPRECAtur ob zelotypiam.

Quis hæc, me miſerum, labella ſuxit?
Quis has, me miſerum, genas momordit?
Quis collo, ah miſerum, notas reliquit?
Quis, ah quis teneras ſacer papillas
Tractauit digitis? manuq; preßit?
Quis candentia gutture ex eburno

Accepit spolia? ore, dente, labris?
Quis felix animam beatus? udo
Quis de pectore rettulit saliuam?
Quis ô cætera? sed quis ah quis? eheu
(Me me iam miserum iuuat perire)
Quis stricto pugione pectus haurit?
Hic hic est dolor ense finiendus.

TVRTVRES ALLOQVITVR, sciscitans eas de amoris natura.

Quæ ramo geminæ sedetis unà,
Atq; unà canitis uagæ uolucres,
Unà & gutture luditis canoro,
Quum uobis amor unus, una cura,
Unum sit studium, & fidele amoris,
(Nostri nam uariant subinde amores)
Vos blandæ uolucres, amoris instar,
Exemplum fidei iugalis unum,
Quæ uis, obsecro dicite, est Amoris,
Tam constans malè, dissidensq; secum?
Nam si pascitur è calore, & igni,
Cur, ô cur miseri subinde amantes
Frigescunt simul, & tremunt? geluq;
Toto pectore sanguis obrigescit?
Sin est frigida uis, geluq; ab ipso
Horrescit simul omnibus medullis,
Cur, ô cur miseri subinde amantes
Uruntur tacito calore, & igni?

Toto & pectore sanguis ustulatur?
Quaenam haec tam uarians subinde uis, ut
Alternis calor imperet, geluque?
Vos ô dicite blandulae uolucres,
Exemplum fidei, atque amoris unum.

DE FVLGENTISSIMIS Lucillae papillis.

Quum molleis digitos, acumque miror,
Miror artifices manus, opusque,
Inter fasciolam, papillulasque
Obliquis oculis repente uidi,
Quid uidi? uideo? an uidere credo?
Sed certe uideo, en uidetis ipsi,
Pulchro è pectore, gemmeis papillis
Lucillae, radium refulxe solis.
Nox est conscia, quae repente luxi
Quaeque expalluit illico lucerna,
Ad quam tum digitos mouebat ipsa.
Quòd ni fasciolae, papillulisque
Admosset teneram manum repente,
Fulsisset roseus dies repente,
Fulsissent mediam diem tenebrae.
Fert Lucilla diem sinu corusco, &
Splendet pectore candicante solem.

AD PETRVM SVMMONTIVM.

Baianas petiit Neaera thermas,
Neaeram sequitur Venus, Cupido

I t matri comes, it Iocusq́; , Amorq́; ,
S uccedunt Charites, præit Neæra.
H æc acreis oculis iacit sagittas,
I ncensas Venus excutit fauillas.
A t suspiria suscitat Cupido.
C it curas teneras Iocus, leuesq́;
E t risus mouet, & serit lepôres.
T orquet spicula, tendit acer arcum
I nnitens Amor, hucq́; , & huc, & illuc
S pargit uulnera, funditat uenenum.
A t blandæ Charites canunt, leuantq́;
C uras sollicitas, linuntq́; plagas,
M iscent & lacrymis iocos. Neæra
I psa inter Veneres Cupidinesq́;
I ncedit dominans, regitq́; eunteis,
E t legem statuit deis deabusq́; .
O felix, mihi crede Petre, felix,
C ui formosa Neæra, cui Cupido,
E t Cypris fauet, & fauent Amores,
C ui blandæ Charites parant choreas,
E t motus numeris, modosq́; miscent.
O felix iterum, & quater beate
S ummonti, tibi lacteæ puellæ
P rætendunt teneros sinus, Neæra
P ræfert oscula, mordicat labella.

DE ALTILIO.

Comptis Altilius placet puellis,

I ncomptæ Altilio placent puellæ,
I ratam quia ſecerit Dionen.
C ano candidior puella cycno,
Q uam totis amor inſidens medullis
F ulgentis pueri uſſerat calore,
O blatum ſibi dum ſuauiari,
D um leui cupit hinc & inde collo,
V traq; & ſimul implicare palma,
H ic trux Altilius reflectit ora,
E t dextra cupidas manus repellit,
A c uerbis ferus improbis minatur.
T unc illa in miſeros abit dolores,
E t largus cadit imber ex ocellis,
T orpent pectora, mensq́;, corculumq́;,
S emi & mortua lectulo recumbit
V ltricem in puerum imprecata diuam,
I ncomptæ Altilio hinc placent puellæ.

DE MARVLLI AMORIBVS.

Muſæ, quas adamet meus Marullus,
A ut ſi quæ redament meum Marullum,
M uſæ dicite, nanq; amare certum eſt.
N oſti delicias puellularum,
N oſti quæ ueneres, cupidinesq́;
A rgutis iaculatur ex ocellis.
Quæ ſpirat caſiam, cinnamumq́;,
M iniſtrat pharetram, facesq; Amori
P ulchro pectore dia Septimilla,

Haec illa est quam adamat tuus Marullus,
Quae contrà redamat suum Marullum.
Felix copula, mutui calores.

DE AMORIBVS FRANcisci Caracioli.

Quid Caraciolus meus sodalis?
Quid Franciscus agit meus? calet ne?
Quid ni? cui tener ignis usq; & usq;,
Vsq; & mollibus ardet in medullis,
Vsq; & fulgidulis micat fauillis.
Crudelis pueri impias sagittas,
Immanem pharetram dei minacis.
Absens uritur hic amans misellus,
Absenti rapitur misellus igni,
Ardenti miserè ustulatur aura.
At trux Harmosyne faces ministrat,
Et ridet simul, & dolet querentem,
Promittit simul & negat roganti.
O quàm difficiles, grauesq; amores.
Sed tu si sapies meus sodalis,
Cõtemne Harmosynas, Myrosynasq;,
Et dulceis tibi quaere Posthumillas.
Ad quas tu uenias meridiator,
Et nocturnus eas, eas diurnus.
Cum quîs in socio toro quiescas,
In quarum tenero sinu recumbas
Optatos capiens simul sopores.

Post gratam Venerem, leuesq́; rixas,
Quum sese improbulus remisit ardor,
Languent corpora, succiduntq́; ocelli,
Ecolloq́; graues cadunt lacerti,
Et mutæ reticent in ore linguæ.
Tum felix, mihi crede, tum beatus,
Tum luces tibi fulserint serenæ,
Tum noctes tibi luxerint beatæ.
Quærunt ludere, non dolere amores.

AD STELLAM
puellam.

Dum furtim mihi das, negasq́; ocellos,
Opponisq́; manum, simulq́; rides,
Post hinc & uariat color per ora,
Et suspiria lassa sentiuntur,
Stillatim mihi corda deliquescunt,
Sudor tempora frigidus pererrat,
Et paßim tremor oßibus uagatur,
Vt sensus animum repente linquant,
Vt fiam miser & beatus unà.
Sed iam plus solito nitescit aër,
Iam lux candidior diem serenat.
Cur, ah cur tenebræ repente nobis
Cur nox exoritur? nigrescit aura?
An sentis miser, an misella sentis?
Stella est ad speculum, refulsit in te,
Solem lumina uicta pertimescunt.

O claras

O claras medio die tenebras,
O lucem sine nube nigricantem.

DE MARVLLI MVnusculis.

Misit caseolos mihi Marullus,
Cumq; his versiculos uenustiores.
Quales Mænaliæ canunt puellæ,
Và quum gelido lauantur amne:
Quales Aoniæ canunt sorores,
Quum lætas agitant simul choreas.
Par est uersiculis referre uersus.
Quid pro caseolis referre par est?
Oranda est mihi blanda Septimilla,
Vt pro caseolis uelit referre
Centum basiola, & Catulliana:
Centum suasiola, atque Lesbiana.

AD CHARITEVM.

Sunt gratæ in tenebris faces, in æstu
Afflatus leuior recentis auræ,
Defeßis sopor, instrepentis undæ
Languenti sonitus, sitiq; preßis
Stillans è patera fluente lympha,
Est grata & senibus quies, merumq;.
Nec ægro iuueni sopor, nec aura,
Nec riuus strepitans, quies, merum'ue
Aufert tristitiam, aut leuat dolores:
Sed risus teneræ procax puellæ,

P etisq; ex oculis remissa flamma,
A fflat quæ uenerem q; gratiamq;,
S ed dulces recreant lepôris auræ,
E t molles choreæ, & modi canori.
F elix Endymion suopte somno.
N on curæ uigiles amoris illum
T orquent, sollicitudo nec diurna,
N on suspiria, garruli ue questus:
Q uem cœlo dea dum petit relicto,
D um Latmon petit, & suos amores,
T itillat placido toro iacentem:
S opito illecebras facit, iocosq;,
S opiti immoritur labris, genisq;,
P arcit sed placidæ tamen quieti.
A t te balneolæ tuæ bearunt,
B eauit Veneris sopora myrtus,
B earunt Charites deæ ministræ,
E quîs ô Charitee nomen hauris.
H æ dum balneolis frequens lauaris,
D um myrtos canis, & canis Dionen,
E t Lunæ reuocas per ora nomen,
I llam composito toro locarunt,
E t lætam gelida stetêre in umbra,
E ffulsitq; nouo decore Luna,
A c nudis iubar extulit papillis.
C uius roridulo è sinu beatæ
S pirabant rosei liquoris auræ.

Cuius de teneris fluens labellis
Stillatim ambrosiæ liquebat humor,
Quo myrtos ubi, lectulumq́; & ipsum
Afflauit, Zephyrumq́; ab ore ciuit,
In te delicias suas refudit,
Refudit Cyprium, & Syrum liquorem,
Ac tecum uiridi iocosa in umbra,
Tecumq́; Aßyrio beata lecto,
Ludit Idaliæ iocos palæstræ,
Et tecum placida cubat quiete.
Felix balneolum lauante Luna,
Felicesq́; dea iocante myrti,
Felix lectule lusitante diua,
Felices Chariteo amante Baiæ.

AD MASIVM AQVOSAM.

Ne tu, ne pete balneas Aquosa.
Quin molles iubeas ualere Baias,
Et littus madidum, ebriosq́; fonteis,
Nil illis petulantius lacunis,
Infractum magis, impudentiusq́;.
O iam iam pete balneas Aquosa,
Et littus tepidum, & lacus salubres,
Nil Baijs moderatius seueris,
Ad quas Palladius chorus migrauit,
Migrauit studium pudoris omne,
Migrarunt simul Attici lepôres,
Atq; artes itidem bonæ migrarunt.

H is postquam Hippolyte lauauit undis,
Quam Musæ erudiere, comitasq;
F ouit Mopsopio sinu decorq;,
A tq; unà pudor arte temperarunt,
E t uirtus numeros suos per omnes
E xornans, solio suo locauit,
R eddentem populo, patriq; iura.
H inc mores dominæ sequuntur undæ,
V t nil sit mage balneis seuerum,
N il Baijs moderatius sit ipsis.
Quocirca cole balneas Aquosa,
E t littus medicum, atq; aquas salubres,
Quas & Pierides colunt puellæ,
Quîs & se Cicero Maroq; lauit,
D um hic Anchisiaden canit uagantem,
I llic Socraticos refert libellos.

DE ALFONSI DVCIS CALA
briæ, & Albini munusculis.

Nolo caseolos Ducis tenacis:
V ani caseoli Ducis ualete:
D ucis caseolos nihil moramur:
D ucis caseoli ualete, abite.
A lbini uolo dona liberalis.
A lbinus mihi carduos Sicanos,
A lbinus mihi salsulas oliuas,
A lbinus mihi mella, saccarumq;,
Quin & fasciculos dedit rosarum,

Promisit

P romisit quoq; Cyprios odores,
M issurus quoq; myrteos liquores.
V ani caseoli Ducis ualete:
N il iam caseolos Ducis moramur.
A lbini uolo dona liberalis,
A lbinum faciles ament puellæ,
A lbino faueat Venusq;, Amorq;.
A lfonsum tetricæ doment puellæ,
A lfonso noceat Venusq;, Amorq;:
S int & Drusula, Drusulæq; ocelli
I rati nimis atq; sæuientes,
E t cepas simul alliumq; ructet,
S i quando ad thalamum uocabit illum.
P rofessus dare qui mihi recusat
P aucos caseolos, inane donum.

IOANNIS IOVIANI PONtani Hendecasyllaborum, seu Baiarum, liber II.

AD MARINVM TOmacellum.


T fonteis calidos amant Camœnæ,
E t Musæ calidis aquis lauantur,
E t Musæ placidos colunt recessus,
E t dulceis numeros amant Camœnæ,
E t Musæ choreis, choris Camœnæ

T raducunt rapidos per antra soles,
E t soles rapidi tepent per antra,
D um Musæ placidas agunt choreas,
D um molleis agitant choros Camœnæ.
N obis tristitiæ, grauesq; curæ
M ulcendæ numeris Marine, & inter
L udendum cyathos: bene ominemur:
P ax est Italiæ futura: pacem
E t uina, et choreæ, et Venus sequũtur.
H ac & balnea lege sunt colenda.
A ßitis Charites seni iocanti,
A ßis Sirmio ô insularum ocelle,
A ßitis cineres Catulliani,
C antu dum senium leuo molestum.
N e tu, ne calidas Marine thermas
I ntres cum tenera senex puella.
N il habet socium senex puellæ:
A sene omnimodis puella differt.
P ro thermis pateræ, & merũ: lagena
A stet pro tenera tibi puella,
A stet Melphiaci cadus Lyæi.
T hermæ nam iuuenes decent: tabernæ
L enææ inualidos senes. Is ipse es
A rens, frigidulus, minutulusq;,
C ui pendet cucumis, rigentq; uenæ,
Quæ Bacchum sitiant madentiorem.
A mabo puer, hos minutiores

Irrora

I rrora calices: Marine sume.
N am quotquot calices tibi propinas,
T ot diuos facies tibi propinquos.
H æ sunt deliciæ, hæc senum uoluptas.

AD ELYSIVM GALLVTIVM.

Blandis uersibus Elysi iocamur,
B landis concinimus sonis amores,
E t blandis animum modis leuamus.
M irum? blandus Amor, Cupido blandus,
E t blandus iocus est, leposq; blandus,
S unt blandæ & Charites, Venusq; blanda.
B landis templa deûm sonis adimus,
E t blandis precibus Iouem precamur.
L ux blandissima temporum magistra,
V ale sæue rigor, seueritasq;,
V ale durities Catoniana.
N il, blandum nisi, quæritat uoluptas.
T e te si mihi, chara Fanniella,
I n molli sociam dabis cubili,
I n nostro uenies sinu fouenda,
S ic isthæc tibi suxerim labella,
S ic istas tibi suxerim papillas,
S ic omnem tibi sanguinem resugam,
V t matri redeas dolor querenti,
V t quæ te peperit nec ipsa norit,
S ucto gutture, pressulis labellis,
S ucto pectore, sicculis ocellis.

Ac ne pallia sint molesta nobis,
Nudis corporibus cienda pugna,
Nudo pectore, nudulis papillis,
Nudo pectine, nudulisq; coxis,
Et nudis pedibus, genuq; nudo.
Ac si fert patulis furor fenestris,
Nulla ut uulnera in irritum petantur,
Ut nulli in uacuum ferantur ictus.

DE ANDREA
Contrario.

Dilexit iuuenem Thalia, quem nunc
Senem candida diligit Sophia:
Monstrauit iuueni Thalia cantum,
Nunc seni sapientiam Sophia:
Cantauit iuuenis modos Thaliæ,
Nunc senex sapientiam reponit.
O felix iuuenis, senexq; felix
Contrari, ô iuuenem, ô senem beatum,
Quem doctus puerum erudiuit Aon,
Nunc senem erudiunt graues Athenæ,
Casto pectore, moribusq; castis.

DE FOCILLAE
puellæ oculis.

In tuis Amor insidens ocellis
Mira cœpit ab arte uulnerare,
Nec suetas pharetra iacit sagittas,
Nec tendit ueterem recuruus arcum,

Sed quum

Sed quum lumina, petulosq; ocellos
Huc illuc agis, & subinde rides,
Istis utitur ille tunc sagittis,
Istis corda quatit, feritq; amantum,
Isti spicula sunt, facesq; ocelli.
Quoscunq; aspicis ipsa, uulnerantur,
Omnes uulnerat, aspicis quot ipsa,
Omnes ustulat, ipsa quos tueris.
Isti sunt oculi faces Amoris.
At tu ne pereas tuis ocellis,
In te neu proprijs Amor sagittis
Vtatur, speculum Focilla uita,
Ne te quum in speculo uides, probasq;,
Ex ipso speculo, nigrisq; ocellis,
Excussas Amor ingerat sagittas,
Atq; urare tuis misella flammis,
Sit tibi & speculum, fuit quod olim
Narcisso uitrei figura fontis.

AD FOCILLAM DE CAPILLIS AD FRONTEM SPARSIS.

Quid sparsam digito comam reponis?
Effusumq; uage legis capillum?
An'ne ut excrucies Focilla amantem?
Vt perdas miserum senem puella?
Ne tu, ne mea collige: euagari
Ad frontem sine, diffluat capillus
Circum tempora, uentiletq; crinis,

A uram qui pariat, faces ut ipsas
B landis quas iacularis ex ocellis
S uccendas agitans & huc & illuc,
E xtinctum ut reuoces senis calorem.
I am tu, iam mea collige, & repone,
C rinem contege, subliga & capillum,
A uram ne citet, exciatq; flammas,
Quæ nostrum prope pectus ustularunt.
V os ô uos teneræ precor puellæ,
Quæ myrtos, & amaracum rigatis,
H oc uos, hoc miserum rigate pectus,
I mis quod procul ardet ab medullis.
E n flammas simul, en simul sagittas
I psæ cernitis, hoc rigate pectus,
E t flammas simul, & simul sagittas
I psæ extinguite, & usq; subrigate.

AD ANTONIVM Galateum.

Inter Socraticos licet libellos,
A tq; inter studium decet sophiæ
M iscere & teneros amice lusus,
O nouem Galatee lux sororum,
A tq; idem Oebalij decus Galesi.
Quare nec medicos lacus, nec hortos
B aianos fuge, myrteum'ue littus.
M yrtos nam Maro, balneas & inter
A eneam cecinit, petit profundi

Dit

D itis dum hostia, dum parentis umbras,
E t prolis seriem accipit futuræ.
F ontesq́;, & celebreis agros Sibyllæ,
O rnauit Latium potente lingua,
D etraxit spolia Atticæ & Camœnæ:
H as Marcus coluit pater senatus,
T errarum & dominus, parensq́; Romæ,
A tq; omnis sapientiæ magister.
H as cole & Galatee: nam seueram
Quandoq; & iocus addecet sophiam,
E t ludit sapiens: dies & ipse,
E t soles uariant, itemq́; lunæ.
E st & tristitiæ lepor, leuamen,
B aianis lepor & leuamen undis.

AD FOCILLAM DE
cohibendis ocellis.

Lasciuos cohibe Focilla ocellos,
N e perdas miseros uidendo amantes.
S ummissos nec habe Focilla ocellos,
N e perdas miseros pudendo amantes.
I ratos quoq; comprimas ocellos,
N e perdas miseros minando amantes.
N ec sponde faciles benigna ocellos,
D e spe ne perimas benigna amantes.
N ec tingas lacrymis misella ocellos,
L uctu ne perimas misella amantes.
N oli (crede Focilla, crede) noli

I stos exerere ô Focilla ocellos.
I sti quicquid agunt Focilla ocelli,
S unt incendia, sunt Focilla, amantum,
F unus, crede Focilla, sunt amantum.

AD FOCILLAM.

Si rides, Veneres Focilla rides,
S i cantas, Veneres Focilla cantas,
E t saltans, Veneres Focilla saltas,
D emum sunt Veneres Focilla quicquid
L udisq́;, & loqueris, facisq́;, agisq́;.
A t quum nudula lectulo recumbis,
I nter delicias, libidinesq́;,
T unc non es Veneres, Venus sed ipsa,
V enus (ne dubita) Focilla tunc es.

AD FRANCISCVM Puccium.

Quid fonteis calidos, nemusq́; Auernū
P ucci, quid medicos petis recessus?
B aianos habitant sinus Amores,
B aiarum Veneres colunt recessum,
B aianis Charites aquis fouentur.
A duersis cupis an deis ualere?
I ratas tibi & excitare Baias?
Q uin Pucci mihi chare, chare Musis,
C um primis Veneri, Cupidiniq́;,
H oc sis, hoc age pro tua salute:
V nam Sulpitiam precare, & uni

R em sacram facias, roges & unam,
S tillet de roseis tibi labellis
T reis ut ambrosiæ benigna guttas,
S piret de teneris tibi papillis
A fflatus totidem fragrantis auræ,
H is risum adijciat benigniorem.
S ic à Sulpitia salus petenda est.
V no quam liceat tamen parare
F urtim basiolo repente rapto,
D emorsis labijs, & ore hiulco,
S pirantisq; animæ reflante flore.
S ic fient tibi balneæ salubres.
V na in Sulpitia salutis est spes.

AD CONSTANTIAM.

Insedere tuis apes labellis,
I n labris residens tuis Melissa
H ybleum liquat, Atticumq; rorem,
Q uem stillent Venus ipsa, Gratiæq;.
O qui Castalios lacus Poëtæ,
Q uiq; & Thespiadum sititis amnes,
H inc & Castalij lacus liquores,
H inc & Thespiadum petatis undas.
H as Constantia mollibus labellis
I nstillat, quibus Atticæ Camœnæ
R orarunt Veneres suas, Charimq;,
Q uæ Musis comes, & comes Poëtis.

AD FOCILLAM.

In somnis tenerum mihi labellum
Offers dum, malè suauiorq; utrunq;,
Decursim lacrymæ tibi exciderunt,
Et largo faciem madore tingis.
Atq; has dum lacrymas madenti ab ore
Detergo simul, & simul relingo,
Surreptim mihi, mordicusq; linguam
Exceptam rapis, operisq; dente.
Mox risum lacrymis, iocosq; miscens:
Hæc nos ludicra, imaginesq; noctis,
Has, inquis, simul in die uicißim
Et ueras faciamus, & probemus.
His te in iudicium uoco, fidemq;
En linguam tibi, porge mi labella.

AD FOCILLAM.

Ni reddis mihi uitreos ocellos,
Cæcæ præsidium meæ senectæ,
An est, cur ego non tuis papillis
Manus iniiciam? trahamq; prensas
Vsq; ad basiolum supina quod des?
Quod des ipsa supina, quod supina
Ceruice excipias, quod ore hiulco,
Quodq; ipse eripiam tibi supinus.
Atq; illud moneo supina uites,
Ne lapsis pedibus ruas repente,
Aut in scriniolo renisa restes.

Nam nec ſat fuerit uocare matrem,
Furtum aut reddere, ſupplicem'ue flere:
Sed nudo(mihi crede)crure,coxa,
Nudo pectine, & uſq; ad umbilicum
Senem perpetiere uerpulentum.
Et clames: uolo,reddo,reddo,reddo.
Pro quo ſic ego: ſubdo,ſubdo,ſubdo.

AD FOCILLAM.

Promiſſum mihi ſuauium dediſti,
Quod mox dum repetis reuendicatum
Clauſo in ſcriniolo obſerans locaſti.
Nunc furto quereris ſubinde plorans,
Subreptum tibi: ne puella, ne fle,
Vel triplex tibi ſuauium rependam,
Vnam ſi mihi lacrymam †repones. †reſolues

AD FOCILLAM.

Laſciuos malè temperas ocellos,
Nec noſtræ miſeret tamen ſenectæ.
Quantum uis iuuenes ama, foueq́;,
Dum ne me fugias ſenem puella:
Atq; hos,atq; alios ames licebit,
Dum ne me abijcias puella amantem.
Nolo delicias,libidinesq́;,
Amiſi uenerem,libidinemq́;:
Laſciuos oculos uolo,precorq́;:
Laſciuos quoties reflectis in me,
Et rides ſimul,& doles,ocellos,

I nspiras iuuenis mihi uigorem.
Quin omnem simul exuo senectam,
S i ter blanda Focilla suauiaris,
S i linguam tenero bis ore sugis,
S i collo quoq; complicata pendes.

AD FRANCISCVM
Pudericum.

Quid Baias Puderice, quid'ue fonteis
S uspiras tepidos, amoris expers?
B aias nam Veneres Cypro relicta,
R elictis Charites procul Cytheris,
D esertis simul Vrijs uetustis,
M igrarunt, Amor & migrauit unà,
E t blandus iocus, & tener Cupido,
A ltrixq; & iuuenum, & senum uoluptas.
Quòd si tu Puderice, uina, cœnas
S uspiras, cupis & sales procaces,
N imirum Capimontij recessus
P ræstent hæc tibi, præstet & rosarum
C ultrix Antiniana: nanq; Baias
Qui dulceis celebrant, ament necesse est.

AD FOCILLAM.

Accedis quoties sacras ad ædes
I nuisisq; deos, adisq; templa,
T ecum ne comitem Focilla Amorem
A dducas moneo, domiq; clausum
S eruari in thalamo iube, caueq;

Ne diuos homines'q; amore captos
Ad rixam cieas, uoces'q; ad arma,
Et sis causa tuæ uolens rapinæ.
Quid demens moneo? nec ipsa Amorem,
Istis uulnerat usq; qui ex ocellis
Inuitum fugies, Amor nec ipse
Te te deseret, aut comes relinquet,
Regnum qui tenet in tuis ocellis.
Hos tu sub tenui Focilla uelo
Compressos tege, molliter'q; uesti,
Nubem'q; obijce tenuiore uitta,
Flammas ne iaculentur & sagittas.
Sic & calfacies Focilla amantes,
Non ures tamen impotente flamma.
Quid tum, quid misero seni? calor quem
Iam iam destituit, Focilla fiet?
Fiet quid misero seni Focilla?
Quem frigus propè congelauit omnem,
Cui longe est opus ustulante flamma.
Iam furtim misero reclude uelum,
Obliquis refice & Focilla ocellis,
Furtiuo & refoue senem calore,
Quo primam referet uigor iuuentam.

AD FOCILLAM.

E risu in lacrymas Focilla uertis,
Auertis quoties grauata ocellos:
In risum è lacrymis Focilla mutas,

Conuertis quoties benigna ocellos.
Quis pacem geris, & geris duellum,
Quis & tristitiamq; gaudiumq;,
Cur ô cur tenebræ repente ortæ?
Cur lux destituit? dies nigrescit?
Obiecit'ne oculis Focilla uelum,
Et lucem obuoluit tegente uitta?
O iam detege iam Focilla uelum
Et uittam remoue, & reclude ocellos,
Quis lucem simul & diem ministras,
Et lucem pariter, diemq; redde.

AD PETRVM SVMMONTIVM.

Ducit dum choreas Neæra, linquunt
Et prata, & uirides agros Napææ.
Pulsat dum citharam Neæra, currunt
Ad plectrum Dryadesq;, Oreadesq;.
Cantat dum ad numeros Neæra, cultæ ad
Cantum Naiades ruunt frequentes.
Miscent hinc thyasos: Neæra ducit,
Et ducit simul & canit: canenti
Assurgit nemus, assonantq; ripæ,
Et littus resono fragore plaudit:
Plaudit cœruleis Auernus undis:
Gaurus de specula superbus alta
Diffundit uiolas, rosam, cyperon,
Et myrti teneros thymiq; flores,
Vnà & balnea consonant Neæram.

Dic ô dic

D ic ô dic age Petre, quæ uoluptas,
Quæ mens tum tibi? non beatus esse?
N on dijs persimilis tibi uideris?
Quid, quũ de Charitum manu capillum
O rnata, ambrosiæ & comam liquore,
I n te dulciculis tuens ocellis,
I n te lacteolo sinu refusa,
I nstillat placidum tibi uenenum,
E t uultu, & labijs, & ore hiulco?
A n non inuideant dij tibi ipsi?
N on quod dij dederint, dedit Neæra?
I ndicas etiam ut dijs duellum.

PETRVS SVMMONTIVS
amator ad Neæram.

Stillant de roseis tibi labellis
H yblæi simul Atticiq; rores.
S pirant de niueis tibi papillis
V nà Corytij, Syriq; odores.
V ernos & Zephyros, recentẽ & auram
A fflas ambrosio Neæra ab ore.
T ecũ ergo Syriã Neæra, Hymettumq;,
A c defers Zephyri recentis auram.
Quin ipsas Charites Neæra, & ipsam
D um rides Veneris refers figuram.
I stam sed remoue Neæra dextram,
N e me, ne digitis Neæra mulce,
I stis articulis, sinistra & ista

Quicquid contigeris repente prurit,
E t quicquid digito (ah miser liquesco)
E t quodcunq; manu Neæra tractas,
I mis intima pruriunt medullis.
P ruritum digitis Neæra præfers,
P ruritum manibus Neæra misces,
P rurigo tua dextera est Neæra.

AD ANTONIVM GALA teum Medicum.

Gauranæ Galatee te puellæ
E xpectant, calidis laues ut undis;
E xpectat medicum salubre littus,
L ætentur medico iocante Baiæ,
E xultent medico lauante thermæ.
Qui risus tamen inde? qui cachinni?
S enex herniolose dum lauabis?
Qui lusus tamen inde? qui lepôres?
S enex uentriculose quum natabis?
H is nec te medicum dolere par est,
R isus qui soleas ineptiores
V lcisci, calido fluore uentri
I niecto, & liquidæ madore maluæ,
† beta T um † betæ, atq; oleo, sale, atq; melle.

AD PETRVM GRAVINAM.

Mecum (si sapies Grauina) mecum
B aias, & placidos coles recessus,

Quos ipsæ & Veneres colunt, & illa
Quæ mentes hominum regit uoluptas.
Hîc uina, & choreæ, iociq; regnant,
Regnant & Charites, facetiæq;.
Has sedes Amor, has colit Cupido,
His paßim iuuenes, puellulæq;
Ludunt, & tepidis aquis lauantur,
Cœnantq;, & dapibus, lepôribusq;,
Miscent delicias uenustiores,
Miscent gaudia, & osculationes,
Atq; unà socijs toris fouentur,
Has te ad delicias uocant Camœnæ,
Inuitat mare, myrteumq; littus,
Inuitant uolucres canoræ, & ipse
Gaurus pampineas parat corollas,
Quîs cum dulciculæ accubans Philenæ
Ad mensam calices madentiores
Exicces bibulus, citesq; somnum.
Hæc te dum, dum tenero sinu quiescis,
Dum lento caperis sopore, molli
Amplexu foueat, uocetq; somnos
Et cantu & numeris, strepente & aura,
Componatq; genis genas, & ori
Os blandè admoueat, quietè & unà
Coniungat placidos & ipsa somnos.
Hæc Baiæ dederint tibi Grauina,
Hæc capta illecebris tuis Philena.

His in delicijs ages beatus,
Mecum dum placidos colis recessus.

INVITANTVR PVERI ET puellæ ad audiendas Charites.

Ad myrtum iuuenes uenite, myrti
Lætæ dum Charites canunt sub umbra.
Ad myrtum teneræ simul puellæ,
Ludunt dum Charites, uenite cultæ.
Cantant dum Charites, chorosq; ducunt,
Et sponsæ & iuuenes fauete linguis.
Indicit choreas Venus: puellæ
Immistæ pueris agant choreas.
Indicit choreas Amor: iuuentus
Misti uirginibus choros frequentent.
Libertas sua balneis tributa est.
Custodes abeant: senes ualento.
Absint blanditiæ: ualete curæ,
Et rugæ ualeant seueriores.
Toto & littore perstrepant cachinni,
Ipsa & balnea molliter susurrent,
Et lusus teneri, & leues lepôres.
Libertas iubet hoc, Venusq;, Amorq;.
Dum lux est, pueri, puellulæq;
Exercete oculos simul procaces,
Exercete iocos benigniores,
Et suspiria grata blandiantur.
At dum nox silet, & tegunt tenebræ,

I n molli thalamo mouete rixas:
A mplexu in cupido ciete pugnas:
N ullus sit lateri modus, pudor'ue:
C ertent oscula, morsiunculæq;.
L ibertas iubet hoc, Venusq;, Amorq;.
N unc, uos nunc teneræ simul puellæ,
N obiscum iuuenes simul uenusti,
D ulceis ad numeros pedes mouete,
N obiscum lepidos choros inite.
L ibertas iubet hoc, Venusq;, Amorq;.
M ane roscidulis nitescit hortis
F rondenti rosa ramulo, recentem
A fflans è folijs benigna odorem,
A tq; hanc horridulo colonus ungui
D ecerptam uariæ implicat coronæ,
V ertitq; in proprios odoris usus.
M anat roridulis fluens puellæ
L abris ambrosius liquor, fragratq;
S tillans Idalium per ora nectar,
A rdor quo iuuenum, sitisq; amantum
L enitur, socio simul cubili,
I ungunt dum cupidos sinus, & unà
M iscent humidulas per ora linguas,
S tillatq; è roseis fluor labellis.
H unc hunc ô iuuenes licentiores,
H unc florem legite, hoc liquate nectar.
V obis ambrosij fluant liquores,

V obis Aßyrij fragrent odores,
E t ſuctis liquor effluat labellis.
L ibertas iubet hoc, Venusq́;, Amorq́;.
V os, ô uos alios item liquores
H aurite, atq; alios puellæ odores,
N ouas ambroſias, nouumq́; nectar,
A fflatusq́; animæ fragrantiores.
H os flores legite, has roſas liquate.
V obis lectulus has roſas parabit,
S pirans Aßyriam ſimul, Cyprumq́;,
H os flores ſimul, & ſimul liquores
A fflabit thalamus, torusq́; cultus.
H os ergo thalamos, torosq́; nuptæ
E t ſponſæ colite frequentiores,
C ompreſſu, illecebris, ſale, & cachinnis,
L uſu, & mollitie procaciore,
H îc rixas ſimul, & iocos ſeratis.
L ibertas iubet hoc, Venusq́;, Amorq́;.
D ens rixas moueat, procaxq́; dextra
E t liteis ciat, & leueis querelas.
A ſt os & lepidos ſales, & ipſæ
L inguæ ſuauiloquos ſtrepant ſuſurros.
A dmotæ tepido ſinu papillæ
P acem concilient, iocosq́; paci,
E t luſus ſimiles, iocisq́; uerba,
A mplexus ſimiles & his & illis.
L ibertas iubet hoc, Venusq́;, Amorq́;.

Sec

Sed iam sol rapidos mouens calores
Nos oci admonuit meridiani.
Quocirca iuuenes, nurusq; comptæ,
Post dulceis numeros choris peractis,
Ite hinc in thalamos meridiatum,
Ite in gaudia, mutuosq; lusus.
Nullus delicijs modus sit: ignem
Succensum Idalia fouete lympha,
Quo fessas sopor irriget medullas.
Hoc ipsa ocia nam meridiana,
Et mulcens simul imperat uoluptas,
Hoc nati Veneris, Venusq; mater.
Ite atq; unanimes fouete somnos.

IOANNES PARDVS
ad Pontanum.

Pontane optime, semper haud uocati
Cui dij comiter aßident, deæq;,
Cui sales nitidi, facetiæq;
Semper dulcibus insident labellis.
Cui perlucida, multiplexq; uena
Aut iunctæ pede uocis, aut solutæ:
Dij magni, ut lepidè, ut fluit decenter:
Sic sentis malè de tuo sodali?
Sic durum potes, ac putare ineptum?
Vt me ad balneolas tuas uocare
Te sit suppuditum, inuenuste, inepte,
Hac in re modò, non uenuste, inepte,

Hac in re male,ſalſe uiſe ubiq;,
Quum ſis ſalſior atticis ſalinis.
Mene non decet his locis meſſe,
Vbi tu pater es ſeueritatis,
Vbi tu Cato ſeculi ipſe noſtri?

DE IOANNE PARDO.

Dulces balneolæ,tepensq; littus,
Ac Baiæ eliciunt repente Pardum.
Pardum'ne eliciunt repente Baiæ?
Pardum num Venus,aut trahit Cupido?
Infirmam ô ſapientiam cui ipſi
Præſcribit Venus,imperat Cupido,
Et natus puer,& puella mater.
Ergo Meoniæ caput palæſtræ
Ducetur Veneris ſuperba pompa?
Ducetur pueri nouus triumphus?
Spectatam ô ſapientiam omnis æui.
Baias iam properat meus ſodalis,
Baias † Meſopiæ Cato ſophiæ, (margin: † Mopſopiæ caput)
Et thermas petit?euge dulce littus,
Dulces balneolæ,lacusq; auete,
Orbis deliciæ,theatrum amantum.

AD MANLIVM RALLVM.

Manli deliciæ Attici lepôris,
Atq; idem Latiæ lepos Camœnæ,
Cantas dum teneros Lycinnæ amores,
Et Coi numeros refers Philetæ,

Dum molleis Veneris reponis ignes,
Quos dulcis tibi suggerit Tibullus,
Nos Manli senio grauante preßi
Miseni aut placidis uagamur oris;
Baiarum aut calidis aquis lauamur,
Et cultis Genio fouemur undis,
Hortorum aut resides tenemur umbra,
Quos nostra Antiniana, quos Patulcis,
Ruris deliciæ Maroniani,
Oblectant teneri lepôre cantus:
Quos septem aßiduis simul choreis
Illustrant Cypriæ deæ ministræ.
Septem nam Venerem colunt puellæ
Molles, dulciculæ, leues, tenellæ,
Formosæ comites, decora pompa.
Hæc curas abigens, molestiasq;, Euphrosyne.
Iucundi memor, & memor lepôrum
Miscet delicias, facetiasq;,
Ludorum admonet, admonet iocorum
Atq; ore, ac teneris procax labellis,
Et circùm omnia lusibus serenat.
Illa & munditiem, leuesq; cultus, Aglaia.
Et curat nitidos beata comptus,
Vnius studium nitelæ, & unus
Ornatus amor, elegantiæq;:
Ab labes ualeat, ualete sordes.
Huic sola & species, decorq; solus Pasithea.

E st curæ, ratioq; sola formæ.
S pectari cupit undiq; & probari,
Quis cultus deceat, colorq; qualis,
Qui comptus niueos honestet artus.
O mnisq; in tenero decore cura est.
H æ gratæ Idaliæ deæ ministræ
A ßistunt thalamo coluntq; diuam.
H æ gratæ comites uagantur unà,
A tq; unà uarias agunt choreas,
H inc nomen Charitesq;, Gratiæq;.
A t petis oculis, decente nutu
Opsiglycæa. G audens Opsiglycæa, quæq; blandis
L ætatur Chariotaris susurris,
Chariotaris. S ollers illecebris, faceta dictis,
Quæ gratis animos iocis laceßit,
D iuersas Veneri faces ministrant,
A tq; ignes uarijs fouent uenenis,
E t uel melle linunt, linunt'ue felle,
A ut acri modò temperant dolore,
A ut spe, lætitia: modò ex utrisq;
I nspersos relinunt, simulq; miscent
I mmite & placidum, nihilq; linquunt
Quod sensus moueat, uicesq; amantum.
Gelopœia. H inc cantu tenero, fide & iocosa
I nsignis Gelopœia, nobilisq;
R isu, & molliculis decens cachinnis,
A tq; exculta sinum, comam repexa,

P assu composito, decora gestu,
O mneisq; ad numeros, modosq; prōpta
F ormosis Pasirhythmie lacertis, Pasirhythmie.
H amatas acuunt manu sagittas
I mmiti puero, nouantq; tela,
Quæ mox Idalijs premunt lacunis,
T ingunt & medico recocta succo.
C rudeles calami, truces sagittæ,
C uspis quîs adamantina: ast inertes,
Quîs est plumbea uena: ter beati,
F elices quater, hic & ille, quemq;
F ixit cuspidis aureæ sagitta:
I nfelix nimium, maliq; fati,
H æsit cui lateri æreum uerutum.
H ic tot perpetietur ipse, totq;
A rtes, quot rapidæ, & leueis puellæ,
Quotquot longo in amore sunt labores,
V t poßit miser omnibus uideri.
A t Manli Paphiæ tibi ministræ
S trinxere aureolam liquore pennam
I ntinctam Cyprio: hinc tibi Lycinna
E t risu facilis, benigna & ore,
A tq; uni tibi se beata comit.
O felix amor, ô Poëta felix.

DE FABIO LO-
pitiano.

Quæris qui Fabium Lopitianum,

I llum quærere desine in theatris
A ut urbis plateis, foro, aut palæstris.
M usarum hic tacitos colit recessus,
E t Pucci ædiculas eis sacratas.
I llic Aonios legit libellos,
E discens elegos Propertianos,
A dmirans numeros tuos Tibulle,
E t quos ad citharam refert Corinna,
A ut magni ad lituos canit Maronis,
D iuini aut Ciceronis haurit artes,
C urans Socraticæ instituta uitæ.
H îc quæras Fabium Lopitianum.
N am Pucci hospitium colunt Camœnæ,
M usarum Fabius colit recessus.

AD PETRVM PAVLVM
Sarranum.

Effingis ueteres Petre, & recenteis
F ormas Grammaticos, nec est, iuuentus
C ui plus debeat ipsa, siue morum
M ira simplicitate, seu bonarum
S umma cognitione litterarum.
I dem Paule nouos colis Poëtas,
O bseruas ueteres, facisq; & ipse
V ersus ac numero uenustiore,
N escis nec ueteris larem sophiæ.
H unc ergo tibi Petre Paule nostrum
C ommendo Iouianulum quadrimum

Et matre

Et matre ingenua, indole & pudenti:
Hunc dignum institue & patre, & Camœnis.

DE L. CORVINO, EPIscopo Tridentino.

Nymphæ Gaurides, accolæq; Auerni,
Quæ fontes colitis salubriores:
Nymphæ cœruleæ decus lacunæ,
Quas Bacchus fouet, & fouet Dione:
Vos Nymphæ ueteri, & bono sodali
Coruino & tenera comam cypero,
Et molli uiola, & uirenti myrto,
Casta & tempora subligate lauru.
Qua Phœbo sacer, & sacer Camœnis
Intret balnea cognitus sacerdos.
Coruino & nemus, assonent & auræ,
Tota & littora sentiant Poëtam.

AD MARINVM TOMACELlum, & Petrum Compatrem.

Annos sex nouies Marine amici
Vnà uiximus integello amore,
Annos tot pariter quiete & una
Terni Compater egimus, nec ullas
Sensit noster amor per hæc querelas,
Exemplum fidei atq; amoris unum.
Hanc mentem, hos animos sibi requirunt
Lucrinæ quoq; balneationes:
Hanc legem & cyathi frequentiores.

Quare hoc nunc agite ô mei sodales,
A equatis numeris, tenore eodem
S cyphos tergeminemus, ac trientes.
S it triplex acies, triplexq́; Mauors,
A c Marte in medio, calente rixa,
T ernas i puer euoca & puellas,
N ostram ut calfaciant simul senectam,
Quæq́; inter pateras, furore in ipso,
P acis commoneant, serantq́; lusus,
I nterq́; oscula, mollibus labellis,
I ncludant animæ senilis auras,
C ontingantq́; animæ uirentis aura.
H æc est illa Marine lenis aura,
F lat quæ de teneræ sinu puellæ,
Qua mulcet iuuenum Venus calores,
S enum & frigida corda confocillat.

AD VXOREM.

Oblita es thalami, toriq́; nostri,
O fallax senij mei leuamen,
C onnubij immemor, immemorq́; amorū.
O fallax amor, ô nihil fidele.
E rgo sub tremula miser senecta
A te destituor, mihi nec ipsa
I n somnis ueniens leuas senectæ
I psius grauidas dolore curas,
N atum nec memorem senis parentis,
A b dura esse sinis. Valete uterq́;,

H as uobis ſine perferam procellas,
L anguens, frigidus, atq; deſtitutus.
V ana ô nomina, ſpesq́; liberorum.
H eu res coniugij parum fideles.

DE HANNIBALE FAmatio in balneis.

Dic, ô dic puer, Hannibal'ne lauit?
L auit: ſed latitat puellæ in ulnis.
H îc Famatiolus latet, litatq́;,
P erſoluens Veneri ſacrum, quod olim
V ouit pro teneræ ſalute Hyellæ.
T u ne pollue ſacra, né ue turba.
V erum ipſas Charites uidere fas eſt,
V nà dum uiolas legunt roſasq́;,
E t gratas Veneri parant corollas.
M olleis en digitos, manus tenellas,
E cquis de niueis nitor papillis?
Q uænam ore è roſeo refragrat aura?
I am Famatiolum litaſſe uerum eſt.

DE FEDERICO REge ad balneas accedente.

Quid quòd plus ſolito ſerenus aër?
E t gramen uiret, & niteſcit arbos?
Q uid quòd plus ſolito canũt uolucres?
C antant gutture leniore cycni?
P rogne & lugubrioribus querelis?
E nſpirant Zephyri ſalubriores,

E t rident pelago silente arenæ,
N ullo & murmure littus obstrepescit.
E n ducunt choreas per arua nymphæ,
E t Musæ numeris suis sequuntur,
I psa & balnea perstrepunt cachinnis.
A n non adueniente Federico
I psa & balnea molliter cachinnent?
I psa & littora suauiter susurrent?
A gnoscunt dominum suum lacunæ,
R egem balneolæ suum salutant,
A ssurgunt & hero suo liquores.
A duentat decus elegantiarum,
E t flos aduenit omnium lepôrum:
I llum deliciæ sequuntur omnes,
I llum munditiæq;,gratiæq;,
E t sceptro species potente digna.
N e ne balneolæ timete, ne ne
M auortem socium,trucesq; uultus,
M auortem socium nihil timete:
I ussa nam timet ipse Federici,
P aretq; imperio, & ueretur illum.
F elices domino lauante thermæ,
F elices & hero iocante Baiæ,
O felix spaciante rege littus.
M yrti dicite iò,euge Federice,
E uge iò canite, euge Federice.

DE

DE MARTE IN BALneis lauante.

Mars'ne in balneolis? Valete castra.
Mars'ne & ipse lauat? Valete bella.
Cumq; illo & Cytherea? Pax adesto:
Hoc sors imperat ipsa Federici.
Tu uero Venerilla, dulce cœli,
Et terræ decus, unicum & leuamen,
Molleis illecebras decoro amanti,
Blandos Marticulo tuo susurros
Fac, & delicias libidinesq;,
Misce & suauia, iunge dulce murmur.
His lusus adhibe beatiores,
Mox tinge ambrosio liquore fessum,
Somnus quo placidus per ossa serpat,
Et belli rapidus furor quiescat:
Hoc hoc te rogat ipse Federicus.

DE BATHYLLA.

Lauit delicium meum Bathylla,
Lauerunt Charites simul Venusq;,
Intrans balneolum lauatq;, & hæret,
Quæ sit de numero, choroq;, quarta,
Quænam sit Charis, extera aut puella,
Vnus quum decor esset, una forma.
Dumq; hæret dubitans, & hanc & illam
Per risumq;, iocumq; suauiatur,
Spirauit roseo Bathyllæ ab ore

F ragrans ambrosij liquoris aura,
Quæ iam de Charitum coma fueſſet
S pirare artifici manu repoſta,
S tillatim & medico liquore tincta.
T um ridens Cypris, extera ô puella
V iciſti Charites meas, ab arte
Quîs ſpirat coma, quum tibi è labellis
S tillent ambroſiæ perennis auræ.

DE HIERONYMO CAR bone, patritio Neapolitano, lauante in balneis.

C ur ille in fluidis caleſcit undis
C arbo? cur fluidus liquor coruſcat?
C arbo cur tepet? incaleſcit unda?
A n non & Venus è liquore nata
I gneſcit face? uis amoris hæc eſt.
E rgo balneolis meus ſub ipſis
C arbo aut æſtuat impotente flamma,
A ut rurſum nimio è gelu tepeſcit,
V t frigus modò, nunc calor recurſet.
T abet nobilitas amore uicta.
T u uero Theonilla dum lauaris,
F eruentem ſimul, & ſimul tepentem
C arbonem cole: ſic tibi è capillo
S tillent ſemper amoma: ſic ab ore
S pirent ambroſiæ liquentis auræ.

AD MA-

AD MARINVM TOmacellum.

Et uino Venus, & uiro puella,
Et ludo iuuenis, senex quiete,
Et gratis animus iocis fouetur.
Quocirca cole balneas Marine.
Hîc uina, hîc requies senem, iocusq;
Effœtum foueant: manus procaces
Ludent in Venerem: Venus sed ipsa
Aßit rancidulo seni: puella
Postquam obdormieris parē requirat,
Qui cum lusitet, excitetq́; pugnam,
Et rixas agitet ferociores.
Nam tactu, & querulo Venus susurro
Exercenda seni: senex papillas
Contrectet digitis, iocetur ore,
Voce & pruriat, & gemat senile.
Hoc tantum liceat. Iuuenta neruis,
Et tento ualet, & ualet duello.
Hæc ergo iuuenis mouebit arma.
Ast lingua & digitis ualet senectus,
Et lingua, & digitis senex tuendus,
Et lingua, & digitis Venus fouenda.
Has te delicias mouere oportet.
Et uina, & Venerem, & suam quietem
Instillent tibi balneæ salubres,
Infundent tibi thermulæ beatæ.

His ludis animus senis leuandus.

AD TERINAM.

Tecum, si liceat, uelim Terina,
Me tußis licet, & premat grauedo,
Tecum has frigidulas souere noctes.
O noctes mihi ter quater beatas,
O somnos sine fine prurientes,
Me quum sub tepido Terina lecto,
Me quum sub teneris fouebis ulnis,
Me quum roscidulis procax labellis
Et suges simul, osculaberisq́;,
O noctes mihi ter quater beatas.
Ne tu, ne digitis Terina saeui,
Ne saeui aridulo Terina dente.
Ah quid pallia lectulo excidere?
Ah quid lectulus ipse subtremiscit?
Ne saeui, rogo, ne Terina saeui.
Sic sic, ô mea, saeuias licebit,
Hac mecum ratione litigato,
Nunc uinci patiare, nunc repugna,
Et nunc oscula porge, nunc negato,
Nunc risum lacrymis, iocisq́; fletum
Misce, & dulcia uerba tinge amaris.
Haec quum feceris ô Terina, mox te
Ad lusus placidos resolue mecum,
Complexa & teneris senem lacertis
Ludas delicias uenustiores,

Dicas

Dicas blanditias procaciores,
Fingas nequitiam proteruiorem,
Et ludos age fac licentiores,
Et noctem quoq; duc amantiorem,
Dum laßis sopor instet ex ocellis.

AD SVARDINVM
Suardum.

Et noster quoq; balneas frequentat,
Cumanum colit & sinum Suardus.
Adeste Hendecasyllabi lauanti,
Romano & sale, & attico lepôre,
Mulcete & placidos sinus legentem
Et cantu & numeris Catullianis.
Ne tu, ne mea Sirmioni desis,
Intactos calamis modos referre,
O blandis comes; atq; amica cycnis,
Dic, ô dic aliquid meo Suardo,
Quod dulce & lepidũ, quod & uenustũ.
Sic nostra Antiniana, sic Patulcis,
Nunquam non roseas tibi corollas,
Nunquam non tibi myrteos liquores
Gratæ sufficiant, & usq; lætas
Sebethus salicum ministret umbras.
Regnabat Veneris puer, iugoq;
Heroas, superos, Iouemq; & ipsum
Victor subdiderat, coëgeratq;
Victos seruitium pati superbum.

S upplex Acrisij ad fores iaceret
R egnator superûm, futurus imber:
D uctaret niueos greges Apollo,
A mphryso teneras leuante curas:
N eptunnus liquidos subiret amnes,
E leæ ut foueat sinum puellæ:
E sset Persephone rapina Ditis,
L udus Mars Veneris: senex equinos
A h diuûm pater induisset armos:
I re ad Latmidas osculationes
O rnato properaret ore Luna.
E rgo hinc uulnifico superbus arcu
P rostratorq; hominum, deûmq; uictor,
E t terræ domitor puer, poliq;,
A usus Pallada, Palladisq; pectus
I ntorto penitus ferire telo.
I nuisusq; humeris, manu, genuq;
L unato iaculum tetendit arcu,
I rato minitante uulnus ictu.
A uertit dea tortiles sagittas,
A c uanas iaculi refregit iras,
P rætenta ægide, Gorgonisq; crine,
Quo uiso pueri repente ocelli
A fflati tacito ueneno ibidem
O bducunt tenebras: uocatq; matrem
I nfelix puer, obtegitq; uultum,
E t flens lumina capta pergrauatur

Infelix

I nfelix Amor, abdit & pharetram.
A h mœrens Amor, ah puer miſelle,
E t cæcus ſimul, atq; inermis erras.
A h terræ domitor, ſimulq́; cœli
R ideris pariter dijs, uirisq́;,
I mbellis pariter, puerq́;, Amorq́;,
I nfelix iterum puer, deusq́;.
D elapſæ interea polo ſagittæ
I uſſu Palladis, ægidisq́; tractu,
Q uæ fixæ ſteterant, rotante penna
S axoſi procul Anxuris receſſu
S ubſidunt parili ſimul ruina.
H îc illas dea uertit in uirentis
S yluam ſuberis, ac referre iuſsit
A tro cortice, fungidisq́; uenis,
C onatus fragiles, minasq́; inaneis,
E t uanos ſine uiribus tumultus.
I n fungos igitur repente uerſæ,
E gerunt faciles ſolo meatus,
E gerunt teneras repente fibras:
M ox ſeſe tenues agunt in auras,
S urguntq́; in ſolidum ſubinde robur,
S cabro cortice, fungidisq́; libris.
Q uo pòſt in ſoleas, pedumq́; in uſus
V ertant, obprobrium perenne Amoris.
Q uid ſæuis Dea? quid fremens minaris?
A ut cur ægida concutisq́; parmam?

Nam mater pueri dolore uicta
Phœbum consuluit. Recludit ille
Fatorum seriem, docens salutem
Baianis fore fontibus petendam.
Quod mox contigit annuente fato,
Cumanos puer ut sinus pererrans
Intrauit placidos lacus, & ipsis
Lauit fontibus, ac calente lympha.
Ter fouens oculos puer lauabat,
Ter natans puer ora surrigabat.
Illi candida lux repente fulsit,
Fulserunt nitidæ ad latus pharetræ,
Effulsit nitor aureus metalli.
Fulserunt nitidi lacus, sinusq́;,
Fulsit plus solito serenus aër.
Et toto micuere littore undæ.
Tum felix Amor, & puer, deusq́;
Tinxit spicula feruidis in undis,
Mox læto pariter salutat ore.
Saluete ô liquidi lacus, & undæ,
Saluete ô latices mihi salubres,
O salue mihi Tulliana lympha.
De cuius merito resumo tela,
Cuius munere, & hic resurgit arcus.
Quo sitis memores meæ salutis,
Hocq́; ut secula, posteriq́; norint,
Quæ uis est mihi, quæ meis sagittis,

Hæc

Hæc ipsa & tibi sit salubris unda.
Quæ uis est mihi, quæ meæ pharetræ,
Sit uobis latices, bonæq; thermæ.
Mecum uos pariter fouete amantes,
Et curas iuuenum & puellularum.
Mecum hos & capite, & tenete captos,
Gratis illecebris, leporibusq;.
Nunquam blanditiæ, iociq; desint,
Et nunquam choreæ, leuesq; cantus.
Semper desidiæ, libidinesq;;
Et cœna, & lepidi sales: & ipsæ
Assint nequitiæ, procaxq; lusus,
O dulces mihi balneæ, & salubres,
Dulces balneolæ, uenustulæq;.
Ipsa & littora, & ipsi ament recessus,
Et tellus amet, atq; ament lacunæ.
Dixit: mox residem tetendit arcum,
Et strinxit uolucres manu sagittas,
Quis & flumina fixit, & paludes,
Et colles simul, atq; opaca lustra.
Confestim uolucres simul, feræq;,
Et pisces simul in furorem adacti
Senserunt pueri trucem pharetram,
Senserunt syluæq;, flosculiq;,
Baianis Amor ipse ut insit undis.
Hæc ludens mihi Sirmionis. At tu
Sic nostras cole balneas Suarde,

S icnoſtri lege littoris receſſum,
V t leges teneas Amoris,ut te
E t littus ſciat,& ſciant lacunæ,
E t colles quoq; ſentiant te amare.
Q ui Baias colis,& colas Amores.

SALVTEM DICIT HENDECAſyllabis: hinc rogat lectores,ut ſuo cineri bene precentur.

Auete Hendecaſyllabi, meorum
A uete illecebræ ducesq; amorum,
V alete ô comites meæ ſenectæ,
R uris deliciæ,atq; balnearum.
S it luſum ſatis,& ſatis iocatum,
E t finem lepidi ſales requirunt.
E ſt certus quoq; terminus cachinnis.
E rgo qui iuuenes meas legetis
N ugas,qui teneræ iocos Thaliæ,
O ptetis cineri meo quietem.
Sit tellus leuis,& perenni in urna
N on unquam uiolæ,roſæq; deſint,
T ecumq; Elyſijs beata campis
V xor perpetuas agat choreas,
E t ſparſim ambroſij irrigent liquores.
Sic uobis in amore nil amarum,
N il inſit niſi dulce,ſic amando
E t noctes pariter,dieſq; agatis,
A ßiſtat lateri & comes uoluptas.

IOAN. IOVIANI PONTANI VERSVS IAMBICI.

TRANQVILLAM NEPTEM *bimestrem alloquitur, in obitu Lucij filij.*



Vi tui Tranquilla delicium, & quies
O rbi senis, quem fles misella? mœstula
Quem fles? patrem'ne, quem extulisti infantula?
S entis an hæc in matris ulnis? an meis
E t ipsa deflens assonas conquestibus?
O inditum naturæ, & homini adinsitum
S emen patrisq;, auiq;: Tranquilla hinc dolet:
P atrem dolet misella, auoq; condolet.
S ed quid, quòd arrides, quòd adnutas auo,
S enis leuamen unicum? an solari auum,
P ostquam patrẽ luxti, studes mea neptula?
R ide meum deliciolum: ride mea,
R ide uoluptas: osculare auum tuum,
E t hoc leuaminis genere senem foue.
L eua meum luctum, leua sordeis meas,
S enemq;, auumq; ab ægritudine alleua.
C aducus ipsa es flos, mihi sol occidit.
F lori timenda nebula, tenebræ autem seni.
V ita occidua senis, caduca infantulæ.

C erti nihil uitæ eſt tibi neptis mea,
A t certam auo mortem minantur ſingula.

CONQVERITVR DE LVCII filij morte, cum Tranquilla nepte.

Senij leuamen unicum neptis mei,
V bi eſt pater tuus miſella? mortuum
Q uem neſcias miſella? nec iam ſentias
A etate in iſta primula? dieculis
P auciſsimis è matris aluulo ædita,
R ubicundula, & nutricis alludens ſinu.
H eu heu genus hominum caducum & languidum:
I n germine ipſo, uitæ in ipſo limine
P uer interit: natum ſenex effert pater,
A uus patrem tuum: miſella neptula
E t ipſa patrem infantula in cunabulis.
V iuitq; auus confectus annis, ipſaq; in
C repundijs uagis, mali tui inſcia,
S ortisq; uenturæ: dolor, dolor adigit
A uum, patrem, ſenemq; ſorte de hac queri.
M iſeram ſenectutem meam, miſerum ſenem.
A t tu miſella forte auum ſi amiſeris,
H oc deſtituta uinculo areſces, uelut
C reſcens amaracus liquore ſi ſuo,
S uoq; ſole non alatur, interit.

TRANQVILLAM NEptem alloquitur.

Tranquilla quid rides, mali tui inſcia?

Auum

A uum quid ad risum allicis iocis tuis?
I ocaris amens in paterno funere?
S apere sed hoc est: uita nanq; omnis, merus
L uctus, mera est miseria. Ride neptula,
F urare pensulum hoc nouercæ, & quantulum est
I psum neas tibi: offulam ægritudini
S ubduc & hanc, ut ista quamuis paruula
L ux in tenebris emicet: nox cætera est.

CONQVERITVR APVD rosas de morte Lucij filij.

Quid ô rosæ, quid lassulæ reflectitis
C aput, comæq; decidunt è uertice?
H onosq; folijs deciduus omnis perit?
V obis nec aër officit, nec aëris
N ocens flatus: uernus tepor sed uos fouet,
A uræ salubres uentilant, nox udula
H umore tingit roscido: quid heu, quid est
Quòd languidæ, quòd lassulæ reflectitis
C aput, comasq;? honos & omnis concidit?
L ugetis an uos Lucium colonulum,
Qui uos colebat aureis rastellulis?
A rgenteis qui uos putabat falculis?
H eu heu miser parens, miser quid agam senex?
S enex miser, pater miserior, quidnam ages?
S enex quid aget? aut quid pater miserrimus?
L ugete mecum ô hortuli miserrimi,
L ugete amaraci, fleant & lilia,

F leantq; myrti longe amatum uillicum,
L auriq; cultorem ſuum, areſcentibus
F olijs, comisq;, & ramulis mœrentibus.
Quis uos miſellæ arbuſculæ? quis herbulæ
C olet, rigabit? quis manu tenerrima
A ſole, ab æſtu, aut ab gelu tuebitur?
Quis noxias aut beſtias, aut impetum
C œli procelloſum ſacro abigat carmine?
H eu heu miſellæ arbuſculæ, heu heu herbulæ,
M iſelli & horti mortuo colonulo
S qualebitis, tabeſcet & ueſter decor:
H onos peribit omnis. Ah ſenex miſer
S ic ipſe tabeſces, agro uelut obſito
T abeſcit arens truncus igne ab lentulo
C orreptus, in cinerem qui abit, ac ſenſim, ſine
N itore, flamma luce adempta fumigat.

CONQVERITVR CVM AMA-
raco de morte Lucij filij.

Folijs quid heu Amarace, heu quid floribus
N udata ſquales mœſtula? heu quid languida
A rentibus comis, & horrido ſinu,
L ugubri amictu fles miſella Amarace?
A n ipſa flere arentibus potes genis?
D eeſt enim te qui rigabat, & tuus
C olonus ille, argenteo qui uaſculo
L iquorem amatum funditabat, & tuam

Sitim

S itim leuabat, & leuabat ſyderis
R abiem Erigonij. At ego miſella Amarace
T uam ſitim meis leuabo lacrymis.
C ape has miſella lacrymas mœſti ſenis.
M emor oſculorum en illius fundo tibi
T ercentum amaras pro liquore lacrymas:
P ro rore guttas ſalſulas totidem alteras,
A mplexuum memor alteras, & illius
M emor lepôrum, & comitatis blandulæ.
H is tu uireſces, & nouam indues comam
B eata Amarace, folijs nouis, nouo
A mictu: at ego ſenex ſubareſcam miſer
H umore uacuus: ſæpe uelut in arida
A ſparagus igne afflatus, aut de fulmine
T acta arbor elangueſcit ab radicibus.

CVPRESSVS LOQVITVR.

Miſella Cupreſſus puer quondam fui.
M ater rigabat me tenellam lacrymis:
E xin adulta lacrymis creui ſenis.
Q uem me daturam creditis fructum? niſi
H eu heu pater miſelle nato mortuo
A etate in ultima, heu adempto filio.
H eu heu miſelle, hoc lacrymarum præmium.

FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI VERSVS LYRICI.

DE ORPHEO NAVIGANTE, & pòst ad inferos pro uxore descendente.


Am maris uasti penetrabat undas
Pelion linquens Pegasæa pinus,
Iamq; canebant agitata longis
Aequora tonsis,
Quum pius Phœbi citharam sacerdos
Mouit, insigni cecinitq; plectro,
Et parem neruis, parilemq; uoci
Commodat ictum.
Ilicet Nymphæ uitreis ab antris
Efferunt udum caput, ac per undas
Implicant, certo choreas secutæ
Cum pede cantum.
Ilicet Triton resonante ab ore
Buccinam intendit, scopuloq; ab alto
Assonat uati: pecus omne summa
Ludit in unda.
Ipse stans celsa, modulansq; puppi
Purpura insigni, & uenerandus ostro
Ad decus famæ ciet, atq; honorum, &
Præmia laudum.
Fortibus summi meritum triumphi,

Fortibus

F ortibus primæ meritum coronæ,
F ortibus plausum populi, patrumq́;
Publica dona.
H is & æternum decus apparari
M orte prælustri, his titulos sepulchri
S igna, & diuis solitos honores,
Templaq́;, & aras.
H ic & heroas, iuuenumq́; primos
C erneres pontum ualidis lacertis
V errere, atq; æstus pelagi, & minaces
Vincere fluctus.
T um sacer uates grauiore plectro
S uscitans, hoc hoc agite ô iuuentus,
H oc deûm proles agite, & uolenti in-
cumbite dextræ.
V os labor primos hominum, dijs uos
R eddet æquales, labor & deorum
C œtui adiungens, sola salsa ponti
Subdet, & auras.
H oc uirûm uirtus, studiumq́; pulchri
P oscit, hoc illud decus, hoc & illi
Qui Ioui uos conciliant honores,
Famaq́; poscunt.
T alibus uates. Ibi cepit ingens
A rdor heroas: nouus urit ignis
P ectora: accendit noua flamma auenteis,
Et noua uirtus.

Thraciæ hæc olim citharæ ad labores,
Ac decus, uis enituit canendo,
Quæ quoq; & uati fuerit querenti
Ditis ad antrum.
Hoc refer mecum ô Erato, per umbras
Sola nanq; illum comitata, sola
Illius luctum & lacrymas leuabas
Pectine mulcens.
Mitis ô mundi dea nigricantis
Supplices ad te lacrymas profundens
Assum, ô & uocē, & lacrymas precātis
Accipe uatis.
Cui & inferni patuere postes
Sponte reclusis foribus canenti,
Cessit intranti canis, & remissos
Clusit hiatus.
Coniugis manes repeto, relicta
Luce sub terram in tenebras profectus,
Coniuge & pro te, tenebris relictis,
Aethera coniunx,
Et diem, & cœli iubar, & uagantes
Syderum, ac solis radios petiuit,
Teq; & incepti precium, & laboris,
Præmia portat.
Fas tibi, & uatis pietatis ergò
Reddere assueti precium laboris.
Fas mihi optatum precium referre, &

Præmia

Præmia cantus.

T e deam cœli canimus,te & imi
S ceptra geſtantem ſolij te,& udi,
F luctuum campos moderantem, & almæ
Vbera terræ.

I pſe ego & diuûm,atq; hominũ ſacerdos
H oc peto, & iuſtum peto: pro recepta
C oniuge, & ſyluas moueam, & profundi
Marmora ponti.

S acraq́;,& ritus ſtatuens, dicabo
T empla, & æternum metuentur aræ
S upplicum uotis uenerandæ, & aurea
Thuris acerra.

I nterim manes ſtupuere cantu:
D iſtulit pœnam rota: conſtiterunt
S axa: non angues cruciant,nec hydræ,
Vulturij'ue.

H îc & umbrarum chorus, & ſilentum
V ulgus,oranti affremuere,& unà
P laudit heroum genus,& canoro
Conſonat ore.

D iua tum triplex moduante cycno,
P lebis & plauſu, memo & rapinæ,
E t tori,& lucis memor,n fauorem
Ora reſoluit

D uc age,ô uates, ſociam,& laborum
Quem petis finem cape: ſ.s ſit illam

R egredi tecum, modò ne in sequentem
Lumina flectas.
R ursus umbrarum affremuere turbæ,
R ursus & uates citharam resumit,
I pse præcedens: sequitur canentem
Aurea coniunx.
V ulgus atq; unà attonitus silentum,
M onstraq;, & manes trepidi gigantum,
Quos triceps custos procul allatratu
Arcet ab amne.
H eu, quod obstantes pelagi fragores,
Quodq; discordes erebi tumultus,
Quod potest dirarum animos sororum
Flectere carmen,
N on potest tristeis oculos puellæ,
P ectus aut trux uirginis, aut superbæ
F œminæ immites animos, feramq;
Vertere mentem.

DE AMORIS DOMINATV.

Et sitim sedat liquor, & relaxant
C orda languentum latices Thyonei:
O cium pressos leuat: ast amantum
Pectora carmen.
T u meo seda ô Erato dolores.
F as sit & tecum residere fas sit
C armen audire insolitum, & te ab alta
Rupe canentem.

Imperat

I mperat cœlo pater ipse diuûm:
I mperant dij, semideiq; terris:
I mperat ponto Ennosigæus: imis
Orcus Auernis.
A t polo, & terris, erebo, mariq;
I mperatq; & dis Amor: huius orbis
P aret edicto, superiq;, & omnis
Grex animantum.
H oc sine & cœli status, & deorum
P ax ruet: terra hoc sine, pontus, aër,
E t laborabunt odio, & suapte
Mole dehiscent.
V rbium custos Amor, omniumq;
G entium rector, placidæq; pacis
A utor, & leges moderatur, æquo &
Iure gubernat.
H uius & iussu seges, huius arbor
I nduit florem: statuunt uolucres
N idum, & in prolem pecudes, feræq;
Sponte feruntur.
H oc duce & uirgo sequitur maritum,
E t domo, & matris gremio relictis,
H ac ope humanum genus, & propago
Cuncta perennat.
H uius ô huius mihi mite numen,
M ite sit regnum dea, sit benignum
S ydus, ô aßis facilis precanti

Dux bone amantum.

AD ANTINIANAM NYMpham, Iouis & Nesidis filiam.

O ades summo Ioue nata, & udis
A lta Nymphe littoribus, reposto
C olle quam Nesis genuit, superbo e-
nisa sub antro.
O ades mecum dea, dum relictis
V mbriæ campis, nemore & Sabino,
T e peto, Sebethiaden & amnem
Antiniana.
A ßit & tecum comes illa quondam
S ueta Nympharum choreis Patulcis,
F istula insignis simul & canoro
Nobilis ære.
V os sequor fidæ Aonidum sodales,
A on est uester mihi collis, è quo
F orsan & riui scateant, & ipsa
Thespias unda.
E rgo age ô longum lyra quæ sine ullo
D esides cultu, per opaca ruris
O cia intactum meditemur Vmbro
Pectine cantum.
E n adest inter uiolas, rosamq;,
I lla quæ uernos hyemem sub ipsam
O re præ se fert, oculisq;, & omni
Tempore honores.

Quam

Quam prius uictis rediens ab Indis
L iber ad festos Thyasos uocabat,
N unc uocāt Musæ ad choreas, & hortos:
Huic lyra plaude.
C uius aduentu rosa purpurescit,
E t nouis syluæ recreantur auris,
L ilia albescunt, & hiat decoro
Flore Hyacinthus.
C uius afflatu induitur recentem
A rbor in florem, Dryadesq; ab altis
M ontibus cultam uenerantur, uda &
Naides herba.
V enit ad littus, mora nulla, Nymphæ
L ittus optatum celebres frequentant,
O ra mirantur rosea, atq; ad imas
Pectora plantas.
H eu, quòd aduentat ferus ille Proteus.
C rede ne uirgo pelago: rapinis
P ontus exultat: tua forma solis
Gaudeat hortis.
C rede neu te te nemorum latebris.
P anes & syluis habitant procaces.
C rede te Musis Ariadna: Musæ
Casta sequuntur.

PATVLCIDEM ET ANTI-
nianam Nymphas alloquitur.

C olle de summo, nemorumq; ab umbris

Te uoco ad littus placidum Patulci,
Teq; ab hortis Pausilipi, & rosetis
Antiniana.
Aura dum æstiuos releuat calores,
Et leues fluctus agitant cachinni,
Dum sonant pulsæ Zephyris arenæ,
Antraq; clamant.
Antra uos poscunt, querulæq; arenæ,
En canunt illinc Meliseus alto
Fistulam inspirans scopulo, canorus
Inde Menalcas.
En adest culta ad speculam, & superbum
Dia Mergillina iugum, en capillos
Ponit unguens ambrosia, en nitentis
Oris honores
Fingit, alludens speculo: huc iuuentus,
Huc age, ut spectes oculos, & illud
Frontis exemplar, propera, & citatos
Arripe gressus.
Implet en carmen nitidus Palæmon,
Subsident colles numerum secuti,
Nympha subnectit choreas, amato
Littore Triton
Currit exultans: cithara Palæmon,
Saltibus uirgo, celebrant recessus:
Aequor assultat, properant citatæ è
Monte Napææ.

Ecce procedunt duo ruris astra,
Et pedum cantu minuunt laborem.
En fauent syluæ numeris canentum,
Plaudit & aura.
Accipit blandè Meliseus illam,
Hanc Menalcas: è specula propinqua
Ipsa Mergillina canit, proculq;
Saxa reclamant.
Littus ô felix, modulante Nympha,
Cui & hi montes, cui & antra, & horti,
Assonantq; arces procul, atq; ab alto alludit imago.

AD SOLEM.

Sol decus cœli, superûmq; princeps,
Autor & lucis, moderator anni,
Altor ô rerumq;, animantiumq;,
Et sator idem:
Idem & immensi maris æquor, idem
Aëris uasti spatia, & iacentis
Intimum terræ gremium fouesq;,
Et seris idem.
Omnia ex te sunt, genus omne per te
Gignitur, crescit simul & perennat,
Et tibi assurgunt nemora, & tibi herbæ,
Germen & omne.
Cuncta sed te quum uenerentur unum,
Et regas cuncta ô pater alme rerum,

Deseris cur nam tibi dedicatum
Vulgus amantum?
Tu choros primus, numerosq; nectis,
Primus & carmen meditare neruis:
Negligis quare tibi dedicatos
Asper amantes?
Et tibi est arcus, tibi sunt sagittæ,
Et coma intonsa, & puerilis ætas:
Despicis cur nam tibi dedicatum
Nomen amantum?
Te colunt primi, metuuntq; amantes,
Et tuum primi uenerantur astrum:
Lux enim dux est, oculi educes sunt,
Fax & amantum.
Quin amans primus choreas, lyramq;,
Carmen exercet quoq; primus idem:
Nam lyra, & carmen, numeriq; amori
Pabula præbent.
Doctor, et princeps choreæ, & magister
Carminis Sol, hoc age dux amantum,
Hoc age, & curam tibi dedicatæ
Suscipe gentis.
Quiq; liquentem aëra, quiq; salsum
Aequor accendis, uitreasq; sedes,
Ac sinus terræ grauidos, satusq;
Calfacis omnes.
Vre spernaces iuuenum puellas,

V re diuersas ab amoris aura,
V re & immiteis animos, tuasq;
Incute flammas.
E t mihi felix ades, & proteruum
F anniæ pectus moderare, adacta
V entilans sparsim face, dexteraq;
Lampada quassans,
L ampada, atq; illos radios, aduris
Quîs & immaneis Trigides, ferumq;
A spidum ad Syrtes genus, atq; tetras
In mare Phocas.

ANTINIANAM NYMPHAM
inuocat ad cantandas laudes
urbis Neapolis.

Sume age intactam citharã, atq; ab alto
C olle descende Antiniana in urbem,
E t nouos chordis numeros, nouumq;
Concipe carmen.
V rbi & assurge ô dea, quam superbæ
M uniunt turres, rigat unda, subterq;
E t specus Sebethiadum sororum,
Ditat & æquor.
A ntraq;, & dulces Charitum recessus,
E t sacri colles Cereri, ac Lyæo
V estiunt hanc, & nemora, & serena
Temperat aura.
V er & æternum, tepidiq; rores

Temperant, disq́; ocia grata, & almæ
Lucis autor sol fouet, atq; amico
Spectat ab astro.
Præficit regnis pater hanc deorum,
Præficit bellis animosa uirgo,
Autor & Mars militiæ, ac uirorum
Bella gerentum.
Hanc domum Musæ sibi uendicarunt,
Et bonæ hanc artes studijs, boniq́;,
Cultus & recti, simul & sacrorum,
Iusticiæq́;.
Templaq́;, & regū monumenta, & arces,
Aedium insignes aditus adornant,
Et dijs gratam, & patribus, uirisq́;, &
Plebe frequentem.

LAVDES ALFONSI, DVCIS CAlabriæ, de uictoria Hydruntina.

Mens Iouis proles, Ioue mens parente
Nata, ne desis mihi, neu canentem
Et decus belli, & ducis acta, & artes,
Desere uatem.
Te colo insignis dea, thure, & aris
Vota persoluens: tibi nostra cultum
Barbitos carmen sonat, & canoro
Ludit in antro.
Victor Hydrunto redit in recepto
Belliger Dux: en tituli ducesq;

Hostium

H ostium, & præda ante rotas, & arma
Capta trahuntur.
C ernite auulsos clypeos lacertis,
C ernite abreptas humeris pharetras,
M edicos dextris gladios, madenteis
Sanguine cristas.
I lle quem spectas humero reciso
N asdan est, princeps equitum: ille ademptis
N aribus, Nabdir peditum tribunus:
Abdelan ille,
S ignifer truncis manibus: cruento
P ectore; hic hic est Megabæus: illi
A ssan, Asmir, præpositi maniplis
Gentis eoæ.
S igna sternuntur, phaleræq; equorum:
(Heu pudet tanti ducis) Hacumetus
D ucitur uinctus manibus, grauatus
Colla catenis.
F ulmen en belli uenit, en Gradiui
E fferi uultus, sequitur phalanxq;
E ubois: uincentum acies ahena
Luce coruscat.
E nsis ille est, quo totiens Ameti
T erga uerterunt trepidæ cohortes.
H asta & illa est, qua cecidere pulsæ
In mare turmæ.
I lle equus, quo fulmineum sequente

P ersicum in fossas uiolenter agmen
E st datum præceps: age iò triumphe,
Dicite uulgus.
H ic cruentatus clypeusq́;, & horrens
C ædibus claua, hac trepidauit intra
M œnia Armaspes: age iò triumphe,
Dicite uulgus.
I llud in summa stetit arce signum
O blitum tunc Turcaico cruore:
N unc riget tabo: en age iò triumphe,
Dicite uulgus.
H iccine Alfonsus patriæ receptor,
H ostium uictor, pepulit qui ab oris
I talis classem Argolicam, & furenteis
Contudit ictus?
I te dis nostris meritos honores
S oluite: ornentur fora, templa, & ædes:
A tria argento niteant, fluatq́;
Molle Falernum.
M e sat hærentem gremio puellæ,
V ulnera, & stratas acies referre,
E t ducis fortis animos, & acris
Militis arma.
V tq́; fallacem, studijs & astu,
V ecte quàm hasta non minus, & bidente,
A ggere & uallo, & sudibus repressum
Ceperit hostem.

AD CHA-

AD CHARITES.

O deæ, ô almæ Veneris ministræ,
Quæ puellarum, iuuenumq; curas
O re mulcetis, capitisq; amantum
Pectora cantu:
Quæq; Nympharum uirides recessus,
F luminum & ripas colitis, quæ & antra
P ectine arguto recreatis, udas
Et maris attas:
V os deæ, uos ô Charites sub umbra
M yrtea, ad fontem, gelidiq; circum
P rata Sebethi canite, & sonoras
Tangite chordas.
L uditis dum, dum canitis puellæ,
A uraq; æstiuos releuat calores,
C oncinuntq; unà nemora, & quieti
Marmora ponti,
I pse selectos per aprica rura
C olligam flores, Cypriamq; myrtum,
C olligam luctus Hyacinthi, & albo
Lilia thyrso.
L ilia, intactumq; amaranthon, his &
M isceam calthæ decus, inq; sertum
V inciam implexas uiolas, & albi
Texta ligustri.
Quæ Syram stillent madefacta nardum,
Quæq; & afflatus referant Sabæos,

Indicum & costum, Armeniiq́; fœlix
Gramen amomi.
His suum cingat speciosa crinem
Fannia, & quos pectore, quos & ore
Spirat, hos ipsa & capite, & capillis
Afflet odores.
Hoc deæ, hoc hoc ô Charites ministræ
Cypridis blandæ, hoc agite, & remissæ
Fila pulsantes citharæ, canorum
Fundite carmen.
Ecce florenteis graditur per herbas,
Ecce pestanos pede pressat hortos
Virgo, quam uer insequitur, cui ipsa
It comes aura.
Auraq́;, & ueris decor: en Amores
Lusitant circùm, en pharetræ, facesq́;
Ventilant, spargitq́; suos honores
Læta iuuentas.
Quà mouet Nymphe, hàc humus ipsa ridet,
Ridet hàc aër: fluit ipse læto
Amne Sebethus, canit uxor imo
Cœrula ab antro.
Huius è uultu, placidisq́; ocellis,
Instruit sese Venus, & Cupido,
Altera accendens faculas, & alter
Spicula torquens.
Ah quid, ah dulces Paphiæ canendo

I llius mentem erigitis? ſuperbit
E t lyra, & cantu tumet heu proteruus
Carmine faſtus.

VXOREM IN SOMNIS *alloquitur.*

Vmbra ſis felix mihi: ſunt'ne ueri
V xor amplexus? uigilantis an'ne
C ura te in ſomnis agit? atq; uana
Ludis imago?
V mbra ſed quamuis, mihi chara ſalue,
E t mihi felix ades: oſculantem
O ſculans te te accipioq́;, amansq́; ample-
ctor amantem.
C redit & uirgo ſpeculo, aſt imago
L udit indulgens ſpeculi, perinde
S omnia & mentes capiunt, amantq́;
Somnia mentes.
I puer, nocti cane ſacra, nocti
T hura ſuccendens: per opaca noctis
V mbra uerſatur: uolat uſa noctis
Vmbra fauore.
N ox parit ſomnos, hominum quietem,
H i uocant imis animas Auernis
M orte contempta, & ſimulacra uiuis
Mortua iungunt.
V os pij manes, memores ſenectæ
V ltimæ iam, ſacrifica ex acerra
M unera hæc, ſtacten capite, & Sabæa

Mercis honores.

D umq́; nos rurſum Elyſio in receſſu
I ungat obſtringens amor, haud grauare
E t ſenis ſomnos Ariadna, amatum &
Viſere lectum.

LAVDES ALFONSI ARAGOnei, Ducis Calabriæ, Ferdinandi regis filij, de clariſsima eius uictoria.

Et dijs cultus placet, & deorum
A ddecet cultus ſimulacra, ſummos
A ddecent montes nemora, & ſtrepentem
Populus amnem.
L ittus & gemmæ, mare claſsis ornat,
A ëra & lux, aurea tecta diuûm
S ydera illuſtrant, uaria & coruſcis
Signa figuris.
A t uirum ingenteis animos & ornat
E xcitans laus, & colit: ô puellæ
M entis altrices, meritos honores
Reddite laudi.
H erculem laus ad Nemees leonem,
H erculem ad Lernæ anguineos tumultus
I mpulit, poſtq́; emeritos labores
Rettulit aſtris.
L iberum laus Niliaca ad trophæa
T raxit, hinc ad Gangaridum triumphos.
L yncibus tandem ad ſuperos relata

Templa

Templa dicauit.
Haec Alexandrum penetrare ad Indos,
Ad mare ignotum, Libycasq; arenas
Compulit, sic ut nihil antè maius
Viderit aetas.
Caesarem dehinc innumeris trophaeis
Et mari, & terra, oceanoq; partis,
Extulit laus: hoc superante uictus
Concidit orbis.
Patrij cultus studium, & salutis
Publicae laus, Scipiaden ad Afrum
Littus impegit iuuenem, unde Roma
Libera risit.
Par amor, par & studium, fidesq;
Traxit Alfonsum, procul ut repulso
Ausonis tellus, Siculumq; littus
Riserit hoste.
Hunc pater rex, hunc Italus senatus
Laudet, hunc matres pueris receptis,
Virgines hunc ingenuae, ac per aras
Sacra frequentent.

AD AMOREM.

Dic age ecquis nam modus ô deorum
Victor, & princeps Amor? ecquis ordo
Dic rogo? ecquae lex oculis? amantum
Dic age rector.
Nec modus quisquam, neq; lex, nec ordo

V llus est, uates, oculis: amandi
R ector & dux est animus, suoq;
Mens cita ductu.
H anc mouent curæ cupidiq; sensus,
A cris & uersans agitat Cupido,
B landiens secum trahit & uoluptas
Insita cordi.
H i duces, hi sunt oculis ministri.
M utua inter se aut uarians amantum
C ura, quam sensus sequitur uidendi,
Motus & exter.
T u tuæ morem placidus puellæ
E t gere, & molle imperium ferendo
I llius uincas animos, trahasq;
In tua uota.
H inc tibi & blandos oculos, & illos
H inc tibi uultus faciles parabis,
I ure quis felix tibi, & inuidenda
Sorte habearis.
H ic modus, lex hæc oculis, & ordo.
F inge te ad nutus dominæ, nec illi
A sper obsiste: hoc age, blandiendo
Pectora mulce.
H æc Amor: sed nec precibus mouetur
T igris, aut cantu leo, non amando,
Quæ caret sensu, refugitq; amari
Caspia cautes.

Excoquit

E xcoquit ſaxum uiolentus ignis,
R obur & ferrum penetrat, ſed huius
F œminæ immitis animos, rigenti
Pectore cinctos,
N on Amor certis penetrat ſagittis,
V rit aut lentis Cytherea flammis,
N on lyra mulcens Erato, aut amico
Carmine mollit.
H uius, heu quæ uirgineo ſub ore
C ondit innatos adamantas, & quæ
A equoris Thuſci ſcopulos, niuemq;,
Et iuga Tauri.

AD AMICAM DE EIVS PVL-
chritudine, & amantis infelicitate.

Te'ne, dum ludis, Charites ſequuntur?
T e'ne, dum rides, Amor? ah me amantē
E t fugit riſus, fugiuntq; luſus,
Et Charis omnis.
D um canis, tecum Aonides puellæ
C oncinunt, & dum loqueris, lepôres
F antur: heu, me non lepor, heu dolentem
Non leuat Aon.
D um minax in nos oculos retorques,
E t deos irata malè imprecaris,
I ngruit ſtatim dolor, & deorum
Ira minantum.
N on'ne & infelix, miſerumq; amantis

M unus? est illi dolor, est & usq;
C uráq;, & mœror comes: est laborum
Certa propago.

POLYPHEMVS AD GALATEAM.

Cur fugis uirgo Polyphemon? Aetna
Quem cupit, pascens tacitas fauillas.
E n ego ad littus propero, ipsa in altos
Is uaga saltus.
Qualis in pratis melilotos udis
C arices inter nitet, inter ipsa
C ratidis Nymphas facieq;, & omni
Corpore præstas.
A lta ut in syluis humiles myricas
F agus excellit, pecudum magistros
I pse sic cunctos, & honore barbæ, &
Crine relinquo.
E st tibi insignis coma, qua nitescis,
S unt mihi & setæ, quibus ipse & hircos,
A tq; oues solus supero, genisq;
Et nemus horret.
C ur fugis uirgo Polyphemon? Aetna
I nnuit cui, & uocat usq; ab alto
M onte succensis facibus, suosq;
Indicat ignes.
E n pedum, cuius capulo suilli
A lbicant dentes, riget acer ictu
C orneus mucro, medio reuinctus

Serpit

Serpit acanthus.
A ſpice hunc ſparſis maculis galerum:
E n decus rarum capitis: ſuperbit
H innuli pelle: en tremit aſper hirto
Conus echinno.
E n tegit plantas capreæ reuulſus
P ero de tergo: ligat hunc acerno
F ibula amplexu, Gelaæ benignum
Munus amantis.
C ur fugis uirgo Polyphemon? ipſa
A etna quem rurſus uocat, atq; ab alta
I nnuit rupe, & facibus ſuperbum in-
uitat amantem.
N on mihi deſunt Galatea lanæ,
N on oues, bis quæ pariant in anno:
B is die ad mulctram ueniant uocatæ
Nomine uaccæ.
V ellera atq; aſſunt niuea, & petulci
V ir gregis bifrons caper, & tricornis
I lle, & inſultans aries, Sicani
Littoris horror.
I lle & inſultans uitulis, mihiq;
T aurus inſtans cornibus: ah Pelori,
A h Gelæ paſtor cauæ, & inſolentem
Pelle iuuencum.
C ur fugis uirgo Polyphemon? illum
C uius ad formam ſtupeant uel undæ,

Cuius & robur nemora, & lacertos
Saxa tremiſcant.
Lacte de noſtro fluitent & amnes,
Surgat hoc ipſo tumulus coacto.
Mille equæ ad ripas ſtabulantur alti &
Flumina Anapi.
Mille te capræ, totidemq; & hœdi,
Mille te uaccæ, totidemq; tauri,
Mille te è noſtris ſtabulis ſequentur
Vbera equarum.
Si ſemel mecum Galatea, mecum
Littus inuiſens, Siculasq; terras,
Duxeris mecum choreas amatæ ad
Carmen auenæ.
Cur fugis uirgo Polyphemon? ecquem
Italis tellus Polyphemon? ecquem
Brutij montes Oriarchon? amnis
Ecquem habet ullus?
Vnicum eſt ſoli Polyphemo, at ingens
Lumen: hoc uno fugo & ipſe nubes,
Montium hoc uno fugo tetra, & amplæ
Monſtra lacunæ.
Ipſe dum faſtum mare curro, adæquant
Genua nec fluctus: tiliæ nec æquant,
Erro dum ſyluis: mihi cedit unda,
Cedit & aër.
Quin & hac dextra quoties Pachinni

V erticem, aut summi quatio Pelori,
A usonum littus tremit, & Libyssæ
Tractus arenæ.
Q uem fugis demens Galatea? cuius
A equet & diuos genus, & propago
I mperet syluis, pecori, ac magistris,
Et maris undis.
S unt mihi ursorum, simul & leonum
F istulæ assueti catuli, manuq́;:
Q uos ego in lusum, illecebrasq́; natis,
Et tibi seruo.
S unt & assueti manibus, iocisq́;
P iscium fœtus teneri: hos puellis,
E t tibi seruo. O age dura nostræ
Causa querelæ,
E t foue ingentem Polyphemon, antra
I psa quem uix iam capiunt, uel ipsi
M ontium saltus: age dura nostræ
Causa querelæ,
E t tege amplexu Polyphemon, ipsæ
Q uem tegunt uix aut tiliæ, aut comantes
E sculi, aut pinus: age dura nostræ
Causa querelæ,
O sculo & dona Polyphemum: heu heu
O sculum, & uoces fugit. Ah superba,
A h parum felix fugit, & sub imo
Conditur amne.

AD FIDEM.

Quò fugis rerum dea? quò deorum
O fides nutrix? maria alta te te
H ospitem pellunt: fugat ipsa iniquo
Fœdere tellus.
T e fugant arces, fora, templa, castra,
T e fugant reges, fugat & sacerdos
S ummus: heu ne te undiq; iam fugatam
Arceat aër.
Quo minus cœlum repetas: & ipsæ
D enegent auræ in patriam regressum.
I, fuge ad manes, fuge ad ima, & atri
Tartara mundi.
C omiter nanq; accipiere: manes
E t colunt iustum, & uenerantur æqua.
H i tibi assurgent meritæ, piaq;
Sede locabunt.
S i modò & tu Pontificem catenis
T raxeris uinctum: hoc age diua, & unco
P rotrahens tracta, soliiq; ad aram
Siste tremendam.
F œdat incestu sacra qui nefando,
Qui fide fracta, Italiam Rutenis
P rodidit, quiq; Ausoniam repenso
Vendidit auro.
Quo suos natos (scelus ah supremum)
O rnet insigni diademate, alto &

Ponat

P onat infames solio pianda
Cæde cruentos.
H unc trahe, hunc unco dea, merge & illos
A mne mactatos Tiberino, & unà
H inc patrem, hinc natos erebi profundos
Trude ad hiatus.

AD VENEREM, COMAE, atq; osculi dedicatio.

Te Iouis prolem Venus alma, nostris
V t sacris adsis, humiles precamur,
S upplices te te dea nunc adimus,
Et tua templa.
T u preces nostras, & amica thura
A ccipe amborum genitrix Amorum,
E t tibi uotum, tibi dedicatum
Accipe crinem.
V ouit hunc olim patria recepta,
P ro duce & uictore, fugato Ameto,
P ro focis, arisq́; Ariadna, uoces
Suppliceis audi.
I pse ego illius tibi diua ab ore
O sculum supplex foueo, dicoq́;,
O sculum ex uoto cape Cypri, gratosq́;
Oris honores.
T u meum uictrix hominum, deûmq́;,
T u parens rerumq́;, animantiumq́;,
C uius est quicquid tenerum, decensq́;

Pectora mulcet.
Tu meum felix Cytherea plectrum
A diuua, & dulceis numeros ministra,
Dum tuum numen cano, dum tibi aræ
Molliter halant.

POLYPHEMVS A GALATEA
spretus conqueritur in littore.

Littus ô nostris faueas querelis,
Sparsaq; ad siccas ades alga cautes.
Vos meos questus procul icta longè
Saxa fouete.
Illé ne heu quondam Polyphemus, ille
Mœret ad fluctus? pudet heu canoræ
Fistulæ, quæ olim & tilias & alnos
Blanda mouebat.
Cuius ad cantum pecudes coibant,
Et feræ è lustris, & aues ab alto
Aethere, & mutæ procul à Palici
Littore ranæ.
Ad meam dulcis Gelaë cicutam,
Ad meam mollis Lylibea auenam,
Et meos flaua ad calamos ruebat
Acianea.
Sæpe & ad nostros Arethusa cantus
Flexit, & molles iniját choreas,
Sæpe & ad nostros numeros per attã
Lusit Anape.

Agmen

Agmen ô felix ouium: beati
Et greges: felix aries & hircus.
Hunc amat mulcens Arethusa, at illum
Ardet Anape.
Illa Cirronem uiola coronat,
Hæc Carestinum religat cypero,
Ludit in pratis utraq;, & sequenti
Plaudit amanti.
O ubi ille illē est Polyphemus? albi
Velleris diues, niueiq; lactis,
Mille quem uaccæ, totidem iuuenci,
Mille capellæ,
Cum suis hœdis, pecudesq; mille,
Mille pòst agni comitantur: albet
Terra candore, & nemora ipsa balant,
Balat & aër.
Mille equæ armentū Polyphemi, et Aetna.
Aetna miratur Polyphemon: una
Ridet informis Galatea, nigro
Pectore, nigris
Displicens mammis Galatea: abite
Mille oues, mille & pecudes, capellæ
Mille cum fœtu: procul ite equarum
Tanta propago.
Hoc pedum dextræ decus, hoc puella
Brutiæ gentis Galatea ridet,
Ridet hoc saxo sata, ridet heu heu

Hoc Galatea.
Quod tremit littus Siculum, quod Afra
Horret & Syrtis: procul ipse rupem
Colle de summo obijciam, & fluenti
Hostia claudam,
Ne in mare accessus pateant superbæ,
Quæ meam temnit malè grata barbam,
Iure cui Marsi inuideant, & ipsi
Cinyphes hirci.
Quæ meos spernit malè amica cirros,
Quîs uel intonsæ inuideant capellæ,
Quæ meo auertit faciem galero
Dedecus undæ.
Hunc mihi dono dedit illa quondam
Carminum cultrix Helime, atq; auenæ:
Despuit quem, proh pudor, è lutoso
Aedita fonte.
Lumen hoc unum mihi, quod decora
Fronte diffulget, nec honore Soli
Cedit, hoc ô Cratidis orta cœno
Filia damnas.
I nigris mammis, nigricante dente,
Crine subcrispo Galatea, & amne
Merge te immundo: Polyphemon Aetna,
Aetna tenebit.
Aetna Nympharum decus, Aetna florum
Mater, ô longum mihi culta salue,
Et tuos

E t tuos ignes specula è suprema
Porrige amanti.
I te oues, ite ô placidæ capellæ:
L ucet: en montis dea porgit ignes:
L inquite & noctem Galateæ, & atram
Linquite nubem.
I te iò fidæ comites capellæ,
E ia iò incanæ pecudes abite.
V os manet, meq; : innuit en ab altis
Rupibus Aetna.

FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI ERIDANI LIBER I.

AD ERIDANVM.


Oeruleis generose uadis, rex diuitis agri,
Gallica qui medio flumine regna secas,
H eliades cui serta parāt, uenerantur & omnes,
Nereus & placidis accipit hospes aquis,
N ympharum cui dia choros Ferraria mater
Ducit, & ad thalamos uxor amata canit.
N on Charites desunt illi, non carmina Musæ
Culta negant; dulcis gratia in ore sonat.

Tum tibi per tacitas ſerpit noua flamma medullas,
Vreris, & medio feruet in amne calor.
Salue amnis, ſalue Heſperidum regnator aquarum,
Cuius & in cœlo flumina nota micant.
Te propter, fonteisq; tuos nitet aureus ille
Vina Ioui gelidis qui ſua miſcet aquis:
Te propter iaculumq; ferus, clypeumq; reliquit,
Dum ſtupet ad Veneris gaudia prima deus.
Siccabat madidos Venus aurea forte capillos,
Nuda quidem, ſi non parte tegatur aquis:
Pectus aquis tegitur: ceruix humeriq; ſuperſtant,
Subleuat effuſas ſedula dextra comas.
Ima papillarum tegitur pars: eminet illa
Punicea Charites quam coluere roſa.
Candorem referunt undæ, micat aura capillo,
Singula ſub uitrea membra notantur aqua.
Ipſa ſua dea dote ſibi blandita ſuperbit,
Mirum, ait, eſt, noſtro ſi quis amore calet?
Mirum ſi cœlo regnat Venus? inter & arma
Conqueritur noſtras ferreus ille faces?
Quid nunc ſi uideat? quos ſentiat ipſe calores?
Abijciat uel nunc arma, quirimq; ſuam?
Dicebat, ſiccamq; comam ſtudioſa ligabat,
Nam Charites molli littore ſomnus habet.
Prodit ab inſidijs iuuenis, prenſatq; pauentem,
Implicat & cupida candida colla manu.
Ter collo dentem impreßit, ter utrunq; labellum
Strinxit

Strinxit, & audaces huc agit, hucq; manus.
Illa dolet, gaudetq; simul, refugitq;, cupitq;,
Vim nollet, uellet sed sua furta tegi.
Oscula nunc offert, nunc auersatur amantem,
Et miscet blandis tristia uerba iocis.
Ad uotum properabat amans, strepuere salicta
Proxima sollicitum quà mouet aura nemus.
Expauere simul, simul & latuisse uolebant,
Sed nec quò fugiant, quó ue tegantur habent.
Ipse deos miserans atram de gurgite nubem
Obijcis, & latebris abdis opace tuis.
Illic securo uenêre ad gaudia cursu,
Mille modos matri dulce retexit Amor.
Dic Mars, dic Gradiue potens, ubi cuspis, ubi hasta?
Scit Venus, ad ripas illa relicta iacent.
Illa puer Veneris tractat, ridetq;, sed ipse
In Veneris mauis bella mouere sinu.
Bella moue, nunc diue sapis, nunc confere pugnas.
Hostis adest: tamen est præposuisse torum,
Deliciasq; tori molles, placidamq; quietem,
Et dominæ in tenero molle cubare sinu.
Salue iterũ Eridane, nam tu quoq; iungis amantes,
Tu quoq; concilias quos suus urget amor.
Tu uatem, teneræq; senem placare puellæ
Et cupis, & ducis muneris esse tui.
Ergo perpetuos Ticinus & Abdua fonteis
Certatim, & famulas Mela ministret aquas.

Voluat & aßiduos Benaci è gurgite fluctus
Mincius, Andæo pota fluenta seni.
Ipse perennis eas, superesq; & flumina, & amnes,
Imperium norint æquora & ipsa tuum.

DE AMORE COLLIGENTE succina in Eridano.

Eridani circum ripas, alnosq; uirenteis
Quærit Amor tenera succina lecta manu.
Quærenti assurgunt ripæ: Phaëthontias arbor
Fundit rore nouo quæ legat ipse puer.
Dumq; legit, guttæq; manum puer admouet, ora
Exerit è tenui cortice Nympha sua.
Quotq; puer gemmas, totidem legit oscula uirgo:
Ridet Amor, ridet conscia Nympha sibi.
Naides ad risum coëunt, mirantur Amorem,
Quiq; puer pharetram, telaq; adunca gerat.
Sensit Amor, neruumq; manu lunauit, & inquit:
Deq; meis humeris missa sagitta ferit.
Illa uolat, fulsere auræ, rutilante fauilla,
Hauserunt uirides tela corusca deæ,
Inq; choros, cantusq; abeunt. Climeneia uirgo
Prodit ab excluso lapsa repente libro.
Inq; sinu puero fruitur, caluitq; fruendo,
Miscet Amor lusus, blanditiasq; suas.
Cærulus ut uidet ipse deus, complexus utrunq;
Condit nube caua, rorat & amne suo.
Dum ludunt, pendentq; arcus electride in umbra,

Prendit

Prendit Stella manu, ſpiculáq; apta legit.
Altera quis urat longè, & malè figat amantem,
Altera quis medico uulnera rore lauet.
Mox ſtrinxit telum Idalium, fixitq; ſagitta
Me me audax: uati parce nocere tuo.
Parce puella ſeni: cur non iacis altera tela?
Et uulnus medico rore puella leuas?
Vre ferox, facilisq; medere: utq; aurea uirgo
Hinc ſæuis, illinc mite leuamen ades.
Vre ſimul, medicare ſimul, nihil ipſe recuſo.
Non ferrum, non me miſta uenena mouent.

DE VENERE AMOREM quærente.

Dicite Nereides (nam uos quoq; procreat unda)
An'ne aliquis ueſtris ſit puer hoſpes aquis?
Matris uos miſeræ moueat dolor, & labor, illum
Anxia tam longa quæ ſequor uſq; uia.
Ipſe puer nudusq; abijt, nec cognitus ulli,
Quiq; meo nunquam ceſſerat antè ſinu.
Maternis fotum mammis, fotumq; ſub ulnis,
Hei mihi quis fluctus, quæ fera Syrtis habet?
Forte Paphi in luco, riui crepitantis ad undam
Dormieram, atq; inter brachia natus erat:
Effugit è gremio fallens: ipſa excita ſomno
Hinc nemora & ſaltus, hinc loca culta peto.
Offertur nuſquam terris: ingreſſa profundum
Aduenio ueſtras heu Venus illa domos,

Sicca siti, squalensq; situ, defessa uiarum.
Non comes, aut hospes, non mihi tecta patent.
Et tamen hanc fama est dici Vulcanida terram,
Is deus est, pietas hîc sua iura tenet.
Dicite Sicelides, si quà latet heu mea cura,
An'ne aliquis uestro delitet amne puer?
Sic uobis in amore fides stet semper amantum,
Pax sit & à Libyco littore, & Ionio.
Miscet & his lacrymas: tum sic miserata Charybdis
Pube tenus nudo pectore blanda refert:
O dea: nanq; deam testantur singula: mecum est
Ipse puer, lacrymis tu modò parce tuis.
Illicet emicuere faces, sonuere pharetræ,
Telaq;, uenturi nuncia signa dei:
Mox thalamo exultans prodit puer, & quatit alas,
Nereidas tacito uulnere pungit Amor.
Littus amat, caluere undæ, caluere natantes:
Mater adest facibus, natus adest pharetris.
Exilit in puerum genitrix: exceptus & ille
In gremio, risus hinc mouet, hinc lacrymas.
Exultat littus, ridet mare, blanda Charybdis
Hæc ait, horrisoni conticuere canes:
Hunc tibi diua potens, proles Iouis, autor amandi,
Restituo, tua me, te mea cura premat.
Accepi infantem, blandum do, pro rude doctum,
Proq; fide fraudem, simplicitate dolum.
Pro lacrymis risum docui, pro melle uenenum
Miscere,

Miſcere, alternas & uariare uices:
Nunc placidam blandis pacem promittere ocellis,
Nunc trucibus mentes ſollicitare modis:
Nil conſtans, nil perpetuum ſeruare, nec ulli
Parcere: in incertum fasq́;, nefasq́; ſequi.
Talibus inſtructum memorat longæua Charybdis,
Cœruleo flauas humida rore comas.
Nereides puero aſſurgunt: aſt aurea mater
Zanclæam ambroſio ſpargit honore deam,
Perpetuamq́; illi ſpeciem, uiridemq́; iuuentam
Eſſe dedit, Siculam moxq́; ſalutat humum.
Gratatur terræ, natum quæ fouit, & inquit:
Terra ferax ſegetum, dædala terra uirûm,
Vos numeros celebrate meos, & nomen amandi,
Deq́; meo fiat numine clarus Eryx.
Hæc ait, & niueis uolucrum ſublata quadrigis,
Læta petit portus Cypria terra tuos.
Quaq́; uolat, Zephyri dominã comitãtur, & auræ:
Stillat Acidalius rore fluente liquor.
Excepere deam Charites: ſua redditur aris
Gratia, in amplexu matris inhæret Amor.
At tu Pieridum ſtudijs cultiſsime Carbo,
Nanq; & amas, facito ſit tibi notus Amor.
Sint notæ maris inſidiæ, ſit nota Charybdis,
Cincta ſinum canibus, uirginis ora ferens.

ALLOQVITVR PASTORES.

Paſtores cohibete gregem, procul ite capellæ,

Ite citæ, en flammas pectora nostra uomunt.
F lagrat aër, suspensa uolant incendia uentis,
Ipse & Amor flammas uentilat, ipsa Venus.
A ffer opem Eridane, fluuiosq; immitte citatos:
Si non, & fluuios hæc mea flamma uoret.

ALLOQVITVR AVES, deinde pecudes.

Quid querulæ arboribus strepitis, qd murmura sylue
Vestra sonant? mox & triste siletis aues?
S cilicet & tepidos soles, auramq; Fauoni
Optatis, dum uer pectora læta fouet,
D um faculas Venus accendit, dum uentilat ignes,
Dumq; Amor è plena tela iacit pharetra.
M e miserum, quid uer Veneris, quid quæritis ignes?
Has faculas, hoc uer pectora nostra dabunt.
Q uærite aues quà nostra uolant suspiria, & illic
Membra fouete igni, corda adolete face.
Q uà uolitant, illic feruent incendia, & illic
Excitat igne faces, temperat arma Venus.
Q uid mœstæ in stabulis pecudes frondentia ueris
Tempora, & optatis florida prata sequi?
F rigoribus medijs, media niue gramina uobis
Præbuerim è lacrymis gramina nata meis,
E lacrymis sata prata meis, frondentia rura,
Perq; graueis hyemes, frigora perq; uirent.
H as Amor, has dolor, ipsa Venus sine fine ministrat,
Et sine fine quidem pabula nostra uirent.

Pascite,

Pascite, pascendo crescunt sata, crescit & humor,
Iam mihi crescit amor, crescit & usq; dolor.

ERIDANVM ALLOQVITVR.

Fontis Acidalij laticem Venus aurea liquit,
Et Paphias myrtos, Idaliumq; nemus.
Eridanus dominæ tantum placet: hanc colit amnis,
Hanc deus, & latis Naides in lacubus.
Huic aras posuit centum Ferraria, centum
Culta Cremona, & auis Mantua nota suis.
Eridanus Veneri (quis credat?) sufficit ignes,
Sufficiunt plenis flumina gurgitibus.
Parce pater flammis, ignemq; auerte sagittis,
Sed flammæ, & pharetris rore medere tuo.

AD STELLAM.

Non alpes mihi te, aut uasti maris æquor, & ipsæ
Eripiant Syrtes: nam mihi semper ades.
Mecum de summa specularis littora puppe,
Et mecum longas isq;, redisq; uias.
Mecum compositis hæres moritura lacertis,
Si pontus, si quid sæua minatur hyems.
Mecum quoq; loco, quicquid fortuna pararit,
Quicquid ago, mecum es, nec nisi semper ades.
Tu curis solamen ades, requiesq; labori:
Et quia semper ades, nil nisi dulce mihi est.
Quòd si quando absis, & te iam Stella requiro,
Siue dies, seu nox, sponte uidenda uenis.
Nam quum sol primos effert pulcherrimus ortus,

Auroræ in gremio tu mihi manè nites.
Illic purpureasq; genas, roseumq; labellum,
Delicias uideo pectora & ipsa meas.
Oraq; in ore deæ cerno tua: tu mihi rides,
Sentio de risu gaudia mille tuo.
Ipsa mihi dicis, iungo mea gaudia tecum,
Dum loqueris, iungo basia nostra tuis.
Inde ubi per medium rapitur sol aureus orbem,
Aurea te nobis solis imago refert.
Illius in radijs uideo rutilare capillum,
Et tua Phœbeo splendet in igne coma.
Quacunq; aspicio lux te mihi, tu mihi lucem
Offers, nec sine te lux'ue, dies'ue mihi est.
Tandem ubi sydereis nox aduenit acta quadrigis,
Clarus & occiduo uesper in orbe nitet:
Ora refert tua nunc mihi candida lucidus hesper,
In Veneris specto te recubare sinu.
Hîc risum, illecebrasq; tuas, hîc oscula nosco,
Lususq;, & gratis abdita signa notis.
Inq; tuis oculis figo mea lumina, & usq;
Admoueo collo brachia lenta tuo.
Tum noua me, uetus ipsa tamen subit antè uoluptas,
Præteritiq; memor mens fauet ipsa sibi,
Mox sopor irrepit membris: sopor ultima præbet
Gaudia, teq; meo collocat ipse sinu.
Amplectorq;, tuis innexus & ipse lacertis.
Sic nullum sine te tempus, & hora mihi est.

DE STELLA.

Nostra die quòd Stella nitet, quòd nocte refulget,
Solem Stella die, sydera nocte refert.
Nocte eadem surgente nitet, cedente refulget,
Phosphoron hîc, illic Hesperon ipsa refert.
Ergo eadem mihi sol, eadem mihi sydus, & una
Lucifer est, eadem uesper & una mihi.

AD STELLAM.

Ad cœnam me Stella uocas, & gaudia lecti:
Mensa mihi posita est, compositusq; torus.
Ipsa ministrabis simul, & simul ipsa recumbes,
Et dabis in medio basia multa mero.
Cœna placet: uenio: ponam sed fœdera lecti:
Me tua cœna iuuat, tu mea pacta proba.
Prima cuba, nec nuda tamen, tenuißima sed te
Tela tegat, Cyprio tela liquore madens.
Ipse sequar: tu me amplexu placidißima blando
Excipe, & in tepido (qua potes) abde sinu:
Oscula mox iunges cupidas imitata columbas,
Oscula non uno continuata modo.
Muta Venus mihi nulla placet: suspiria misce,
Aptaq; lasciuis garrula uerba iocis.
Nec manus officio desit, manus æmula linguæ est:
Hæc tactu Venerem suscitat, illa sono.
Gaudia amor probat hæc: uerum si rixa sequatur
Quam dens, quam'ue aliquid mouerit ausa manus,
Auctor ero rixæ: tu mox offensa quereris,

Vnguibus & scindes pectora nostra tuis.
Scindã ego nunc tunicã, subducta & ueste papillas
Nuda eris, & nullo tegmine bella geres.
Ipsa manum collo inijcies, super ipsa recumbes,
Verbera & ipsa dabis, uerbera & ipsa feres.
Dente petes: ego dente petam: demorsa dolebis;
Ipse sequar, lacrymæ prona per ora cadent.
Tum supplex ueniam grata cum pace rogabo:
Ipsa dabis, simul & basia multa dabis.
Basia multa dabo, iungam quoq; munera pacis;
Munera complexo ter repetita sinu.
Hoc est pacis opus, sunt hæc sua fœdera lecti.
Subscribas: per me nulla futura mora est.

AD STELLAM.

In tenebris mea Stella nites, dum sydera pallent.
Et nox ipsa tuo lucida honore placet.
In medio mea Stella die sub sole nitescis,
Clarior & per te solq́;, diesq́; uenit.
Sic es syderibus decus addita matutinis,
Et radijs debent solq́;, diesq́; tuis.
Sed cur quæ tenebris honor es, decus una diebus,
Cur lumen nobis nocte, dieq́; negas?
Nocte negas, foribus clausis, in luce fenestris.
O tenebræ, non iam Stella'ue lux'ue mihi.

DE PHOENICE AVI, & de amante.

Seligit è syluis Arabum, lucisq́; Sabæis,

Quos

Quos Phœnix ramos ad ſua buſta paret.
Inſtruit his nidum, nido mox incubat ales,
Incubitu flammas excitat inde ſuo.
Vritur hinc, cinerìq; ſuo fit & inde ſuperſtes:
Ipſe ſibi eſt ortus, ipſe ſibi eſt obitus.
At contrà è curis grauioribus, atq; dolorum
Seligit è cumulo, quîs foueatur amans.
Incubat his gaudetq; malis, fruiturq;, doletq;,
Hinc moritur, poſt hæc ad ſua uota redit.
Ille tamen poſt mille annos, poſt ſecula dena,
Aſt hic quoq; die naſcitur, & moritur.

ALLOQVITVR HELIAdes ſorores.

Quid mœſtæ, quid cœrulea ſub fronde ſorores
Lugetis? miſeros amne iuuante modos?
An fratrẽ Phaëthonta, uagis quòd tractus habenis,
Ah miſer, externis exulet ipſe locis?
Hinc electra fluunt, lacrymoſaq; gutta rigeſcit.
Hæ lacrymæ, hi luctus ſuccina lenta ferunt.
Flete piæ, lugete piæ Phaëthontides, & me
Vel ſocium ueſtris luctibus accipite.
Si deſint uobis lacrymæ, ſi deſit & imber,
Ipſe quidem lacrymæ, luctus, & imber ero.
Per me etiam Eridanus creſcet ſtagnantibus agris:
Finis enim lacrymis nulla futura meis.
Per me etiam ripæ mittent incendia flagret
Amnis, & in medias ignis iturus aquas.

C edite cultores: ripas & flumina iam iam
Vsta dabo, in flammas ibit & omne nemus.

STELLAM ALLOQVITVR.

Quale per æstatem sub sole rigentibus herbis
Blanditur lapsis aura recens folijs,
Quale per arenteis hortos in uere tepenti
Nox mulcet teneras rore madente rosas:
T ale mihi dum mens languet, dum pectora feruent,
Nostraq; in incertum uela gubernat Amor,
T ale seni solamen ades mihi dulcior Hyblæ
Stella fauis, umbra gratior Idalia.
A ura recens: nam Stella mihi flagrante sub æstu,
Ipsa meos ignes rore madente leuas.
E labris mihi ros, ex ore recentior aura
Spirat Stella tuo, stillat & ipse liquor.

AD ANTIMACHVM MANtuanum de amoribus Mincij, ac de Vergilio.

D ucebat choreas Veneris puer inter olores,
Eridanus placidis quà nemus ambit aquis.
N aides, & sociæ uaria sub ueste Napææ
Fundebant raris carmina culta modis,
I pse manu rutilam gestabat ab ære sagittam,
Et leuis instabili sub pede pulsat humum.
Quaq; mouet pennas, tremulæ stridere fauillæ,
Perq; leues frondes sparsilis aura micat.
E ridanus spectat fluenti crine superbus,

Populeo

Populeo madidum cinctus honore caput.
Mincius & spectat varianti lætus amictu,
Mincius Ausoniæ clarus honore tubæ.
Spectat arundineo formosus Mela galero,
Diues & undosis Abdua gurgitibus.
Quiq; amnes socij regem uenerantur, & ipsi
Quiq; scatent fontes, quæq; palustris aqua.
Ecce autem niueis cycnus se sustulit alis,
Cycnus olorini duxq;, decusq; chori,
Deq; manu pueri rostro plaudente sagittam
Eripit, & cantu sydera summa petit.
Concepit flammas ferro stridente sagitta:
Gaudet olor, fraudem ridet & ipse puer,
Inq; sinum Minci rutilis delapsa fauillis,
Afflauit tenero fulgida amore senem.
Hinc in Pasialen telo flammante reluxit,
Pasiale uulnus sensit & ipsa suum.
Instaurauit Amor choreas: suspirat uterq;:
Cantat olor, cantu consonat omne nemus.
Senserunt flammas ripæ, sensere salicta.
Infantem decimo sydere Nympha parit.
Excipit hunc, tepidoq; sinu complexa Melisse
Blanda fouet, blandis conciliatq; iocis.
Instratum lauri folijs, somnoq; grauatum,
Tutanturq; & apes, labraq; melle linunt.
Hinc Musæ placidis salicum docuere sub umbris,
Sebethus liquidis quà fluit uber aquis.

Inde specu exceptus, uiridisq; in rupe Veseui
Pastor agens cecinit, Tityre coge pecus.
Huc ades ô Meliboee, caper tibi saluus & hoedi.
Ite domum saturi, nox uenit, ite greges.
Post lætas segetes, quo sydere uertere terram
Conueniat, Baccho qui sit & aptus ager.
Cura boum quæ sit, pecori quis cultus habendo,
Et docuit pressis mella liquare fauis.
Felix aruorum cultu, felicior armis,
Dum profugum Aeneam, dum canit arma uirûm.
Illi Vulcanus clypeum, sua Mulciber arma
Aptat, & in classem corruit omne nemus.
Illi fatorum seriem, gentisq; togatæ
Deiphobe Glauci monstrat, & omne genus.
Inde sedens ebore in niueo Sebethida ad undam
Colligit Hetruscas, Marrubiasq; manus.
Agmen agit Lausus, magniq; ipse agminis instar,
Attrituq; pedum terra Sabina tremit.
Et quoties raucum gemuit caua buccina, matres
Presserunt natos pectora ad ipsa suos.
O salue Italidum gentis decus, in Latium qui
Aonio ducis uertice Pieridas.
Salue & Idumæas debet cui Mantua palmas,
Cui Phoebus Latio uestit honore comam.
Sparge Charis roremq; tuum, Syriosq; liquores,
Parthenope uiolas, Mantua funde rosas.
Ipse aram statuens uati, uenerare Camoenas

Antimache

Antimache, & patriæ concine grata tuæ.
Quæ puerum genuit, cuius ſub uoce locutæ
Pierides noſtrum conſtituere decus.

DE INFELICITATE amantum.

Cantando luces peragit ſub fronde cicada,
Et mulcet ſyluas carmine læta ſuo.
At tenebras ſub rore leui, ſub deſide ſomno
Tranſigit & noctes, nocte iuuante, ſuas.
Cantando moritur, ſentit nec tædia mortis,
Quin cantu uitam ducit & exequias.
O felix ortu, interitu felicior: at me
Et nox nigra grauat, uexat & atra dies.
Ante fores iaceo gelidæ ſub frigora brumæ,
Nec pudet ætatis, Pieridumq́; ſenem.
Ante fores ſub ſole, Leo dum feruet, & ignis
Vſtulat Icarius, conqueror uſq; ſenex.
Vror amans, tabeſco ſenex, lux omnis amara,
Nox inimica mihi eſt, noxq́; diesq́; nocet.
Sors iuuenum miſeranda, ſenum deflenda: cicadæ
Sors felix: ô iam diſcite quid ſit amor.

QVERITVR DE ERIDANO.

Et cœlo Eridanus candenti ſydere fulget,
Et terris Stella candidiore nitet.
Illic igne ſuo miſcet cum nectare lymphas,
Hîc flammas fluuio feruidus igne uomit.

Illic fundit aquas, hîc ignes cœrulus amnis.
Me miserum gelida qui cremer ustus aqua.

AD STELLAM.

Nudasti mea uita sinus, & sponte papillas,
Admostiq; meam pectora ad ipsa manum,
Oraq; cum teneris iunxisti nostra labellis,
Sedistiq; meo sarcina grata genu.
Ceruicemq; amplexa, leui mox uicta sopore
Concidis in nostrum languida facta sinum,
Longaq; post fessos suspiria claudis ocellos,
Dum tibi sopitæ serpit ad ossa quies.
Ipse tibi tenuem procuro sedulus auram,
Composita & moueo lenia flabra manu.
Ipse tibi somnos cantu leuo: cantus amores
Sarnidis, & Fauni dulcia furta refert.
Faune ueni, tibi Sarnis adest ad flumina nota,
Ad notas salices candide Faune ueni.
Ecce tibi niueum uiolæ cum flore ligustrum
Iungo, & puniceis lilia cana rosis.
Roscida seruantur legi tibi quæ modò fraga,
Fragaq; quot, totidem basia & ipsa paro.
Huc ades ô formose, tibi nam nuper ad amnem
Siccauiq; meam, disposuiq; comam.
Pierides compsere caput, dum corpus & ipsæ,
Et crines flauos molliter amne lauant.
Inde comam Aßyrio certatim unxere liquore,
Inde Arabo nostrum spirat odore caput.

Quin

Quin citharam docuere, & me fecere magiſtram,
Et data pro magno munere eburna chelys.
Faune ueni, te Sarnis amat, ſuſpirat & unum,
Et parat in niueo gaudia multa ſinu.
Fiſtula te & calami uocitant: uocat æſtus & undæ,
Auræq;, & murmur ſubſilientis aquæ.
His ego mulcebam ſomnos: tibi purpura mollis
Tingebat niueas flore decente genas.
Qualis ubi ad thalamos Hebe deducta mariti
Ad cupidi erubuit baſia prima uiri.
O quoties ſparſos, errant dum fronte, capillos
Collegi, blanda diſpoſuiq; manu.
Sic Lede placitura fuit, ſic uxor Oreſtis,
Atq; Helene, dixi, ſic quoq; culta fuit.
Et modò compoſitum reieci in colla capillum,
Et dixi, hac placuit Laodomia coma.
O quoties teneras uariaui flore papillas,
Et dixi, Charites ſic coluere ſinum.
Ornabam gemmis digitos: ad Pelea quondam
Vecta Thetis, niueam ſic tulit ipſa manum.
Brachia nudaui, Auroræ ſunt brachia, dixi.
Admouiq; cauæ roſcida poma manu:
Sic rear ad uirides myrtus requieſſe Dionen,
Poma manu Paridis dum tenet illa ſui.
Ipſa ſinu ambroſiam ſpirat, perq; ora recurſant
Blanditiæ, & grato miſtus honore decor.
At tibi perq; genas, roſeis q; infuſa labellis

Ludit, & in tenero gratia amica ſinu.
E t quoties blandos ſomno recludis ocellos,
Crediderim uel te poſſe mouere deos,
Q uosq; moues: uerum cuſtodia noſtra tuetur,
Teq; meo patior non abijſſe ſinu.
T unc ego non ſuxiſſe quidem, libaſſe labellum,
Sed tibi ſopitæ nil nocuiſſe uelim.
S ic leuis ad ſummum florem de rore liquenti
Libat, & è tenero gramine lingit apis.
O ſcula libabam, quæ tu uelut excita ſomno
Excipis, atq; aliquid uelle uidere loqui.
V elle loqui dum uiſa, ſimul dum baſia carpo,
Auraq; de molli ducitur ore mihi,
D um ludo improbius, tua duriter ora momordi:
Hei mihi, clamaſti: ſic iubet ipſe dolor.
H ei mihi, clamaui: parcas mitiſſima, dixi.
Parcis, & inſolito es blanda refuſa ſinu.
C olla notas, & labra notas: mox ulta dolorem
Riſiſti, & gratos mouit uterq; iocos.

AD STELLAM.

S tella tibi cœlum patria eſt, hinc clara refulges:
Si tibi terra domus ſit, domus Aſſyria eſt.
A ſſyrios etenim ſpirat tibi pectus odores,
Aſſyrio mollis ſtillat ab ore liquor.
S in quia deliciæ, & Veneres, blandiq; lepôres
Tecum habitent, patrij ſit tibi terra lares,
I pſa domus, patrijq; lares ſit Cyprus, & una
Sit

Sit Veneri, atq; eadem sit tibi Stella domus.

LACRYMAS AMORI, SVspiria Cupidini dicata.

Debentur Cereri segetes, debentur & horti
Lampsacidæ, flores candida Chlori tibi.
Mellaq; debentur flauæ Thymbræa Melissæ,
In sortem cesſit Pallas oliua tuam.
Sunt Zephyri faciles auræ, blandiq; susurri,
Sunt fontes munus casta Diana tuum.
Mundiciæ Charitum sunt, oscula nubilis Hebes,
Cypridis amplexus gaudiaq; illa thori.
At lacrymas, questus, at suspirantia uerba,
Has Amor assumit, illa Cupido sibi.
Crudelis uel uterq; deus, sed blandus uterq;.
Blandus uterq; quidem, sed sine mente deus.

DE STELLA.

Stella mihi in tenebris fax est ad gaudia noctis,
Hanc sequor, hæc dux est, hæc mihi certa uia.
Stella die in medio nox est ad gaudia lucis,
Gaudia Stella die, gaudia noctis ea est.

DE VENERE ET AMORE.

Exhausit pharetram Veneris puer, at Venus ignis
Extinxit: Venus hinc inde & inermis Amor.
Exhaustā hic pharetrā, extinctas flet Cypria flammas.
Hic arcum lacrymis tingit, at illa faces.
Ne ue puer, neu fle mater: dant spicula mille
Stellæ oculi: puer his utere pro pharetra.

Quum flammas mea corda uomant, his utere mater
Pro face, inexhausta tu face, & hic pharetra.

DE SE AC DE STELLA.

Subrisit, blandosq; manu compreßit ocellos,
Mox furtim infecit gutta iterata genas.
Scilicet amplexus repetit dum Stella beatos,
Osculaq;, & dulci garrula uerba sono,
Risit, & argutos dextra compreßit ocellos,
Delitias nosset ne qua puella suas.
Mox ubi demorsi succurrit triste labelli
Vulnus, & insani plaga maligna ioci,
Exciuit lacrymas infelix ira coactas,
Et de me uisa est non bona uerba loqui.
Dij faciles quid amara bonis, quid tristia lætis
Miscetis, curas ingeritisq; nouas?
O desint lusus, dum desit cura puellis,
Dum lacrymæ desint ipse tepescat Amor.
Hos'ne oculos lacrymare, genis'ne inducere guttas?
Parcite di, nil uos tam noua forma mouet?
Sed lacrymare licet, lacrymis formosior ipsa es.
Iam fluitent lacrymæ, nunc mihi chara places.
Fac lacrymas, fac ipsa genis manare fluentum,
Nostra se ut hoc ipso temperet amne sitis.
Amne sitim sedare licet, licet oscula furtim
Surripere, & lacrymis inseruisse iocos.
Di faciles, miscere iuuet nunc tristia lætis,
Oscula cum lacrymis, cum lacrymisq; iocos.

Dic

Dic mihi blanditias, dic suspirantia uerba.
Quid latet in tepido bella papilla sinu?
Da pectus tractare tuum, niueasq; papillas,
O in delicias pectora nata meas.
Nunc liceat sæuire, atq; insanire: uolenti
Aspera, nolenti mollis, & æqua ueni.
Nolentem cupidis uesana incinge lacertis.
Oscula nolenti, dum uetat, ipsa rape.
Nunc cupio, nunc ipse uelim: tu dura recusa,
Et mea uesanis unguibus ora pete.
Dic tenerum, dic dulce aliquid: quid uertis ocellos?
Teq; meo lacrymans subtrahis usq; sinu?
Pone irã, & lacrymas: sed te lacrymare decorũ est:
Tu face, ut hæ lacrymæ nostra per ora cadant.
Tu face, ut has lacrymas siccem, face ut oscula carpã,
Inq; meos oculos candida fige tuos.
Fixisti simul & rides, nunc oscula iunge,
Oscula compositæ pignora pacis eant.
Oscula complexu gaudent, pax gaudet utrisq;,
Pace Amor exultat, pace & Amore Venus.
Tu pacem mea uita colas, recolamus Amorem,
Sic erit ex æquo mutua nostra Venus.

AD STELLAM.

Quum tenerũ, quũ dulce aliquid blandumq; iocaris,
Ah medio mihi tum corde liquescit amor.
Spem mihi quũ & cupidis pacẽ promittis ocellis,
Lux oculis, toto corpore sensus abit.

Quum rides, ignemq; oculis, uultuq; fateris,
Mens animum, ipse animus pectora destituit.
Amplexu iam Stella tuo succurre cadenti,
Ore animum & foueas, oreq; redde animam.

AD STELLAM.

Libat apis de rore fauos, mellisq; liquorem.
Inde hominum mulsum, nectar & inde deûm.
De labris mea Stella tuis mihi mella liquescunt:
Hic ros mella mihi stillat, & iste fauus.
Condit & his Venus ambrosiam, mihi parcite diuæ.
Sola Venus uera diffluit ambrosia.

DE SVSPIRIIS AMANTVM.

Distillat forte è tenui uagus amnis, & inde
Labitur effusis non rediturus aquis.
Emanant corde ex imo suspiria, moxq;
Conuersa redeunt in sua corda uia.
Ex oculis lacrymæ postquam fluxere, nec illas
Luminibus rursum restituere genæ,
Cur reuocant ad se rursum suspiria curæ?
Rursus & infestat tristia corda dolor?
Nulla quidem ratio est: etenim rationis amantes
Expertes, omni cæca in amore uia est.

DE ERIDANI FELICITATE.

Felices Hermi ripæ ditante metallo,
Felicesq; Tagi, quas rigat unda ferax.
Electro felix, felix Mantoide cera
Eridanus, flauis quà petit æquor aquis.

Electrum

E lectrum ramis stillant frondentibus alni,
Succinaq; è lento cortice lapsa fluunt.
F undit mella fauis è dulcibus, eq; liquenti
Rore premit tenera culta Melissa manu.
I lla Bianoreis Minci pulcherrima ripis
Regna tenet mellis pulcher Hymete tui.
R egna tenet laticis, quem florida deliquat Hybla,
Hybla faui & mellis, diues & Hybla thymi.
A t longè superatq; Hyblen, superatq; & Hymeton
Eridanus, Cypria ditior ambrosia,
A mbrosia, teneris spargit quam Stella labellis,
Spargit & è roseo lucida Nympha sinu,
S pargit & ex oculis: ipsi mihi parcite diui.
Eridani sors est inuidiosa deis.
E ridano assurgunt Musæ: noua Mincius antro
Intonat, & uarios uoce, manuq; modos.
A ssurgunt Charites, ipsa & dea mater Amoris
Summittitq; faces, signaq; subdit Amor.

AD STELLAM DEPRECATIO.

N e misero, ne Stella seni blandire: quid ignem
Exagitas? facibus ne precor adde faces.
V is misero, uis ipsa seni indulgere, remitte
Blanditias, oculos & mihi dura nega,
V erba nega, uultumq; nega, mihi dira precare.
Ipse precor ueniant omnia dira mihi.
P eccatum est, mors pœna mihi, aut miserabile fatũ,
Nam ueniæ misero quis locus esse potest?

Sit pietas periisse reum: fecisse beatum
  Ipsa cupis, miserum redde, beatus erit.
Supplicium infelix à te pro munere posco:
  Supplicium meritis grata rependa meis.
An potui immorsis dentem fixisse labellis?
  An potui lacrymas dente ciere tuas?
Spectaui flueret crudo dum uulnere sanguis,
  Admoui iugulo tela nec ipse meo?
Spectaui exanimem, uiso dum lapsa cruore
  Concideres? uiso nanq; cruore cadis:
Nec cecidi super ipse miser, nec uulnera laui?
  Hic error dira cæde piandus erat.
Forsitan aut lacrymas siccaui, aut deniq; dixi
  Vt misero parcas, ô mea parce tibi.
Quid tibi dens, quid amare precer, quũ ludere poßis
  Lædere qui malis? uimq; in amore sequi?
Imprecor, ut qui regnat Amor, noua ponat amandi
  Iura, ferat leges & deus ipse nouas.
Nullaq; sint concessa uiro, concessa puellis
  Oscula, contineat basia quisquis amat.
I sæui dens sæue, i dure & consere demens
  Prælia, nequitiæ iam tibi finis adest.
Tu uero mea lux (etenim tibi mollia corda)
  Parce, sed (ut fas est) utere iure tuo.
Suge nota, fige impresso mala uulnera dente.
  Cauit amor: capias oscula mille licet.
Id tantum formosa uide, uesana caueto,

(Quàm

(Quàm uereor, noceat ne dolor ipse tibi)
Dum sæuis, dum dente furis, dum uulnera figis,
Liuor & insanas linquit in ore notas,
Ne linguam nostris committas forte labellis,
Ne temere id, quod te lædere poßit, agas.
Nulla fides legi, ualeat reuerentia legum.
Culpa tua est, partes dens aget ipse suas.
Nec sat erit suxisse genas, strinxisse labellum,
Tuta nec in clauso lingua erit ore tibi.
Iam meditor, tunc colla manu, tunc unguibus ora,
Et mea tum ferro pectora iniqua petes.
Ipse tuos miser ante pedes commissa fatebor,
Et dicam, in tua nunc inijce iura manus.
Sed non inijcies, & me complexa fouebis,
Et tua miscebis basia multa meis.
Hinc sopor irrepet laßis, resolutaq; membra
Composito ducent ocia grata toro.

QVOD DIE NIMBOSO
Stella nata sit.

Mira fides, periere rosæ, cecidere hyacinthi,
Et uiolæ: nullis est decor arboribus:
Non Zephyris est ueris honos: hac luxit Adonin
Luce Venus miseris decolor exequijs.
Hac Charites secuere genas, uulsere capillum,
Et Nymphæ mœstis ingemuere modis.
En rursùm rubuere rosæ, nituere hyacinthi,
Et uiolæ, ipse suis est decor arboribus.

En Zephyris est ueris honos: hac fulsit in ortu
Stella die auratis concolor à radijs:
Hac Charites pinxere genas, compsere capillum,
Et Nymphæ teneros concinuere modos.
Læta Venus renouatq; faces, natusq; sagittas,
Et noua de manibus uulnera uterq; iacit.
Hinc tamen euentus licuit spectare futuros,
Ecce ades ærumnis Stella serena meis.

DE AMANTIVM infelicitate.

Vere rosas, segetes æstate, subinde racemos,
Perq; hyemem Genij dona beata legunt.
Flora rosas, messemq; Ceres, Pomona racemos,
Inde suas Genius sponte ministrat opes.
At miserandus amans & frigore tristis, & æstu,
Vereq;, & autumno nil nisi triste legit.
Hinc amor, inde Venus lacrymas, suspiria, questus,
Inde Cupido grauem fundit amaritiem.
Sin quandoq; rosas legit, & legit ipse hyacinthos,
Perq; suas senteis, perq; rubeta legit.

DE ERIDANO.

Heliadum è lacrymis Phaëthontiadumq; sororum,
Eridanus mœsto succina in amne legit.
E lacrymis quum Stella suis lauit ora, genasq;,
Stillat & hinc uiolas, afflat & inde rosas.
Electro felix, felix uiolisq;, rosisq;
Eridane: è lacrymis sunt tibi diuitiæ.

AD IO-

AD IOANNEM PARDVM.

Non arcum meditatur Amor, non ſpicula Parde,
Et tela & pharetras occupat ipſe ſitus.
Pro pharetra nudis deus utitur ipſe papillis,
His tincta Idalio ſpicula felle latent.
Vtitur idem oculis in uulnera noſtra ſagittis.
Ex oculis heu heu miſſa ſagitta ferit.
Tu uero quoties felix in amore, papillas
Tractabis, ſis ô ſis memor uſq; tui.
Illic inſidias, illic latitare pharetras,
Letiferumq́; illic uirus ineſſe puta.
Quumq́; tibi ex oculis mollis ſpirauerit aura,
Et ferro, & flammis pectus inerme peti.
Heu heu non oculis, non me puer iſte papillis
Aut petit, aut urit, uel mea corda ferit.
Me riſu, me Stella capit, hic ignis, & arcus,
Hic ſolus noſtro pectore regna tenet.
Nunc ride formoſa, meis nunc ignibus inſta,
Et mea ridendo pectora molle feri.
Molle feri formoſa, trucesq́; auerte ſagittas,
Neu ſanguis, neu te funera noſtra iuuent.

AD SYRIANAM.

Dic age, dic Syriana, deus quis curet amantes?
Nempe Amor. Aſt odit quis deus? Odit Amor:
Odit Amor, quoniam ferrum meditatur, & ignes,
Letifera ſpargens ſpicula torta manu.
Curat Amor, quòd & amplexus, & grata procurat

Oscula, quòd placido gaudia mille toro.
Quis deus hic Amor est? pacem qui curat & arma,
Et pace in media tela cruenta iacit?
Hæc & acuta iacit, iacit illa retusa: nec igni
Indita certa fides: hic cremat, ille gelat.
Vrit & hinc flammis torrentibus, inde liquenteis
Soluit & in latices, illeq́;, & ille dolet.
Talis Amor deus est: maris hic uestigia seruat,
Nunc sæuit, blandis nunc agit ipse modis.
Nil lætum, nil dulce diu sinit, aut sinit ægrum
Instabilisq́; puer, & puer ipse deus.
Imperium crudele, sed indulgentia mitis,
Quin mite imperium, sed sine lege puer.
Sed sine mente deus: procul hinc discedat amator,
Solus Amor puer est, sola tyrannis Amor.

AD AMOREM DEVM.

Nulla puer sunt tela tibi, non flexilis arcus,
Deq́; tuo nullus uulnere sanguis abit.
Pax colitur, coliturq́; torus, castiq́; penates,
Et genus & soboles, munus id omne tuum.
Tu uincis animos hominum, tu pectora iungis,
Iungis & hinc iuuenes, iungis & inde senes.
Non puerile tibi ingenium, aut uariabile numen,
Nec uolucres alæ, nec leuis aura placet.
Sed constans, sed certa fides, concorsq́; uoluntas,
Scriptaq́; sub certa fœdera lege probas.

Nec

Nec mens cæca tibi eſt, cæco ſeu ſpicula iactu
Moliris, cæcum ſeu meditaris opus.
Omnia certa uides, ſunt omnia nota uidenti.
Nil tibi cum tenebris, nil tibi cum latebris.
Solus Amor uidet in tenebris, in luce uagatur,
Solus & ignotas nouit inire uias.
Solus ubi eſt iter in biuio, diſcernit utrunq;.
Nulla illi ignota eſt ſemita, nulla uia.
Perſtat, & infixis altè radicibus hærens
Creſcit, & ipſe ſuas ſedulus auget opes.
Nec uolucreis pennas pernicibus explicat alis,
Sed manet, & ſtabili perſtat ubiq; pede.
Non igitur puer eſt Amor, incinctus'ue pharetra,
Nec pennas nudus, cæcáue tæla quatit:
Sed deus eſt, qui corda hominũ, qui pectora mulcet,
Et mulcet gratis illáq; & illa modis.
Quiq; puellarum mentes regit, & regit artem,
Et thalami ſanctas ſancit amicitias.
Nam quodcũq; in amore malum, quodcũq; moleſtũ,
De uitijs hominum ſemina certa trahit.
Hinc iuuenes, illinc peccant & utrinq; puellæ,
Vt contra nequeat ſiſtere ſolus Amor.
Hinc puer, hinc arcu, facibusq; armatus, & igni,
Et cæca ſpargit ſpicula cæca manu.
Blande puer, deus ipſe, deus facilisq;, potensq;,
Salue Amor, & generis conciliator aue.

DE PALMA BITONTINA & Hydruntina.

Brundusij latis longè uiret ardua terris
Arbor, Idumæis usq; petita locis.
Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma:
Illa uirûm referens, hæc muliebre decus.
Non uno creuere solo, distantibus agris:
Nulla loci facies, nec socialis amor.
Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor.
Vtraq; frondosis & sine fruge comis.
At postquam patulos fuderunt brachia ramos,
Cœpere & cœlo liberiore frui,
Frondosiq; apices se conspexere, uiriq;
Illa sui uultus, coniugis ille suæ
Hausere & blandum uenis sitientibus ignem,
Optatos fœtus sponte tulere sua.
Ornarunt ramos gemmis (mirabile dictu)
Impleuere suos melle liquente fauos.
Mirum, si ex oculis & Amor sua spicula iactat?
Et Venus accensas spargit ab ore faces?
Mirum, si Eridanus, si uel regnator aquarum
Rore suo nostras temperat usus faces?

DE FESTIS MARTINALIBVS.

Martinum conuiua saturq;, & potus adoret,
Hunc nobis ritum Gallia prima dedit.
Hunc patres tenuere, tenent nunc Itala regna,
I puer, & multo pocula tinge mero.

D iue faue, nunc te colimus, tua templa ueremur,
Et numen fœlix ducimus esse tuum.
D iue aßis. Calabros famuli geminate trienteis:
Instaurent positas fercula crebra dapes.
N umen adest, geminas uideo splendere lucernas,
Intueor triplici tempora cincta face.
D iue parens Martine ades, & tua pocula uise:
Te cyathi, & calices, te tua musta uocant.
E uge pater, bibit ipse pater, calicemq́; supinat.
Quisquis adest cyathos sumite, adeste deo.
D icamus bona uerba, precemur & ocia pacis.
Pace penus grauida est, uinea pace nitet.
P ace fluunt tua uina pater: tu Gallica seda
Prælia: nam seruit Gallia cuncta tibi.
A nnuit ipse deus: pueri noua uina ministrent.
Vos mecum alternas continuate uices.

DE VENERE LAVANTE
se in Eridano, & quiescente.

L auerat Eridani liquidis Venus aurea lymphis,
Et fessam choreis presserat alta quies.
M ulcebant myrti dominam flagrante sub æstu:
Inuitat somnos murmur, & aura leuis.
A ura leuis suras furtim nudabat, at illi
In somnis uisus pulcher Adonis erat.
I llius in roseis figebat rapta labellis,
Oscula & in tenero bella gerit gremio.
H os inter lusus somno dilapsa figura est.

Ah miseram in lacrymis linquis Adoni deam.
Ipsa querebatur: questum sopor æger acerbat.
Quò fugis? heu quid me, clamat, Adoni fugis?
Ad gemitũ coëunt Nymphæ, miserantur amantem,
Et formam, & lacrymas adiuuat ipse sopor.
Illius in placido ridebat gratia uultu,
Fulgebat niueo pectore rarus honos.
Stillatim ex oculis manabat gutta, genasq́;
Signabat tepido flumine gemma fugax.
Hic ut erat Veneri propior Bundenis, ocellis
Admouit onycem, siccat & ora manu,
Colligit & sparsas candenti in pectore guttas,
Sed mirata prius pectora subriguit.
Exuuijs his læta abijt. Venus excita somno
Inter olorinos conspicienda choros.
Plauserunt dominæ uolucres, plausere salicta,
Summisit canas aluus opaca comas.
Ipsa uehebatur cycnis: comitantur euntem
Naides, & nitidos picta Napæa sinus.
Quà uolitat dea, funduntur uiolæq́; rosæq́;:
Ridet humus: uario uernat odore nemus.
Ambrosiæ stillant riui, Chariteia turba
Fundit opes Hyblæ, fundit Hymete tuas:
At lætæ uolucres concentibus aëra mulcent,
Mulcet Amor uolucres, mulcet Amor pecudes.
Miscet Amor fluuiosq́; simul, Nymphasq́; lacustres.
Flumina amant, & amat rustica turba Dryas.

Arridet

Arridet cœlum Veneri, blanditur & aura,
Ac resides syluas ipse susurrus agit.
At dolet Eridanus Martis memor: heu pater, inquit,
Armorum, quid te Thessalis ora tenet?
Strymona quid, Pindumq; colis? ne bellice cessa:
In Veneris teneros fesse recurre sinus.
Tota tua est, tibi se compsit dea, te meus amnis
Expectat: tibi nunc regia nostra uacat.
Illa sequens Minci ripas diuertit ad antrum,
Vnde suas uersat lubricus amnis aquas.
Hic centum niueæ ducebant fila sorores,
Oceano nentes candida texta patri.
Accepere deam famulæ: pater ipse seniles
Prætendit gressus, tectaq; in ampla uocat.
Hic citharæ, cantusq;, & pocula lenis Iacchi,
In luxum & thyasos tota parata domus.
Nais at interea Bundenis læta per hortos
Errat, & in dextra candidus ardet onyx.
Hunc uidet, hunc spectat gelida lasciua sub umbra,
Et sibi de lacrymis facta superba placet.
Ecce per aduersas anguis se sustulit herbas
Sibilus, atq; oculis tetra uenena iacit.
Corruit exanimis Nymphe, mens deserit artus.
Fusus onyx, lacrymis uda madescit humus.
Da ueniam Venus alma rogat, Venus alma rogantē
Audit, & optatam fert dea mitis opem.
Quaq; liquor maduit, frondescit Amaracus illic,

Et grato uiridem flore colorat humum:
Quaq; & onyx, illo candescunt lilia prato,
Aemula candori lilia Cypri tuo.
Sparge suum florem Veneri formosa puella,
Nec sua non Veneri lilia funde puer.

DE NISEA, ET CHARITEO.

Ora Terentiolæ myrrham flant, pectora nardum,
Dulcidiæ stacten labra Liquori tua.
Colligit hæc Nisea simul, conspergit & aura
Ambrosiæ, quam flat crinibus ipsa suis.
Pyxide mox parua uiridi circundata myrto
Dedicat, & ponit Cypria diua tibi.
Optat, & ut pariter cum coniuge transigat annos,
Quod Nisea cupit, quod Chariteus auet.

DE VENERE.

Euolat è gremio terræ leuis halitus, illum
In rorem uertit noctis amica quies.
E facie teneræ lenis fluit aura puellæ,
Vertit eam in mentis dulce leuamen Amor.
Illius aspersu mulcentur roscida prata,
Huius at afflatus pectora fessa leuat.
E gremio spirant telluris flabra, uicißim
Quæq; quieta ferant tempora, quæq; mala.
Quos risus, quæ det suspiria pectus amantis,
Ipsa eadem facies, utraq; signa dabit.
Cur non è terra, sed de spumantibus undis
Nata, sed irato sit Cytherea mari?

Fluctuat

F luctuat an semper miseri quia pectus amantis?
Aestuat & uarijs mens agitata modis?

DE VENERE ET ROSIS.

P ectebat Cytherea comas, madidumq; capillum
Siccabat, Charites carmina lecta canunt.
A d cantum Satyri properant, ad carmina Nymphæ,
Carmina de tacitis sepibus hausta bibunt.
H inc aliquis petulans ausus prodire Dionem
Intuitur, docta dum linit ora manu.
E rubuit pudibunda, ruborq; per ora cucurrit,
Occupat & teneras purpura grata genas.
M ox interq; rosas, interq; roseta refugit:
Delitet, & molles spirat ab ore crocos.
D um spirat, funditq; crocos, dum purpura fulget,
Concipit afflatus dædala terra deæ.
H inc & purpureum flores traxere colorem,
Quæq; prius candor purpura facta rosa est.
H as legite, his teneræ crines ornate puellæ,
Pestano niteat lucida rore coma.
V ere rosas, æstate rosas diffundite diuæ.
Spirent templa rosas, ipsæ & olete rosas.

AD CARBONEM.

F ictilibus si cœna placet tibi candide Carbo,
Cœna parata tibi est, ruraq; nostra patent.
E t penus, & uirides horti, genialis & umbra,
Quasq; suas pandit Citria sylua comas.
V ina mihi deprompta & lecta, & grata bibenti,

Aurea siue probes, seu mage nigra placent.
L enis aquæ, simplexq́; latex, & fertilis urna:
Certet ut inde merum, pugnet ut inde latex.
V ernarum mihi fida manus tibi nota ministret,
Marmaricosq́; agitet barbara turba choros.
F ictilibus tibi mensa, abacusq́; nitescet acernus,
Nullus in extersa non erit æde lepos.
I n primis frons læta, & grati ad pocula lusus,
Et culti, & nulla rusticitate sales.
P rincipio grauidis ponentur lecta canistris,
Quæ tulit autumnus, quæ meus hortus alit.
R oscida erunt, matura & erunt, & sole recocta,
Quæq́; sua carpsit Antiniana manu.
H inc ponetur auis fallaci præda coloni,
Primaq́; cui nomen ficus amata dedit.
P ingui iure natet, salsaq́; immista suilla.
Condiat & tritum lauta patella piper.
D e lanio nihil hîc, nihil è caupone morare,
Rura dabunt quicquid nostra culina coquit.
A ltilis inde capus, raptiq́; à matre columbi,
Anser & implumis, & bene pastus anas.
P òst tener & lactens, & primis cornibus hœdus,
Quem corno, & ceraso farserit apta manus.
F orsitan accedet callosum tergus & apri,
Aut celeris catuli deuia præda lepus.
C ertus at in uerubus fumat iam porcus, obeso
Et turdo, & merulis, atq; palumbe satur.

Cuiq;

C uiq; ſuus præſto ſapor, aut quem cœrula limon
Temperet, aut quem dant punica preſſa liquor.
S eu quem bacca liquat myrti, liquat herba uirentis
Serpilli, aut dulci corna recocta ſapa.
F eltrius accedat tecum: te culta Patulcis,
Illum pro foribus Antiniana manet.
N ec deſunt uina, & lances, menſamq; ſecundam
Qui curent, miſſas nec ſine lege dapes.
N ec tibi poſt epulas deerit præceptor amorum,
Ingenio perijt qui miſer ipſe ſuo.
N ec formoſa ſuis quem Cinthia cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
D elia nec laſciua neget tibi carmen, & ille
Qui cupit in gelidis montibus eſſe lapis.
B aſia uel tibi mille dabit, dabit altera mille
Leſbia, quiq; ſenes nullius aſſis habet.
T u modò linque forum, linque & uadimonia Carbo
Tantiſper, tibi dum ruſtica cœna datur.

AD FORTEM TERAMA-
num conſolatoria.

S ic quereris Teramane, dolor ſic pectora uexat,
Audiat ut queſtus Daunias ora tuos.
S ic miſer erepto ſenſim tabeſcis amico,
Nulla ſit ut lacrymis meta futura tuis.
P irithoum Theſeus, Patroclum fleuit Achilles,
Sed finem lacrymis fecit uterq; ſuis.
E t mortem Euander nato licet optet adempto,

Insilijt mœstos non tamen ipse rogos.
Nec minus in patriam nato moriente superstes,
Et charam uoluit Nestor adire Pylon.
Daunus & extincto crudeli funere Turno,
Solatur nati fata cruenta pater.
Nil adeò durum est, quod non sua molliat ætas,
Et quem mens nequijt, tempora certa leuant.
Adde quòd haud lacrymis dignus, sed laudibus ille est,
Pro patria uoluit quisquis obire sua.
Illum uenturis retinentem nomina seclis,
Tollet ab obscura fama perennis humo.
Hac duce Tarpeiam Decius se uouit ob arcem,
Coclitis & uirtus hac duce nota fuit.
Hinc duo Scipiadæ, repetito & uulnere fortis
Porcius, hinc animæ prodige Paule tuæ.
Mars pater, & defensa Iouis Capitolia magni,
Et seruata suis Vesta uerenda focis.
Illis Elysias sedes tribuere piorum
Certa loca: hic patriæ est iura tuentis honor:
Hic honor, hæc loca certa tuo concessa Camillo,
Pro patria Elysium cui datur omne nemus.
Hic inter Marsosq; suos, priscumq; Sabellum,
Romanosq; patres, Argolicosq; duces,
Ostentans decus eximium, sua uulnera, plausu
Excipitur, plausum reddit & omnis ager.
Læta canunt heroës, & alta silentia rumpunt,
Fama coronatis celsa uagatur equis.

Quare

Quare age nec gratas iuueni depone querelas,
Et lacrymis parcas hunc onerare tuis.
Ille deo fruitur, fatis melioribus usus,
Felix, quem patria fas sit in urbe coli.
Quemq; coles Teramane, memor patriæq;, tuiq;,
Heroëm & culta concine culte lyra.

IOANNIS IOVIANI PONTANI ERIDANI LIB. II.

ARIADNAM VXOREM mortuam alloquitur.


Vid querere ô Ariadna? tuæ non iusta querelæ
Causa subest, soluit mors sua iura tori.
Liber ago: si nullo cauet lex, desinit esse
Peccatum: quare desine & ipsa queri.
Lex statuit sibi ius: cessat ius lege soluta.
Hinc sunt coniugij libera uincla mei.
Rupit mors laqueos legis: lex morte perempta est.
Nulla uiri ratio est, uincula nulla tori.
Quid loquor ah demens? stant & mea fœdera tecũ,
Iunxit amor dextras, fœderis autor amor,
Autor amor fidei, sistendi & pignoris autor.
Trans Styga, trans Lethen hic sua signa tenet.
Tu nunc Elysij fulges per amœna uireti,
Priscarum & nulli forma secunda tua est.

Vel tibi ut inuideant, liuor si forte beatas
Sollicitet, tibi si liuor obesse queat.
Hinc patiare licet tantisper ludere nostram
Canitiem, fas sit ficto in amore queri,
Dum nos fata uocent, dum te mihi chara reuisam,
Elysiusq́; iterum uincula nectat Hymen.
Nec mora lōga quidē, quanq̃ breuis ipsa molesta est:
Iam uenio, cupidos ô mea pande sinus.
Et thalamos formosa para, dulceisq́; Hymenæos:
Iam propero, solitos sterne Ariadna toros.
Nec tamen ignoro quæ sint suspiria amantum,
Expectata tamen gaudia longa manent.
Durat amor, cuicunq; diu suspiria durant,
Gliscit & in uero semper amore timor.
Quisquis amat, timet ipse quidē, timor auget amorē,
Auctus in immensum gaudia tollit amor.
Et patiare igitur, fessam miserata senectam,
Ludere me gelidi florida ad arua Padi,
Ludere me placidos Sebethi ad fluminis hortos,
Et canere, ad citrios lucida Nympha ueni,
Et meditare nouos iterato fœdere somnos,
Quæq; uirum deceant gaudia, quæq; senem.
Felices somnos, cumulatáq; gaudia lecti.
Illa uel Elysijs cognita sola toris.
Te docet Euadne, coniunx docet acris Vlyßi,
Inq́; uiri recubans Laodomia sinu.
Immemor hic Troiæ, gestiq; ad pergama belli,

Optatæ

Optatæ fruitur coniugis ore suæ.
Illa memor luctus, memor & consortis adempti,
Delitijs pensat damna priora nouis.
Hi cito nos erimus (nulla est nam longa senectus)
Ipsa eris in nostra Laodomia sinu.
Pace tua interea Sebethi ad flumina cantem,
Saltet & ad numeros Stella decora meos.
Pace tua Eridani recinant ad flumen olores,
Cantet olorinos Stella secuta modos.
Stella sinu latices fundit, dum sydera fulgent,
E quibus in cœlo flumina larga fluunt.
Stella faces acuit, sol dum tenet edita mundi,
Huius & ex oculis lucida candet humus.
Hanc Charites comitantur, Amor comitatur, & illi
Eridanus flammam hinc, inde ministrat aquas.
Huic quoq; tantisper spatium concede iocandi,
Elysius dum nos conciliarit Hymen.
Hæc mora parua quidē, mortē post cūcta perennāt,
Atq; sub æterna conditione manent.

PVERVM ALLOQVITVR, FACVLAM
nocturnam præferentem.

Pone puer faculam, nil est opus indice flamma,
Stella mihi fax est, qua duce flamma micat.
Stella mihi in tenebris lux est, in luce diurna
Stella mihi speculum, Stella & imago mea est.
Quiq; meas curas, qui scire incendia poscis,
Illius ex oculis singula nosse potes.

Illius ex oculis tibi nostra liquebit imago,
Quæq; premant curæ, quoq; & ab igne cremer.
Aera trahit magnes, rapiunt & sydera nubes,
Stella trahit sensus, cordaq; nostra rapit.
Quisquis ades, Stellamq; uides, mea pectora cerne
In speculo, speculum pectoris illa mei est.
Illa meos magnes sensus rapit: illa dolorum,
Illa uoluptatis fertilis aura meæ.
Illa meum sydus, seu Sol, seu Luna, Venus'ue,
Lucifer illa mihi est, uesper & illa meus.
Heu heu non uesper, non est mihi lucifer illa,
Non sydus, non Sol, Luna nec illa mihi est.
Stella mihi tenebræ, Stella est mihi tristis Orion,
Est nox cum nimbis; est sine luce dies.
Quisquis amas age temne fidem, neu crede puellis,
Deficiet medio Sol tibi nanq; die.

DE VENERE.

Insignibat acu, digitum Venus aurea punxit,
Dum tenueis telas pingit Adoni tibi.
Effluit è punctu subitus cruor: hîc dea primum
Palluit, & uiso penè cruore cadit.
Mox abit in lacrymas timor & dolor, effluit imber
E lacrymis, lacrymæ pectus, & ora rigant.
Miscet & his Amor ipse suas, admotus & ori
Maternos fletus matre fouente leuat.
In pharetram tepidus cadit imber, acutaq; tingit
Spicula, tum irato cœpit ab ore Venus.

Nil

N il prætер lacrymas uestro de uulnere manet,
Tela inimica homini, tela dolenda deo.
S int uobis comites timor, & dolor, eia age tela
Ferte uiris lacrymas, tædia ferte deis.

DE VENERE ET AMORE.

N e fle, ne mihi chare oculos corrumpe, tuisq;
Desine de lacrymis sollicitare meas.
M e miseram, qui singultus? complectere matrem,
Colla foue, inq; meo fesse quiesce sinu.
B elle puer, qui nam lacrymas dolor excit? ubi arcus?
Ah miseram, in pharetra spicula nulla manent.
D ic agedum, neu singulti, neu pectora rumpe:
Quæ rogo, quæ insidiæ? cuius & iste dolus?
H eu mater nato indulgens, mihi Deianilla
Mutua quæ dederam, reddere tela negat.
H æc arcum tenditq; manu, stringitq; sagittas,
Ipsa graui dextra spicula nostra iacit.
S ingultus age coge puer, lacrymasq; coërce,
Spicula quo redeant sub tua iura, dabo.
H anc auram cape nate, oculos hac Deianillæ
Affla, & Acidalio tinge liquore genas.
D eq; oculis, deq; ipsa genis dic tendat ut arcum,
Deq; oculis iaciat spicula, deq; genis.
A rma tibi puero reddat: sit & aura uel arcus,
Vel pharetra, ast ipsi spicula sint oculi.

AD STELLAM.

V na eademq; faces in me succendis, & una

Atq; eadem glacie pectora nostra gelas.
C orda rigent, oculos quoties auertis iniquos,
Occupat & subitum pectora nostra gelu.
V rimur, atq; imis feruent incendia uenis,
Spirat ut ex oculis aura secunda tuis.
H æc flammas, hæc ipsa faces diuentilat aura:
Iam uideo in flammas pectora abire mea.
V erte oculos: age funde gelu, glaciemq;, niuesq;:
Fax glacie ac niuibus, flamma abolenda gelu est.

AD STELLAM.

S æpe mihi ex oculis auram flatusq; secundos
Promittisq; meæ tempora fausta rati.
S æpe supercilijs portum, fidosq; recessus,
Ira sit ut placido nulla timenda mari.
C ur ô cur Boreas, unaq; nigerrimus Auster,
Eripiunt portus, littoraq; ipsa mihi?
A ëris hoc uitium, uitium commune puellis.
Illi incerta fides, his fugitiuus amor.

AD CITHAROEDOS.

Quiq; lyram, chordasq; lyræ, qui carmina neruis
Aptatis, dulces & datis ore sonos,
N eu numeris, neu uos digitis, neu fidite plectris,
Et numeri, & digiti, plectraq; murmur erunt.
D um ridet, dum Stella canit, blandumq; iocatur,
Hanc auram, hos uobis conciliate modos.
H ac numeros, hac & digitos, hac plectra sub aura
Mulcete, hæc uestrum temperet aura melos.

AD THELESINAM DE PVDORE.

E rubuit Thelesina, pudorq́; per ora cucurrit,
Et tinxit roseas purpura fusa genas.
I pse pudor deus est, si quis deus inter amantes.
Ipse pudor formæ iuraq́;, uimq́; tenet.
I pse uenustatem tribuit pudor, ipse decorem
Conciliat, gratos temperat ipse modos.
I pse sibi precium formæ tulit, & decus omne.
Venalis species manca pudore suo est.
H unc igitur Thelesina cole, hic colat intima mentis,
Hic tantum formæ det sua iura deus.

AD PVELLAS.

D esinite ô teneræ crines ornare puellæ,
Desinite ô pexas arte ligare comas.
D iffluat ipse uagus circum sua tempora crinis,
Diffluat & mollis per sua colla coma.
D esinite & teneris cultum adiecisse labellis,
Lasciuosq́; oculis quærere ab arte modos.
O rnatus teneris hic sit Thelesina labellis,
Non nisi grata tuo uerba ut ab ore fluant.
H ic comptus placidis Venerilla accedat ocellis,
Gratia ut obtutu sit comes usq́; tuo.
V is faciem, uis ora simul compsisse Terinna,
Suspira quoties obuius ibit amans.

AD DEIANILLAM.

B asia quum strictis offers mihi clausa labellis,
Deq́; tuo nullus spiritus ore uenit,

Nescio quid tum triste animum ſubit, ipſaq; noſtro
Frigeſcunt tacito baſia in ore ſitu.
At quum rapta ſonant mordacibus oſcula labris,
Miſtus & alterno ſpiritus ore coit,
Meq; color, meq; & ſenſus, animusq; relinquunt,
Inq; tuo iaceo languidus ipſe ſinu.
At tu quum dederis mihi ſuauia, conſere linguam
Inter labra, meo ſemper & ore foue.
Ne pateant animo egreſſus, ne frigida lingua
Torpeat, ipſe tuo deficiamq; ſinu.

AD AMANTES.

Ne Venerem in choreis poſthac quæratis amantes.
Liquit Amor choreas, liquit & ipſa Venus.
In templis Venerem, in templis quæratis Amorem:
Templa Venus ſequitur, templa frequentat Amor.
Hic læua, at dextra hæc aſtat tibi Chloris ad aram.
Ex oculisq; parant tela, facesq; tuis.
Altera candentem ſuccendit lampada, quali
Vrat & ipſa homines, urat & ipſa deos:
Alter & hamatas ſtruat ære rigente ſagittas,
Inſidiasq; deûm, perniciemq; hominum.
A templis moneo iuuenes arcete puellam,
Præda iuuat, Chloris præda petenda Ioui eſt.
Hei mihi quid monui: templis diſcedite amantes:
En agitat cupidos Chloris in arma deos.
Dum certant, ego te ſolus ſpectemq;, fruarq;,
Surripiam labris oſcula operta tuis.

Dum

D um pugnant, latus usq; tuum formosa tuebor,
Summoueámq; homines, summoueámq; deos.
A ut Amor ipse suis potius te contegat alis,
Inuideat formæ ne qua puella tuæ.

AD ARETHVSAM.

I nnueras, meminiq; oculis Arethusa uocabas,
Ex oculisq; animi pignora certa dabas.
N unc renuis malè sana, senemq; grauaris amantem,
Non è flore seges, pomaq; lecta iuuant:
S ed matura iuuant: dos est hæc certa senectæ,
Flos breuis est, fructus aura senilis alit.
A ura senis geniale bonum, & sine lite uoluptas.
Illecebris iuuenum fraus adoperta latet.
T u modò parce seni, moueatq; aurora senili
Iuncta toro, thalamis læta puella senis.

AD THELESINAM.

E t faciem Thelesina cole, & cole dia capillum,
Et cole florenteis arte decente genas,
E t pectus formosa cole, insignemq; papillam,
Planta quoq; extremi sit tibi culta pedis.
Quæ nisi culta iuuant? culti laudantur agelli,
Gemma quoq; in digitis non nisi culta placet.
E t cultu lætatur honos, & gloria cultu,
Nec nisi de cultu laus sua cuiq; uenit.
T empla placent superis multo quæ compta paratu,
Ornatum præ se sydera & ipsa ferunt.
R ustica simplicitas sibi sit: tu lux mea cultum

Vsq; foue, & formæ sedula confer opem.

AD AMBROSIAM.

S parsisti Ambrosia ambrosiam per labra, meisq;
Suxisti è labris Ambrosia ambrosiam.
S uauia tunc etenim sunt suauia, mutua quum sunt,
Et dant, & capiunt mutua qui faciunt.
A mbrosiam diffunde: dedi quum basia, suge
Quum capis alternis Ambrosia ambrosiam.
S uauia sic & erunt tibi basia nostra, mihiq;
Et tua, & ambrosia stillet uterq; sua.

AD PETRVM SVMMONTIVM.

S ummonti dum culta probas, inculta Neæra
Te capit, illaqueans simplicitate sua.
T antum pexa comam, fusus q; sine arte capillus,
Quem tenui texta linea uitta tegit.
P er faciem candor, natiuaq; purpura fulget:
Arte uacant comptus oris, & arte genæ.
M undities sine lege quidem, sine lege nitela,
Cura sed ipsa decens, non operosa tamen.
N il petum, aut petulans oculis: incessus honestus,
Et nulla tinctus rusticitate pudor.
F rons læta, & facilis gestus, risusq; sereni,
Condit & urbanus singula uerba lepos.
N il ex arte tamen, licet hæc ex arte profecta
Cuncta putes: crescit simplicitate decor:
Qui te Petre capit, capiunt sine labe papillæ,
Quas uestit tenui fascia linteolo.

Et tu culta probas? rudis & malè doctus amator,
Qui damnes id quod chara Neæra probet,
Qui damnes quod amas? tu cultum desere, ne te
Deserat incultis culta Neæra modis.

DE MARINO TOMACELLO.

Nostra Tomacellus legerat quum carmina risit,
Atq; ait, ô quantum desipit iste senex.
Quid tibi cum Eridano, quid cũ Bundenide lympha?
Quodq; & Amor liquido succina in amne legit?
Audit Amor, ridet uirum, missaq; sagitta,
Arnus & hæc in te spicula torquet, ait.
Arnus, ait, chariose senex tuus hæc tibi iactat,
Arnus nequitiæ conscius ipse tuæ.
Ecquid amas malè sane senex? cũq; Arnide lympha
Quid tibi? num nostro hæc nequior Eridano?

AD FRANCISCVM AELIVM.

Non Aeli me longa quidem grauat ipsa senectus,
Sed quòd abest heu tot millibus Eridanus.
Ille meos igneis leuat, & mea uulnera sanat.
Heu qui sanet abest, qui leuet ille & abest.
Fundite Pierides nimbum qui diluat ignes.
Stella uel è cœlo quæ medearis ades.

ERIDANVS PHAETHONtem consolatur.

Ambustum Phaëthonta rotis solaribus, auræ
Exceptum fluuijs destituere uadis.

S uscipit Eridanus, fotumq; liquentibus undis,
Solatur densis clausus arundinibus.
P arce precor Phaëthon lacrymis, tua uulnera sensit
Saturnus, summi pulsus ab arce poli.
C uiq; suis stant fata locis, mihi uoluitur amnis,
Amnis inexhaustis non rediturus aquis:
T erra tibi est genitrix: cœlum tamen inde petisti:
Ipse docet casus, quid ferat hora sequens.
E xpertus patrium decus, ingratusq; parenti
Cede polo, & tenebris qua potes usq; late.
T utius in paruo uiues lare: sors mihi in amne est,
Et tamen à nimbis, à pluuijsq; petor.
O ptasti currus patrios, excussus ab illis
Vix nostris tutus sedibus hospes ades.
Qui ruit ex alto, præceps ruit: ima ruina
Nulla est: è summo qui cadit, ille cadit.
T e casus, te flamma docent, quid iure timendum,
Auxilium nostris qui petis ustus aquis.
H ospitio læti accipimus, dabiturq; quod optas.
Quicquid opis nostræ est, sub tua uota uenit.
T alibus Eridanus: gemitus hîc substulit heros,
Oraq; flumineo torrida rore lauat.
M i genus exitio fuit, incertiq; parentes,
Me studium famæ traxit in excidium.
E xul agor cœlo pulsus, patrijsq; quadrigis:
Eijcit & tellus, ustaq; pellit aqua.
S olaq; in Eridano superat spes. Hæc ubi dixit,
Illius

Illius madidos concidit ante pedes.
S ubleuat hunc genitor, solioq; imponit acerno,
Atq; hos cœruleo mouit ab ore sonos.
E st mihi nata tuis amnis comes: hanc tibi trado
O Phaëthon, nostræ pignora certa domus.
V ix hæc, quum teneris circum comitata puellis
Prodit de thalamis Eridanea patris.
A ffuit & formosus Hymen, cecinitq; Hymenæos,
Omnis & ad thalamos turba uocata coit.
H is Poaëthon felix tædis regnauit ad amnem,
Et iunxit socero sceptra superba suo.
N unc alto positus solio, nunc pressus ad imum,
Fortunæ instabiles edocet esse uices.
N os quoq; fatorum leges per utrunq; secuti,
Solamur cantu tempora nostra senes.
H inc Amor, inde Venus mulcent dulcißime Carbo,
Vt mihi sint senij tædia nulla mei.
S tella mihi solamen adest, mihi molle leuamen
Eridanus, niueas dum canit inter aues.
I pse canit, recinunt cycni: iuuat aura canenteis,
Hos inter cantus en mea Nympha uenit,
A mplexuq; senem dignatur, & oscula iungit,
Et rostra in tenero collocat ora sinu.
E xitus hic uitæ post bella, graueisq; labores,
Siue senecta leuis, seu iuuenilis amor.

DE ERIDANEA, PAsyale, & Stella.

Inter frondosas salicum requieuerat umbras
Capta uiri illecebris Eridanea sui.
Ipsa suo crinem domino pectebat, eburnis
Componens digitis, marmoreaq; manu.
Candida fluminei mirantur brachia cycni,
Miratur niueum populus alba decus.
Blanditur dominis littus, blanditur & unda,
Vernaq; odoratis aura strepens folijs.
Mincius ex alia uiridem recubabat ad alnum,
Pasyale in tenero ludit amata sinu.
Ipsa parat sertumq; sibi, sertumq; marito,
Serta simul uiolis, pictaq; serta rosis.
Illi Naiades, fusæq; per arua Napææ
Selectos flores, lilia cana ferunt.
Comit Nympha uirum, comit uir & ipse maritam,
Ludit & alterno nuptaq;, uirq; sinu.
Lusibus his dum spectat Amor, dum mater Amoris,
Ipse & Amor plaudit, plaudit & ipsa Venus.
Ecce procul deuecta Pado, Nereidas inter
Stella micat, radijs Stella corusca suis.
Qualis manè nouum surgens Cytherea sub ortum
Inter clara deûm sydera prima nitet.
Pasyale assurgit dominæ, coniuncta marito,
Excipit in medijs Eridanea choris.
Læta canunt cycni, fundit Venus aurea rorem,

Ambrosiæ

Ambrosiæ Cyprius ſtillat ab axe liquor.
Immiſtus Nymphis, interq; heroidas errat
Blandus Amor, blandis ludit & ipſe modis.
Mox ridens, quod cantet habet uates meus, inquit:
Telaq; de pharetra ſeligit ipſe truci.
Altera, quîs menti uulnus meditetur amarum:
Altera, quîs ſenſus in ſua uota trahat.
Excußitq; ualens: hæſere haſtilia: cæcum
Mens hauſit telum, ſenſus & ipſe labat.
Arſiſti Phaëthon flammis ambuſtus anhelis,
Me tacitæ flammæ, cæcus & ignis edit.
Vrimur heu miſeri, calidoq; in pectore feruet
Ignis edax: in me ſæuit acerba lues.
Quid queror ah demens? cæco nutrimur ab æſtu,
Nutrimur flammis, tectus & ignis alit.
Vita mihi fax eſt, uenti ſpirate frequentes,
Veſcimur en facibus, uiuimus & Zephyris.

AD BORGIVM.

Siriſium Borgi domus eſt tua, quam rigat amnis
Siris in Herculeis aduena littoribus.
Hîc conſedit auus, terra deuectus Ibera,
Quem procul à patria Martis abegit amor.
Te nec bella iuuant, nec te iuuat æreus enſis,
Parta nec hoſtili præda cruore placet.
Ocia Muſarum ſequeris, dulceisq; receſſus,
Proq; tuba colitur tibia blanda tibi.
Quin & amas, carmenq; tibi iuuenile probatur.

Delia & ipsa tuo semper in ore sonat.
Nec non Eridanus, & opaca Mincius umbra,
Eridanusq; tibi, Stellaq; nostra placet.
Quæ nunc frondosis longè pulcherrima ripis
Læta Padi ad ueteres ludit amans salices.
Immemor ah quid Stella senis, quid ludis ad amnē?
Præda futura tuis credula fluminibus.
Credis Naidibus, credis te Stella Napæis?
Ista tibi inuideant lumina Naiades.
Inuideant pictæ (fallax heu turba) Napææ.
Inter formosas hei mihi nulla fides.
Nulla fides fluuijs: rapuere & flumina nuptas.
Tuta nec est ullis, hei mihi, forma locis.
Est tibi Pasyale, simul Eridanea cauenda.
Inuidia heu nullis parcit amicitijs.
Tuta manes formosa domi: sed parce fenestris:
Ad crimen causas ipsa fenestra facit.
Parce & porticibus, templis quoq; parce dicatis.
Rara fides templis, raraq; porticibus.
Quid timeam ignoro: timeo tamen: & decor ipse
Rarus, ab insidijs tutior esse nequit.
Me cycni terrent plumæ, meq; aureus imber.
Sub terris aditus & sibi fecit amor.
Tu uero secura domi, solabere fuso,
Et curas animi candida mente leua.
Non prodit thalamis Aurora absente marito,
Inter & ancillas pensa, columq; trahit,
Expectatq;

E xpectatq́; ſenem redeuntem ad munera lecti,
Exemplum certi cauta puella tori.
H æc Borgi dum noſtra legis, dum carmen amorum,
Fac nullam teneas eſſe in amore fidem.
Quicquid amas, fruere, inq́; diē, neu differ in annos:
Ni matura legas, poſtmodo poma cadunt.

POMONAM ALLOQVITVR.

D ic age, dic Pomona (tuis ſic ſemper in hortis
Præniteant ramis pendula poma ſuis)
D ic age, dic, cultis errat dum Stella roſetis,
Dum carpit uiolas, dum legit ipſa roſas:
Qualis per flores, & per uernantia culta
Viſa tibi, quales ore referre deas?
T alis per flores, qualis per ſydera fulget POM.
Lucifer, eoïs dum micat ortus aquis.
L ilia nudatæ uincunt candore papillæ,
Puniceasq́; genis purpura fuſa roſas.
Qualis Acidalijs Cytherea uagatur in hortis,
Textile dum capiti nectit Adoni tuo.
M armoreum digiti referunt candore nitorem,
Quaq́; mouet greſſus, florida ridet humus.
P eſtanumq́; per ora fragrat decus, inter odores
Fundit & ipſa ſuos, ambroſiasq́; ſuas.
E t quoties teneræ ſaliunt de ueſte papillæ,
Spirat odorato mollior aura ſinu.
I llius ex oculis Zephyri mulcentur, & aër
Fundit ab afflatu gaudia læta ſuo.

T alis erat, cultis errat dum Stella rosetis,
Stella tuis uates nobilitata iocis.
Q uam Venerem dicas, unum ni distet, ocellis
Stella gerit Charites, Cypris agit comites.
Q uis nunc teste dea nostros incuset amores?
Seu uir, seu seram foemina canitiem?
F elix canities, cuius requiescit in ulnis
Siue Venus, similis siue puella deae.
N ostra Tomacellus damnet nunc carmina? damnet
Eridanum, & socias increpet Heliades.
N ecte puer myrtum, myrtoq; intersere rorem.
Ornet amatorem picta corona senem.
D educantq; senem iuuenes, mihi foemina plaudat,
Digne senex stellis, digne fauore poli.

DE PATVLCI, ET NIVANO.

F essa sub Hesperidum ramis formosa Patulcis
Ducebat somnos, & grauis aestus erat.
S pirabant Zephyri, Zephyris strepit aurea sylua.
Sylua ciet somnos, & sopor ipse iuuat.
E cce Niuanus adest, non expectatus amator,
Dum puer in uolucres retia tenta parat.
E xilit haec somno, puerumq; amplexa locauit
Blanda toro, blandis perfruiturq; iocis.
D ecipit heu fallax spes, & frustratur amanteis,
Saepe in amore tamen sors sua cuiq; fauet.
S ortis Amor comes est, sors & comitatur amorem,
Quisquis amas (sorti credite) compos eris.

Aurum

A urum multa poteſt, multum lacrymantia uerba.
Præualet hæc ipſis & precio, & lacrymis.
T emporis hæc ſpatio gaudet: uos tempora læti
Expectate, ſuo tempore læta uenit.
S orte ſua bello reges potiuntur, opimis
Victorum uictor gaudet & exuuijs.
S orte triumphat Amor, ſortē ueneremur amantes.
Ipſa ſeni & cupido candida diua faue.
Quanquam Stella mihi ſors eſt, tua certa uoluntas,
Hæc ſpes, hæc tempus, hæc ſine fraude fides.
N obis Eridanus, nobis & Mincius umbra,
Blanditurq́; ſuis Paſyalea uadis.
S ors igitur nobis, ſit mutuus ardor amandi,
Mutua ſors, certa ſimus uterq; fide.
T empora qui ſpectant, amittunt tempora: diues
Temporis eſt, nullum qui ſinit ire diem.
N ulla dies ſine amore fluat, nox occupet umbras
Delicijs, luces occupet ipſa dies.
N ox lucem, tenebras pellat lux inter amandum.
Vita breuis: profert tempora lætus amans.
V iuit, amat quicunq;, ſuoq́; potitur amore.
Non uiuit, fructu quiſquis amoris eget.

DE SEBETHO.

C antabat uacuus curis Sebethus ad amnem,
Si uacuum ſineret perfidioſus Amor.
I pſa ueni ad ſalices, & opacæ umbracula uitis,
Ipſa ueni ad noſtros culta Labulla modos:

En hic cœruleæ saliunt per littora Nymphæ,
Ludit & ad fontes picta Napæa meos.
Culta Labulla ueni: sunt hîc tibi serta parata,
Nexa simul calthis, iuncta simul uiolis.
Lilia seruantur canis prælata pruinis,
Quæq; meis iactat se Melilotos agris.
Fragaq; seruantur summo mihi lecta Veseuo,
Fraga Maroneis manè petita iugis.
Sunt etiam geminæ frondosa in uite cicadæ,
Cesserit his cantu uel Philomela suo.
Hæ tibi munus erunt, & erunt tua munera ranæ,
Quæ mecum ad salices carmina culta canunt.
En audi, ad salices formosa Labulla uenito,
Dum canimus, uolucres duc age & ipsa choros.
En sternunt niueæ muscosa cubilia Nymphæ.
O ros in pratis ipsa futura meis.
Talibus ille suis incassum clamat ab antris,
Incassum ad salices murmura uana iacit.
Non mihi ad Eridanũ, mihi non ad Mincida ripam,
Non opus, ad salices lucida Nympha ueni.
Nil opus est cantu, nec picti munere serti,
Nec quæ de ramis rauca cicada canit:
Tantũ opus obsequijs: sponte en mihi candida fulget
In thalamis, nostro Stella corusca toro:
Sponte meo cubat ipsa sinu, mihi plaudat ouanti
Ipse Amor, è curru plaudat & ipsa Venus.

AD MATRONAM.

Quid rides matrona? senem quid temnis amantem?
Quisquis amat, nulla est conditione senex.
Quisquis amat, iuuenem par est matrona uocare.
At qui nullus amat, iure sit ille senex.
Tempus habet metas, & constat tempus ab annis,
Et peragunt annos sydera cuncta suos.
Solus Amor nescit tempus, nec subiacet annis,
Aeuo sed fruitur, perpetuusq; manet.
Quid mihi nunc annos obiectas, quid'ue senectam?
Nullus amor fines terminat ipse suos.
Te matrona decet metiri tempora, quam nec
Vllus amat, nec scis præter amare merum.

DE ERIDANO.

Ferrum Hebrus, ferrum Tybris colit acer, & ingens
Euphrates, ferrum Rhenus & Ister amant.
At pace Eridanus gaudet studiosus amantum,
Et thalami, & pacis munia lenis obit.
Eridano pia uota pij reddamus amantes.
Fumet odoratis ara uerenda focis.
Tu uero mea lux (etenim tibi cultus amoris
Tantus inest) aris debita solue sacris.
Eridano benedic detectis compta papillis,
Compta sinu, pexis non sine lege comis.
Mox Genio datura, facesq; incende Sabæas,
Et mihi delicias nocte ineunte para.

AVRAS ALLOQVITVR

Dicite felices auræ, Bundenidis undæ

Quæ colitis ripas, quæq́; & amoena Padi.
Dicite, frondenteis quid agat meus ignis ad alnos?
Aut quid ad Argentæ mœnia littoreæ?
An memor absenteis tacitos suspirat amores?
Et uetus est illi uulnus, ut antè, nouum?
Rara quidem uirtus, constans amor: hoc tibi nomen
Stella dedit, stabilis quòd tua cura manet.
Scilicet & memor es tantorum grata bonorum,
Quæ tibi noster amor munera multa dedit.
Præsentemq́; senem faciunt tibi munera nostra,
Quodq́; & amor iubeat, gratia & ipsa simul:
Heu heu, nec strepitis frondes, auræq́; siletis,
Et mutæ in cursu conticuistis aquæ.
Nil mihi responsant auræ, tristesq́; silescunt.
Criminis est taciti conscius ipse pudor.
Immemor ah cur Stella senis: cur ludis ad alnos?
Argentæ immemorem munera te faciunt.
Scilicet est preciosus amor, uenalis amantum
Spes, & in ambiguo uicta fides precio.
Immemor ah ueteris, capitur mercede recenti
Quæq; puella nouis subdita muneribus.
Venalis species, preciosa est forma, decorq́;.
Nimirum precio quæq; puella subest.
Venditur en auro cœlum, uenduntur & astra,
Stellaq́; nostra nouo munere capta uenit.
Vendit Amor mercesq́; suas mercator auarus,
Institor & fallax, ales & ipse rapax.

Ite redite

I te redite auræ, meaq; hæc maledicta referte,
Venisti precio capta puella senis.
V enisti & iuuenis: iuueni uetus ipsa rependes
Mox precium: has pœnas da leuitatis anus.
H æc sors est in amore, & sunt hæc mutua amoris,
Quæ uendit iuuenis, pòst emit ipsa senex.

DE STELLA.

F unditat è cœlo radios Latonia Phœbe,
Quîs teneros fœtus, floridaq; arua rigat.
F unditat & radios Phœbus, quibus omnia lustrat,
Calfacit & flammis quæq; creata suis.
S tella mihi Sol est, eadem mihi roscida Luna,
Hinc fouet & flammis, irrigat hinc & aquis.
S tella eadem ferit ex oculis, oculisq; medetur,
Hæc mihi & hostis Amor, hæc & amica Venus.

DE STELLA.

Qualis flauentes Zephyrus permulcet aristas,
Syrius ardenti dum coquit aura face:
Qualis languentes liquidus ros excitat herbas,
Dum fremit horrenti feruidus ore Leo:
T alis & ærumnas risu fugat, & leuat æstus
Stella meos, risu Stella iocosa suo.
H uius enim risus mihi ros est, huius ab ore
Aura uenit, Zephyris lenior ipsa suis.
A ura faue, foueasq; senem, Zephyriq; fauete,
Et foueant risus Stella benigna tui.

AMANTES ESSE MISEROS.

Sol hyemes, sol æstates moderatur, & idem
Tempus agit noctis, tempora lucis agit.
Talis Amor: rixas idem, pacemq; procurat:
Idem lætitiam, tristitiamq; mouet.
Sol æstus, sol & glaciem, tenebrasq;, diemq;,
Diuerso tamen hæc tempore cuncta facit.
Ast turbas, requiemq; simul, lacrymasq;, iocumq;
Miscet Amor, nullo tempore certa gerens.
Semper enim uariat dubius, semperq; uacillat.
Quàm miser est omni tempore quisquis amat.

DE THELESINA, & Puderico.

Ecce uenit Thelesina: Venus comitatur, Amorq;:
Parce puer pharetræ, tu dea parce faci.
Ipsa feri Thelesina oculis: uos parcite telis.
Ipsa oculis iacias tela, facesq; tuis.
En & adest Pudericus, Amor ne stringe sagittas,
Conde Venus faculas, tu Thelesina feri.
Prima quidem sint tela oculi, quîs corda sagittes,
Et dicas, Amor hæc tela cruenta iacit.
Altera tela faces, risus sit Cypridis arma,
Risus amatoris uincula certa tui.
Hæc ubi, dic Veneri, dicas Thelesina & Amori,
Hic meus est, telo concidit iste meo.
Arte mea curandus & est: mox pallia dextra
Reijce, & ornatos candida pande sinus.

Ac rursum

Ac rursum formosa oculis, risuq; ferito:
Qualis Achillea plaga iterata manu.
Nanq; & Amor geminata facit dum uulnera, sanat.
Vt sanes, iterum bella puella feri.
Ne qua tamen ueteris plagæ sit forte cicatrix,
Hanc line mox linguæ blanda liquore tuæ.
Oscula neu cessent etiam geminata, superbit,
Quæ dare quum poßit plurima, pauca negat.

AD MARCVM ANTONIVM SAbellicum, scriptorem historiarum.

Dum Venetum historias, dum bella Sabellice narras,
Et scriptis ornas tempora nostra tuis:
Dum memoras tot gesta uirûm terráq;, mariq;,
Assonat & plausu terra, salumq; tibi,
Interea nos fata grauant, fors improba uexat,
Decidit éq; suo nostra senecta gradu.
Non iacet ipsa tamen, casu nec territa tanto
Mens mea, nec uarijs corruit icta malis.
Nec fortes fortuna premit: quin erigit, & me
Tollit humo, quoties sæuior ipsa furit.
Orbauit nato, charisq; nepotibus: at non
Orbauit mentis robore, non animi.
Orbauit genero, non mente, aut corde: probatur
Igne aurum: uitium decoquit ipse focus.
Amisi geminos terrarum lumina reges,
In quibus heu patrium ius mihi penè fuit.
Amisi sociamq; domus, dominamq; cubilis,

Partem animæ: maior pars erat illa mei.
Non me discußit belli tremor, Alpibus acta
Tempestas, non me Gallicus ille furor.
Vnde meis partus studijs honor & decus, heu heu
Eripitur, primus & sine labe locus.
Non tamen infractiue animi, deiectáue uirtus
Concidit, aut ceßit qui fuit antè uigor.
Stant & opes animi ualidæ: ridemus iniquas
Fortunæ insidias, instabilisq; uices.
Vtendum ingenio, nitendum pectore, mente
Præstandum, ne fors sæua nocere queat.
Quin & si noceat, pulsanda iniuria: nullus
Sponte ruat: miser est qui ruit ipse uolens.
Quinetiam duros casus, inopemq; senectam
Solamur cantu, Pieridumq; modis:
Et nunc Sebethi gelidos spectamus ad amnes
Hinc illinc socias ludere Naiadas:
Et nunc Lucrini madidas de fonte puellas
Ad speculum flauas arte ligare comas.
Nunc nos ad uirides uocat Antiniana recessus,
Et uocat ad primas blanda puella rosas.
Nunc offert sese choreis spectata Patulcis,
Læta suis hortis, læta Patulcis agris.
Nil agro uberius, nil est felicius hortis.
Vtraq; me immemorem res facit esse mali.
Rura mihi sunt uer, sunt horti florida ueris
Tempora, delicijs & mihi uernat ager.

Hæc

Haec inter uarias uario de flore corollas
  Nectit amatori Stella benigna suo.
Olim ignis, nunc uel senij mihi dulce leuamen,
  Et fax in tenebris Stella corusca mihi.
Quin ueteris memores sortis de pectore curas
  Eijcit ipse recens, & rediuiuus amor.
Quiq; senex, quiq; & fatis iactatus, amare
  Ipse potest, fatum uincere & ipse potest.
Hic ego sum grauis ipse annis, grauis ipse senecta,
  Fortunæq; minis exagitatus amo.
Et modò Pausilypi scopulos, modò culta Veseui
  Impleo non solitis littora carminibus.
Hinc referunt ualles, hinc prata uirentia reddunt,
  Stellà senis lacrymis, Stella uocata ueni.
Me miserum Eridani retinent te frondea rura,
  Argentæ retinent mœnia grata tibi.
Sed nec te retinent, & amor senis urget amantem,
  Inq; meos properas lucida Nympha sinus.
O ades expectata, senem complectere, meq;
  Blanda foue, & socio fessa quiesce toro.
Qualis ad illecebras cani regressa mariti
  Aurora optatos læta petit thalamos.
His casus solorq; meos, fragilemq; senectam.
  Delia nulla mihi, nulla Corinna seni est.
Ficta iuuant, quæ nostra tamen patientia fatum
  Aut fugit, aut mollit, si superare nequit.
Tu uero decus historiæ cultissime Marce

Dum ſequeris, quæ te gloria rara manet,
Neu nugas contemne meas, neu deſpice luſus.
Qui mea fortunæ uulnera cruda leuant.
Nanq; & opem morbis contraria ſæpe tulerunt,
Et ſæpe inſolita uenit ab arte ſalus.

AD VXOREM MORTVAM de obitu Lucij filij deploratio.

Nona mihi coniunx agitur uindemia, quum te
Abſtulit immiti funere auara dies.
Interea memor ipſa tori, lectiq; iugalis,
Et rara culti cum pietate uiri,
Ludebas mecum in ſomnis, & adeſſe ſolebas,
Alloquio & curas ipſa leuare meas.
Ipſa graueis caſus, & ſolabare dolentem;
Ipſaq; miſcebas gaudia noſtra tuis.
Omnis erat mea cura tibi communis, & omne
Siue uoluptatis, ſiue doloris opus.
Viua mihi in tenebris obuerſabare, & obibas
Viua domus munus, officiumq; pium.
Quænam hæc inuidia eſt? mihi quis deus obſtitit, ut tu
Deſereresq; uirum, deſereresq; ſenem?
Non mihi te ſolitæ noctes, non ſomnia reddunt,
Ventitat ad thalamos umbra nec ulla meos.
Quò manes illi ſocij, tua dulcis imago?
O ſors, ô fati tempora iniqua mei.
O coniunx malè grata ſeni, malè grata marito,
Sola tuis coniunx dedita delicijs.

Elyſijs

Elysijs ipsa in campis per roscida prata
Tu modò cum nato læta uagare tuo:
Illi contexisq; rosas, contexis hiantem
Narcissum, & uiolæ lilia cana nigræ.
Illi purpureos mistim coniungis honores,
Spargis & ambrosio docta liquore comam.
Quin & perpetuum Parcis seruas amaranthum,
Quiq; etiam flores punica mâla ferunt.
Scilicet has tibi blanditijs, has grata corollis,
Has tibi placasti sedula muneribus,
Quò natum auulsumq; sinu, colloq; parentis,
Ipsa tua teneas sub ditione tuum.
Quæ nam hæc inuidia est, simul & consortia nostra
Liquisse, & natum surripuisse patri?
Et baculum eripuisse seni? Verum utere coniunx
Sorte tua fœlix, sorte beata uiri.
Delicijs fruere Elysijs, fruere optima nati
Blanditijs: matris perfruere ipsa bonis.
Maternos imple affectus, sedisq; beatæ
Dona fluant nato mellaq;, lacq; tuo.
At mea canities, & despectata senectus
Orba suo in uisu, non ope fulta sua,
Nuda iacebit, egens, & desolata nepotum.
Sola toro ac mensis, sola die ac tenebris.
Non hæres mihi, non nostro qui sanguine crescat,
Quiq; suum blanda uoce salutet auum,
Ante focumq; hyemes nec qui soletur iniquas

Garrulus, & nostros lusitet ante pedes.
Deserti thalami, deserta cubilia, & ignes,
Quæq; uiris fuerat porticus antè frequens.
Omnia sunt malè amica seni: non aura, nec umbra,
Non citharæ, aut cantus, non iuuat ipse sopor,
Non choreæ, non serta placent, quæq; aura nepotum
Sola iuuat, soli nulla relicta mihi,
Non spes uenturæ prolis. Tuq; ô mea coniunx
His succurre malis, & mea damna leua.
Mecum ergo in tenebris, mecum thalamoq; toroq;
Nocte ades, amplexus & pete nocte meos.
O si quos nati amplexus, si qua oscula tecum
Attuleris, si quos illius ore sonos.
Non mihi canities grauis, aut sit iniqua senectus,
Sed somni faciles, auraq;, & umbra iuuent.
Hoc mihi præstabunt sopor, & tua lenis imago:
Hoc uitæ, hoc mortis mite leuamen erit.
Nec mihi defuerint tolerandi exempla doloris,
Quæq; usus docuit, monstrat & ipsa dies.
Omnia naturæ sub legibus orta tenentur,
Et quîs principium est, his quoq; finis erit.
Vtq; diem nox atra rapit, sic lumina uitæ
Extinguit letum: cunctaq; morte cadunt.
Hora tamen nec certa, & uitæ terminus anceps,
Quanquam incerta, suo tempore & ipsa cadunt.
Mille simul socijs uestitur floribus arbor,
Ad fructum ueniunt paucula poma suum.

Nec mortis

Nec mortis tamen una uia est: hæc grandinat aër.
His nebulæ, ast illis uentus, & aura nocent:
Pluribus exitio est æstus, glacies'ue, niues'ue:
Hæc uredo necat, halitus aut nocuus.
Contrahit è cœlo uitium pars maxima: partem
Decutit è ramis uis inimica suis.
Hæc eadem uitæ ratio: mors undiq; sæuit:
Lenta alijs, alijs præproperata uenit.
Naturæ imperio morimur: parêre necesse est.
Imperium lex est, lex ratione uiget.
Hanc sequimur: dux hæc uitæ, rectiq;, boniq;:
Qua sine nil rectum, nil queat esse bonum.
At rerum ratio, lex, & natura, bonumq;
Conueniunt in idem, ius & idem retinent.
Nec mors naturam refugit, legem'ue, sed illis
Paret, & obsequio fungitur usq; suo.
Hinc mortem tolerare decet ratione magistra,
Quæ doceat cineri nulla subesse mala.
Mors igitur toleranda, mali sibi nescia, quum sit
Ipsa quies hominis, sitq; quietis opus.
Hinc ego felicem te te nate auguror, & me,
Iure & utrunq; sua commoditate frui.
Te, quòd defunctus uitæ uideare periclis:
Me, utar quòd patria conditione pater.
Tu uero cœlo positus, radiantia cernis
Astra, prius patrio nota magisterio.
Atq; iterum diuûm effigies, & munera monstrat

Vranie, illa tuo cognita Musa patri.
Ergo nate tibi parta est de morte uoluptas,
Atq; æuo frueris, perfruerisq; deo.
Si quid uero ex morte mali, quid'ue inde doloris,
Est patris officium, ducere id esse meum,
Quòd fructu careo uitæ, quòd adempta propago,
Quodq; ipsi steriles, & sine fruge sumus.
Quamuis & nostros sedet Tranquilla dolores,
Dignaq; neptis auo, nataq; digna patre:
Solatur sed me, tibi quòd iam parta beatæ
Sors uitæ est, nulli concutienda malo.
Solatur, quòd & ipse breui te consequar, unà
Visurus summi lucida tecta poli,
Visurusq; deum, cœliq; in parte receptus
Coniuge cum chara secla perennis agam.

FINIS.

INDEX

INDEX EORVM
QVAE IN HOC VOLVmine continentur.

Tumulus

IN SECVNDO Tumulorum lib.

IN LIBRO DE laudibus diuinis.

IN PRIMO BAIARUM LIBRO.

IN SECVNDO Baiarum lib.

de uictoria

IN PRIMO ERIDANI LIBRO.

Ad Borgium

FINIS.

PAGELLA 15. uersu 27. lege, Tu redis. In prioris Tomi pag. 1. lege, De Hortis Hesperidum libri duo. Pag. 347. uer. 3. Vlmia. & pro corallis, torallis.

BASILEAE, APVD AND. Cratandrum, Anno
M. D. XXXI.



